
1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

880
D6

Gonzalez Lodge
Bryn Mawr 1897

DISSERTATIONES PHILOLOGICAE

ARGENTORATENSES

SELECTAE

VOLVMEN VIII.

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER.

MDCCCLXXXV.

Aulae Vimariensis officina typographica.

Hoc octavo volumine continentur hi libelli:

Commentationis a L. SCHEELE scriptae solae paginae 177—216 continentur eis exemplaribus, quae auspiciis amplissimi philosophorum ordinis academiae Wilhelmae Argentinensis prodierunt.

DE GRAECORUM SACRIFICULIS

QUI ΙΕΡΟΠΟΙΟΙ DICUNTUR.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS DOERMER

SARAEPONTANUS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXIII.

Aulae Vimariensis officina typographica.

Apud omnes Graecorum gentes inde ab eo tempore quo civitatibus constitutis legibusque temperatis utuntur ad cultum deorum curandum praeter ipsos sacerdotes magistratus quoque publice instituti inveniuntur. Cum enim arte inter se cohaererent Graecorum res sacrae et publicae, sacerdotes certis deis sacra in singulis templis faciebant ex more certo et a maioribus tradito, magistratuum erat non solum publica sacra diesque festos iussu civitatis administrare, sed omnes eas res divinas procurare quae ut rite perpetrarentur rei publicae intererat. Itaque iam antiquissimis temporibus reges ipsos pro universa civitate sacrificare videmus — id quod significat Aristoteles polit. III 9, 7: *Κύριοι δ' ἦσαν* (sc. *οἱ βασιλεῖς*) *τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί· πρὸς τούτοις τὰς δίκας ἔκρινον.* Neque secus insequentibus temporibus summi rei publicae magistratus deorum cultui operam navant, de qua re idem Aristoteles polit. IV 5, 11: *Ἐχομένη δὲ ταύτης* (sc. *τῆς ἐπιμελείας*) *ἡ πρὸς τὰς θυσίας ἀφωρισμένη τὰς κοινὰς πάσας, ὅσας μὴ τοῖς ἱερεῦσιν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος, ἀλλ' ἀπὸ τῆς κοινῆς ἑστίας ἔχουσι τὴν τιμήν· καλοῦσι δ' οἱ μὲν ἄρχοντας τούτους, οἱ δὲ βασιλεῖς, οἱ δὲ πρυτάνεις.*

Postea vero quam magis magisque amplitudine et magnificentia auctae sunt Graecorum res sacrae ita ut ordinarii magistratus summi non sufficerent, certi ad id ipsum instituti sunt magistratus qui omnia quaecunque ad cultum publicum pertinerent administrarent. Hoc quoque idem Aristoteles exponit ibid.: *Ἄλλο δ' εἶδος ἐπιμελείας ἡ περὶ τοὺς θεοὺς οἷον ἱερεῖς τε καὶ ἐπιμεληταὶ τῶν περὶ τὰ ἱερὰ τοῦ σώζεσθαί τε τὰ ὑπάρχοντα καὶ ἀνορθοῦσθαι τὰ πίπτοντα τῶν οἰκοδομημάτων καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τέτακται πρὸς τοὺς θεούς.*

Συμβαίνει δὲ τὴν ἐπιμέλειαν ταύτην ἐνιαχοῦ μὲν εἶναι μίαν, οἷον ἐν ταῖς μικραῖς πόλεσιν, ἐνιαχοῦ δὲ πολλὰς καὶ κεχωρισμένας τῆς ἱερωσύνης, οἷον ἱεροποιοὺς καὶ ναοφύλακας καὶ ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων.

Eiusmodi magistratuum in inscriptionibus Graecis, uberrimo antiquitatum rerum divinarum fonte, cum permultae notiones afferuntur, tum saepissime inveniuntur quos primo loco Aristoteles enumerat *ἱεροποιοί*. De quibus quaecunque et in titulis et apud scriptores leguntur colligere et disponere, disposita explicare mihi proposui, ut, quaenam qualiaque fuerint eorum apud Graecos munera, accuratius cognoscatur.

Atque de *ἱεροποιοῖς* nonnulla iam composuerunt viri docti hi:

K. Fr. Hermann, antiquit. Gr. I § 150; II § 11 adn. 10. 12. sqq.

A. Boeckh, oec. publ. Athen. I p. 302d al.

A. Mommsen, Heortologie p. 242. 314. 453 etc.

Gilbert, antiquit. Gr. publ. I p. 249 n. 1.

Ussing, inscr. Gr. ined. p. 47—48.

Rangabé, antiq. hell. ad tit. n. 814.

Jebb, Journal of hellenic studies 1880 vol. I p. 30 sqq.

Homolle, Bulletin de correspondance hellénique VI p. 57 sqq.

Attigerunt etiam alii viri docti, si qui inscriptiones in quibus *ἱεροποιοί* memorantur tractaverunt. Hi tamen omnes ex paucis tantum locis iudicium fecerunt, non paucas inscriptiones recentiore tempore inventas ignorabant: rem omnem testimoniis in unum congestis explicare nemo conatus est.

Ita vero disquisitionem instituere consilio optime convenit, ut in parte priore de sacrificulorum munere in universum, in altera de singulis eorum officis verba faciam.

Priusquam autem rem ipsam aggrediar, Rudolfo Schoellio, praeceptori carissimo, me hoc in opusculo conficiendo multum debere quin grato animo profitear praetermittere non possum.

Pars I.

DE SACRIFICULORUM MUNERE IN UNIVERSUM.

Cap. I.

DE SACRIFICULORUM APUD GRAECOS GENERIBUS.

§ 1.

Sacrificuli Attici.

Significationem vocis *ἱεροποιός* satis late patere apparet ex iis quae Strabo VIII 7, 1 de quattuor tribubus Ionicis ab Ione Xuthi vel potius Apollinis et Creusae filio constitutis narrat: illum cum rebus contra Thraces fortiter gestis de Atticae incolis praeclare meritus esset, ab iis res publicas in ordinem redigere iussum quattuor ex ratione vivendi partes multitudinis Atheniensium fecisse: *γεωργούς*, *δημιουργούς*, *ἱεροποιούς*, *φύλακας*: — *Ἴων δὲ τοὺς μετ' Εὐμόλπου νικήσας Θρᾷκας οὕτω ηὐδοκίμησεν, ὥστ' ἐπέτρεψαν αὐτῷ τὴν πολιτείαν οἱ Ἀθηναῖοι. ὁ δὲ πρῶτον μὲν εἰς τέτταρας φυλὰς διεῖλε τὸ πλῆθος, εἶτα εἰς τέτταρας βίους· τοὺς μὲν γὰρ γεωργοὺς ἀπέδειξε, τοὺς δὲ δημιουργούς, τοὺς δὲ ἱεροποιούς, τετάρτους δὲ φύλακας· τοιαῦτα δὲ πλείω διατάξας τὴν χώραν ἐπώνυμον ἑαυτοῦ κατέλιπεν.*

Qua in narratione tantum abest ut *ἱεροποιοί* certum sacerdotum ordinem significent, qualis apud nullam unquam Graecorum gentem fuit (cf. Isocr. ad Nicocl. § 5: *ἱερωσύνην παντὸς ἀνδρὸς εἶναι νομίζουσιν*), ut omnes eos qui et publice et privatim religiones colere soleant fabellae auctor hoc nomine notari sine dubio voluerit.

Ceterum quattuor illa nomina apud solum Strabonem memorantur: quae tribuum nominibus vere Atticis *Ὅπλητες*, *Ἀργαδεῖς*, *Αἰγικορεῖς*, *Γελέοντες* ab auctore eius male substituuntur.

Iis vero temporibus quae ad historiam ipsam spectant sacrificulorum discernenda sunt haec genera:

A) publici sacrificuli.

1. collegium sacrificulorum decem populi Atheniensium commemoratur in lexicis s. v. *ἱεροποιοί*: Phot.; Lex. Seguer. (in Bekkeri anecd.) p. 265; Etymol. M. p. 469: *κληρωτοὶ ἄρχοντές εἰσι δέκα τὸν ἀριθμὸν, οἳ τά τε μαντεύματα ἱεροθυτοῦσι, κἄν τι καλλιερῆσαι δέῃ, καλλιεροῦσι μετὰ τῶν μάντεων, καὶ θυσίας τὰς νομιζομένας ἐπιτελοῦσι, καὶ τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας διοικοῦσι πλὴν Παναθηναίων*; fontem addit Etymol. M.: *ταῦτα δὲ Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ*. Pollux VIII 107: *ἱεροποιοί· δέκα ὄντες οὗτοι ἔθυον θυσίας τὰς πεντετηρίδας τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι, τὴν τῶν Ἡρακλείων* (*Ἡρακλειδῶν* codd., corr. Iungermann.), *τὴν Ἐλευσῖνι.*

In titulis appellantur *ἱεροποιοὶ κατ' ἐνιαυτόν*: C. I. A. I. 188 = Boeckh, oec. publ. Athen. II tit. I = Rose, inscr. vet. tab. XIX p. 123 sqq. vs. 5 — 7 (Olymp. $93,_2$ = a. Chr. n. 40$^7/_6$). — Boeckh, oec. publ. Athen. II tit. VIII = *Ἐφημ. ἀρχ.* 3266 vs. 35 (Olymp. $111,_4$ = 33 $^3/_2$ a. Chr. n.).

Ceteri tituli in quibus solo nomine *ἱεροποιοί* appellantur sunt

1. C. I. A. I 9 = C. I. G. 73b (Cimonia fere aetate conscriptus).

2. C. I. A. II 163 = Le Bas, Attique n. 401 = *Ἐφημ.* 1064 = Rangabé, ant. hell. II 814 = Ussing, inscr. Gr. ined. n. 54 = Michaëlis, Parthenon p. 332 (scr. Lycurgi tempore).

3. Boeckh, oec. publ. Athen. II tit. VIIIb = Rangabé, II 842 (eodem tempore).

4. *Ἐφημ.* 3451 (eod. temp.).

5. Rangabé, II 1059 (Olymp. $109,_1$ = 34$^4/_3$ a. Chr. n.).

Ad eosdem spectat Dem. Phil. I § 26; [Dem.] c. Theocr. § 29; Athen. IV 14 p. 137f. — Qui cum in universum civitatis in rebus sacris mandata exequantur,

2. diversi sunt singulorum templorum vel singulorum deorum publici sacrificuli.

C. I. A. I 32 A = Rangabé, ant. hell. I n. 118 = Boeckh, oec. publ. Athen. II tit. III A (a. Olymp. $86,_2$ = a. Chr.

n. 43⁵/₄ [1])) vs. 18 sqq.: *παρὰ δὲ τῶν νῦν ταμιῶν καὶ τῶν ἐπιστατῶν καὶ τῶν ἱεροποιῶν τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς, οἳ νῦν διαχειρίζου[σι]ν, ἀπαριθμησάσθων καὶ ἀποστησάσθων τὰ χρήματα κ. τ. λ.*

Quo referendi sunt

a) sacrificuli Eumenidum qui vocantur *ἱεροποιοὶ τῶν Σεμνῶν Θεῶν.* De quibus nihil ex titulis novimus: innotuerunt ex duobus locis Dem. c. Mid. § 115: *εἴασε δ' ἀρχιθεωροῦντα ἀγαγεῖν τῷ Διῒ τῷ Νεμείῳ τὴν κοινὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως θεωρίαν, περιεῖδε δὲ ταῖς Σεμναῖς Θεαῖς ἱεροποιὸν αἱρεθέντ' ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων τρίτον αὐτὸν καὶ καταρξάμενον τῶν ἱερῶν* (quae verba non satis accurate sunt exscripta in Etymol. M.), et ex Dinarchi oratione in Lycurgi rationes habita (Etym. M. l. c.): *καὶ τὰς Σεμνὰς Θεὰς αἷς ἐκεῖνος ἱεροποιὸς καταστὰς δέκατος αὐτός* (cf. Photius s. v. *ἱεροποιοί*).

b) sacrificuli Eleusinii quorum duo extant collegia inter se diversa:

α) *ἱεροποιοὶ οἱ Ἐλευσινόθεν*: Bull. de corresp. hell. IV p. 226 sqq. = *Ἀθήναιον* VIII p. 405 sqq. (c. 445—435 a. Chr. n.), sive *ἱεροποιοὶ Ἐλευσινίων*: C. I. A. I 5 = Lenormant, recherch. archéol. à Eleusis n. 25 p. 70 sqq. = *Ἐφημ.* 3798 = Mommsen, Heortol. p. 257 (tit. Periclis tempore conscriptus); iidem solo nomine *ἱεροποιοί* afferuntur C. I. A. I 1 (IV 1) = Rose, inscr. vet. tab. XXX p. 242 sqq. = Le Bas, Attique n. 391.

β) *ἱεροποιοὶ οἱ τὰ μυστήρια ἱεροποιοῦντες*: Bull. V. p. 361 sqq. = Gollob, stud. Vindob. 1881 (III) p. 209 sqq. (a. Chr. n. 34¹/₀).

3. sacrificuli extraordinarii: *Ἀθήναιον* VI p. 482 n. 3 vs. 3: *οἱ ἱεροποι]οὶ οἱ αἱρε[θ]έντε[ς ὑπὸ τῆς βουλῆς τῶν ἱερῶν ὧν ἔ]θυον τῷ Διονύσῳ και [τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἷς προσ]ῆκε θύειν ὑπὲρ τῆς βουλῆς κα[ὶ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναί]ων* (saec. a. Chr. n. III).

---

[1]) Cf. Kirchhoff, Die Schatzmeister der andern Götter, in Comment. acad. Berol. cl. histor.-phil. 1864 p. 8 sqq.; idem, Zur Gesch. des athen. Staatsschatzes im 5. Jahrh., in Comment. acad. Berol. cl. histor.-phil. 1876 p. 21 sqq.

Alii extraordinarii intellegendi sunt C. I. A. II 329 in decreto altero (Eubulo archonte facto, cf. Koehleri adn.) vs. 14: *καὶ ταμίας αἱρεθεὶς ὑπὸ τῆς βουλῆς εἴς τε τὰς θυσίας τοῖς .... σιν μεμέρικεν τοῖς ἱεροποιοῖς.*

B) Privati sacrificuli pagorum et collegiorum sacrorum.

1. sacrificuli tetrapolis Atticae: Mittheil. des deutschen archäol. Instit. III p. 261 (c. 360 a. Chr. n.); Lenormant, rech. arch. à Eleusis p. 280 (cf. huius commentationis part. II § 1).

2. sacrificuli pagorum:

a) pagi Aexonae sacrificuli: C. I. A. II. 581 = C. I. G. 214 = Le Bas, Attique 425 = Ἐφημ. 3545 (a. Chr. n. 3 $^{20}/_{19}$); Mitth. d. arch. Inst. IV 201.

b) pagi Scambonidarum sacrificulos significari in decreto de sacris pagi rite instituendis C. I. A. I 2 (IV 2) = Le Bas, Attique 422 = Rose, inscr. vet tab. XXXI p. 249 recte Kirchhoffius statuit. Quam rem uberius persequar ubi de sacrificiis pagorum disputabo.

3. Frequens est sacrificulorum mentio in decretis collegiorum:

a) orgeonum: C. I. A. II 610 = Ἀθήναιον I p. 14 = Foucart, associat. relig. chez les Grecs p. 189 n. 2 (altera saec. IV parte).

b) thiasotarum: C. I. A. II 611 = Archäol. Anz. 1865 p. 109 = Foucart, ass. rel. p. 212 n. 30 = Lueders, die dionys. Künstler p. 157 n. 22 (a. $^{300}/_{299}$ a. Chr. n.).

c) thiasotarum Veneris: Bull. III p. 510 sqq. = Ἀθήναιον VIII p. 296 sqq. cf. Jahrb. für Philol. 1880 t. 121 p. 425 (a. Chr. n. 301 et 300).

d) eranistarum C. I. A. II 615 = Rangabé II 810 = Ἐφημ. 1408 = Le Bas, Attique 385 = Foucart, ass. rel. p. 215 n. 32 = Lueders, die dionys. Künstler p. 151 n. 2.

C. I. A. II 616 = Wescher, Revue arch. N. S. XI (1865) p. 497 sqq. = Foucart, ass. rel. p. 210 n. 27 = Lueders

p. 152 n. 7 (Keil, sched. epigr. p. 39—40) (c. med. saec. III. a. Chr. n.).

e) Sarapiastarum: C. I. A. II 617 = Hicks, inscr. Gr. mus. Brit. I n. XXI = Le Bas 381 = Foucart p. 207 n. 24 = Lueders p. 159 n. 26 (c. a. 250 a. Chr. n.).

Incertior res est in duobus titulis a Rossio publicatis, de quibus paulo copiosius agendum est.

1. Donarii basis in Piraeo inventa (saec. III. a. Chr.): Ross, de demis Att. n. 21 p. 53 = Rangabé II 1060:

Ἱε]ροποιοὶ οἱ ἐπὶ Φιλιππίδου Ἀρτέμ[ιδι
Πολύευκτος Ἀχαρ(νεύς). Βόηθος Ἀγκυ[λῆθεν —
Χαβρίας ἰσοτε(λής).
Παιδέας Σολεύς.

Ubi ad *ἐπὶ Φιλιππίδου* non *ἄρχοντος* sed *ἱερέως* supplendum ducunt Wescherus (Rev. arch. a. 1865 p. 352 sq.) et Kirchhoffius (Herm. II p. 172) ex inscriptione aequali fere nuper in Piraeo et ipsa reperta quae locationis instrumentum societatis cuiusdam Cytheriorum (i. e. ex Cythero pago Attico) continet factum *ἐπὶ Φιλιππίδου ἱερέως;* cumque Dianae Munichiae sacerdotem intellegit Kirchhoffius: cui deae publica fuisse sacra res est satis nota (cf. Mommsen, Heortol. p. 403 sq.).

Verum Cytheriorum titulum non ad Dianae, sed ad herois nescio cuius fanum pertinere iam constat vera lectione vs. 25 *ἀναγράψαι [δὲ τάσ]δε τὰς συνθήκας Εὐκράτην ἐν στήλει λιθίνει καὶ στῆσαι παρὰ τὸν ἥρω* (ubi *ἐν τῷ ἱερῷ* coniecerat Kirchh.) a R. Schoenio Gr. Reliefs n. 115 prolata, a Lollingio confirmata (Deutche Lit.-Zeit. 1882 n. 3 cf. *ἱερεὺς ἥρω ἀρχηγέτου κ. τ. λ.* in inscr. Rhamnusia Mitth. d. arch. Instit. IV 281.).

In donarii inscriptione autem quominus publicos Dianae sacrificulos intellegamus, praeter ipsum numerum (cf. cap. seq.) impedit quod metoeci duo in sacrificulorum numero recensentur *Χαβρίας ἰσοτελής* et *Παιδέας Σολεύς*: quibus publicum magistratum patuisse credibile non est. Itaque privati collegii, qualia multa in Piraeo erant, *ἱεροποιούς* agnosco Dianae tutelari deae donarium offerentes.

2. Columna prope Parthenonem eruta: Ross, de demis Att. n. 12 p. 40 = Rangabé II 1245 = Ἐφημ. I n. 175:

Ἐπὶ Καλ[λ . . . .]ου[1]) *ἄρχοντος οἵδε*
ἱεροποίησ[α]ν τὰ Ἀθήναια·
Ἐξάκεστο[ς] Λακιάδης.
Εὔανδρος [Σ]ουνιεύς.
Τιμόθεος [Ἁ]γνούσιος.
Ἐπικράτη[ς Σο]υνιεύς.
Τηλεφάν[ης Ἀλ]ωπεκῆθεν.
Μείδων Χο[λαρ]γεύς.
Ἅβρων Βα[τῆθ]εν.
Ἡρακλείδ[ης Μυῤ]ῥινούσιος.
Θεόφραστ[ος Ἁγ]νούσιος.
Ἱέρων Διο[μεύς].
Εὔνομος Κ . . . . . ινος.
Ἀρισ]τομέν[ης . . .]ρνασσεύς.
. . . . ος Ἀ . . . . . . ος
. . . . . ος . . . . . νος.

Verbum *ἱεροποίησ[α]ν* de ipsis publicis sacrificulis dictum esse senserunt praeter ipsum Rossium Mommsenius, Heortol. p. 314 adn. 1; p. 453 al. et Boeckhius, oec. publ. Athen. I p. 303. Quorum sententiam facere non possum quin reiciam. Ubicunque enim de eo munere verba fiunt ipsa muneris notio *ἱεροποιοί* addita est: Bull. V p. 361 *τοὺς ἱεροποιοὺς τοὺς τὰ μυστήρια ἱεροποιήσαντας* (cf. C. I. A. II 163: *τοὺς δὲ ἱεροποιοὺς τοὺς διοι[κοῦντας τ]ὰ Παναθήναια*), titt. Delii: *λόγος ἱεροποιῶν τῶν ἱεροποιησάντων.*

Solum *ἱεροποιεῖν* verbum ubi usurpatur non habet nisi universam sacra faciendi vel rerum divinarum curandarum significationem neque ad certum munus respicit. Hoc apparet ex C. I. A. II 607 ubi collegium *τῶν συλλογέων τοῦ δήμου* — de quo nuper docte disputavit U. Köhlerus, Mitth. des arch. Instit. VII p. 105 — honoribus ornat ex collegis duobus alterum quia [*καλῶς καὶ δικαίως καὶ προθύμως ἐπεμελ*]*ήθη*

---

[1]) *Καλ[λιμάχ]ου* (ol. 107,4 = $34^{7}/_{8}$) vel *Καλ[λιάρχ]ου* (ol. 119,4 = $30^{1}/_{2}$) supplendum videtur Rossio. Verum archon a. ol. 119,4 non *Καλλίαρχος* sed *Κλέαρχος* audit: cf. C. I. A II 611; Bull. de corr. hell. III p. 513.

πάντων ὧν αὐ[τῷ ἐπέταττον οἱ συνάρχοντες καὶ ἱ]εροποίησεν τῇ Ἀθ[ηνᾷ], alterum, quia [*ἱεροποίησεν τῷ Διῒ*] *τῷ Ὀλυμπίῳ*. Neque aliter haec vox est intellegenda apud Platon. Lys. 207 D: *μεταξὺ οὖν τις προσελθὼν ἀνέστησε τὸν Μενέξενον, φάσκων καλεῖν τὸν παιδοτρίβην· ἐδόκει γάρ μοι ἱεροποιῶν τυγχάνειν*, ubi improbabiliter C. Fr. Hermannus, ant. rel. § 11, 13 privatos sodaliciorum sacrificulos statuendos existimavit. Agitur de Hermaeis in palaestra celebratis. Praeterea de prytanibus dictum est et Antiph. de choreut. § 45: *καὶ εἰς τἆλλα πάντα ἱερὰ εἰσιὼν μετὰ τῆς βουλῆς καὶ θύων καὶ εὐχόμενος ὑπὲρ τῆς πόλεως ταύτης καὶ πρὸς τούτοις πρυτανεύσας —— καὶ ἱεροποιῶν καὶ θύων ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας*, et Dem. c. Mid. § 114: *εἴασε μέν με εἰσιτήρια ὑπὲρ τῆς βουλῆς ἱεροποιῆσαι καὶ θῦσαι καὶ κατάρξασθαι τῶν ἱερῶν ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ὅλης τῆς πόλεως*.

Accedit quod *τὰ Ἀθήναια* non possunt intellegi Panathenaea, id quod Rangabé putavit, quibus sacris nomen illud non ante imperatorum Romanorum aetatem adhibitum esse constet (Athen. XIII 12 p. 561 c; Paus. VIII, 2 1; cf. Boeckh. ad C. I. G. I n. 245). De Chalceis cogitavit Mommsenius in honorem Vulcani et Minervae Erganae quotannis celebratis; de quibus Suidas: *Χαλκεῖα· ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἅ τινες Ἀθήναια καλοῦσιν· οἱ δὲ Πάνδημον διὰ τὸ ὑπὸ πάντων ἄγεσθαι*. Addit idem huius festi sollemnia, cum primitus ab universo populo acta essent, paullatim ita deminuta esse ut postea a solis fabris celebrarentur (*ἑορτὴ ἀρχαία καὶ δημώδης πάλαι, ὕστερον δὲ ὑπὸ μόνων ἤγετο τῶν τεχνιτῶν κ. τ. λ.*). Atqui fabris solis sacrificulos publicos sacra fecisse aegre crediderim. Neque enim assentiri possum Mommsenio satis audacter contendenti die proximo ante Chalceorum diem festum proprium ab omnibus Atheniensibus semper celebrato sacrificulos Vulcano et Minervae res divinas obtulisse.

Denique decem sunt civitatis sacrificuli, quattuordecim nomina in titulo Rossiano habes. Quorum quattuor ultima[1])

---

[1]) *Κ[υκαλ]ῖνος* demoticum a *Κύκαλα* derivatum quod vs. 13 Rossius supplevit nusquam extat; requireretur formam *Κυκαλεύς*. Nec v. 15 recte proposuit idem *Ἀ[ραφήνι]ος*.

Rossium et Mommsenium non fugit ad metoecos referenda esse: quos ad hoc munus publicum suscipiendum esse admissos a probabilitate abhorret. Nam titulum Rossianum n. 21 ad prorsus diversos ἱεροποιούς spectare modo vidimus. Quodsi Mommsenio concedis quattuor illos peregrinos non esse nisi adiutores decem sacrificulorum (Heortol. p. 314 adn.), utique offendimus in eo, quod decemviri Athenienses non ex singulis tribubus singuli sunt creati; nam bini ex Leontide et Aegeide tribubus, tres ex Acamantide, singuli ex Oeneide, Antiochide, Pandionide petiti sunt (cf. cap. III).

His omnibus perpensis eo ducimur ut neque publicos ἱεροποιούς neque omnino certos ἱεροποιούς agnoscamus, sed collegium aliquod Minervae certa sacra facientium ex civibus et peregrinis mixtum. Quamquam confitendum est quod utroque titulo Rossiano statuimus exhiberi cives una cum metoecis in certas societates contributos, id exemplo prorsus idoneo carere[1]).

§ 2.

Sacrificuli aliarum civitatem.

Praeter Atticam civitates quae sacrificulorum munere usae sint ex inscriptionibus innotuerunt hae:

1. Maris Aegaei insulae:

a) Euboea: Rangabé, ant. hell. II 957, ubi vs. 7 nomen ἱεροποιοί mutatum est in ἱεροπωοί (ante saec. IV.). — De tit. Ἐφημ. IV 1628 vs. 5 sqq.: ἱεροποιήσαντες ἀνέθεσαν [τ]ὴν κρήνην Ἀσκληπιῷ κ. τ. λ. cf. quae p. 10 sq. de verbi ἱεροποιεῖν significatione disputavi.

b) Delus: C. I. G. 2266—2269. 2953 b (quem titulum cum Corsinius, notae Gr. dissert. VI p. 126 sqq. Smyrnae tribuat, Boeckhius Epheso, Delium esse Homollius, Bull. II p. 333 sqq. ita ostendit ut vix dubitationi locus sit); Bull. I p. 279 sq. (I—III); II p. 340—343, 570 sqq.; III p. 113; IV p. 349, 473 sq.; V p. 25 sqq., 465; VI p. 6—54, 135. Eodem spectat ex Homollii probabili sane sententia (ibid. p. 341 sqq.) Le Bas-Waddington II part. IV (insul.) n. 2092, quem

---

[1]) Ceterum cf. C. Schaefer, Jahrb. f. Phil. 1880 p. 418.

Le Bas Paro insulae adscripsit. Omnes hi tituli saec. a. Chr. n. III. et II. compositi sunt, i. e. liberae Deli tempore, cuius libertatis finis erat annus 166 (cf. Homolle, Bull. II p. 582; VI p. 1; Jebb, Journ. of hell. stud. 1880 I p. 32).

c) Myconus: Le Bas-Waddington II (insul.) 2057 (B), 2058 = Ἀϑήν. II p. 237 (ca. I. a. Chr. saec.).

d) Ius: Ross, inscr. Gr. ined. n. 94 = Rangabé II 752; cf. Keil, sylloge inscr. Boeot. p. 33.

e) Chius: C. I. G. II add. 2221 b (scr. Romani imperii tempore).

f) Rhodus: Ross, inscr. Gr. ined. n. 276. Camirus: Bull. V p. 336 sqq.; Newton, transact. of the royal soc. of lit. XI p. 435 sqq. Lindus: Foucart, inscr. ined. ins. Rhod. n. 60 = Rev. arch. XV p. 207; Foucart, ibid. n. 61 = Rev. arch. XV p. 219.

In Amorgi insulae tit. C. I. G. II add. 2264 l extr. non recte Boeckhius *ἱεροποιούς* agnovit *ἐπιμεληϑῆναι δὲ τῆς ἀναγραφῆς τοὺς πρυτάνεις τοὺς περὶ Ἀ . . . . ον . ε . . . . ανημ . . . . . [ἀναστ]ῆσαι τοὺς [ἱερο]ποι[ούς*: ubi vocis [*ν*]*ε*[*ω*]*ποι*[*ούς* vel rectius [*ν*]*ε*[*ω*]*ποί*[*ας* vestigia certa servantur' *ΤΟΥΣΜΕΘΠΟΙ* . . (cf. Ross, act. societ. Gr. Lips. II p. 75 sqq.). Idemque confirmatur aliis eiusdem insulae titulis; cf. Mitth. I p. 335 vs. 23 sqq.: *ἀναγράψαι δὲ αὐτοῦ τὴν προξενίαν τοὺς νεωποίας τοὺς περὶ Φανὸν εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Δηλίου καὶ τὸ δαπάνημα δοῦναι ἀπὸ τῶν προσόδων*. ibid. p. 342 vs. 13 sqq.: *ἀναγράψαι δὲ τόδε τ[ὸ ψή]φισμα πρὸ τῶν ϑυ[ρῶν], ἐπιμεληϑῆ[ναι] δὲ τοὺς νεωποίας*.

In Lesbiaco titulo C. I. G. II 2166 incertissimum est Boeckhii supplementum vs. 37 [*τ*]*ο*[*ὶς δ*]*ὲ ἱρῆας* [*τε καὶ ἱροποίοις πάντας καὶ*] *ταὶς ἱρείαις* [*τα*]*ὶς ἐν τοῖς ναύοις* [*παίσαις πρὸς τὰν εὐχὰν συνέλ*]*ϑην*.

Magis etiam improbandum est quod in titulo Cretico Rangabé II 2478 vs. 6 vocem [*ἱε*]*ρο*[*πο*]*ιῶ* posuit, cui opinioni ne litterae quidem ullo modo conveniunt (cf. Vischer, kl. Schr. II p. 106).

2. Ionia et coloniae Ionicae:

a) Teus: LeBas-Wadd. Asie min. n. 88 (saec. II. a. Chr.).

b) Erythrae: *Μουσεῖον καὶ βιβλ. τῆς εὐαγγ. σχολῆς ἐν Σμύρνῃ* a. 1875 n. 108 p. 103 = Rev. arch. N. S. 1877 p. 107 sqq.; idem *Μουσ.* 1875 p. 128 *μσ'*; 1878 p. 54 n. 126, p. 63 n. 148; 1880 p. 122 n. 156 = Bull. de corr. hell. III p. 388 sqq. (saec. III); Le Bas-Wadd. Asie min. n. 1536 (cf. Hamilton, Asia min. II n. 226), 1541 cf. Barth, Mus. Rhen. 1850 p. 26 (saec. II); Foucart, inscr. ined. ins. Rhodi p. 19 sqq. n. 5 (saec. III); Gurlitt, arch. epigr. Mitth. aus Oesterreich I p. 111: *ἐπὶ [ἱερο]ποιοῦ* (*[νεω]ποιοῦ* editor male).

c) Cyzicus: C. I. G. II 2157; Conze, Hauser, Niemann, Explor. Samothrac. I p. 43. Ibi feminae hoc munus gerunt: C. I. G. II 3657, quae vocantur *ἱεροποιοὶ θαλάσσιαι;* cuius generis sacrificulorum nulla alibi fit mentio. (cf. Marquardt Cyzicus p. 100 sqq.)

d) Cius: C. I. G. II 3723.

e) Odessus: C. I. G. II 2056 = Le Bas-Wadd. II (Béotie, Phocide etc.) n. 1569 (saec. II).

Cyzicum Cium Odessum colonias Milesias ex urbe Mileto ipsa hoc munus repetisse facile colligimus.

f) Naucratis in Aegypto: Athen. IV p. 149 d ex Hermiae *περὶ τοῦ Γρυνείου Ἀπόλλωνος* libro II.

Praeterea in Aegypti urbium nonnullis titulis qui sub Romanorum imperio prioribus p. Chr. n. saeculis exarati sunt *ἱεροποιοί* commemorantur.

α) Alexandria: C. I. G. III 4683 = Letronne, rech. p. serv. à l'hist. de l'Egypte p. 473 sqq. (saec. p. Chr. n. II).

β) Lycopolis: C. I. G. III 4707.

γ) προσκύνημα ἱεροποιοῦ Πτολεμαιέων C. I. G. III 5012 (saec. III p. Chr.): cives urbis Ptolemaidis (de ethnici forma cf. Steph. Byz. s. v. *Πτολεμαΐς*) Graecis institutis usos esse notum est (cf. Boeckhium ad C. I. G. III 4989).

Contra Ithacensis lapis vetustissimus nuper post Comparettium editus a Roehlio, inscr. Gr. ant. 336 in censum non venit: ubi quod editores restituunt *[Τᾶς?] Ἀθάνας τᾶς Ῥ[έας] κα[ὶ τᾶ]ς Ἥρας τὰ [ἔ]τεια· τοὶ [ἱ]εροπο[ο]ί με*

ἐ[πό]ησ[αν — —: ultima neque ex litterarum vestigiis detritis recte eliciuntur neque sententiam idoneam praebent.

Iam his quae congessimus in rationem vocatis cognoscimus omnes eas civitates quarum ἱεροποιοί memorantur ad Ionicam gentem pertinere excepta insula Rhodo. Nam quod in illis Aegypti urbibus quarum instituta ex imitatione Graecorum Asiae minoris efficta erant sacrificuli imperatorum Romanorum tempore inveniuntur, non moramur. Ionicum igitur nomen est magistratus; Ionum autem vicinorum institutum Rhodii quoque receperunt.

Cap. II.

DE COLLEGIIS SACRIFICULORUM.

Ἱεροποιούς collegia numero inter se diversa effecisse tituli docent. Raro unius tantum ἱεροποιοῦ fit mentio.

1. Amplissimum sacrificulorum collegium de quo constet Camiri est in urbe Rhodi, cuius duodecim nominantur Bull. de corr. hell. V p. 336 sqq., qui simul cum aliis urbis magistratibus et sacerdotibus subscripti sunt donario deis oblato. — In altera magistratuum tabula apud Rossium, inscr. ined. n. 276 sex recensentur eiusdem loci sacrificuli, qui alterum collegium effecisse videntur. Neque a vero abhorrere mihi videtur quod Rossius iudicavit hoc collegium ad Apollinis Erethimii fanum pertinere, quoniam inter eius rudera titulus repertus est. Ex reliquis vero Rhodi titulis certus sacrificulorum numerus erui nequit.

De Lindo tamen si coniecturam periclitari licet, quattuordecim ibi sacrificulos fuisse opinor, quia quattuordecim ex quibus Lindiorum civitas constabat pagi nobis noti sunt, qui nescio an singuli singulos sacrificulos praestiterint. Et undecim quidem pagos habes apud Foucartium, inscr. ins. Rhod. n. 60, de ceteris cf. Foucartium l. c. p. 68. Addas quod idem genus creationis ad ἱεροθύτας eiusdem urbis accommodatum esse veri haud dissimile est: quindecim extant in

titulo apud Rossium, Mus. Rhen. IV p. 161: ex quibus unum ἀρχιεροθύταν (cf. ibid. n. 16) separatim esse electum si facis, quattuordecim Lindi ἱεροθύτας fuisse ipsos quoque singulis ex pagis singulos creatos efficitur.

2. Decem publicorum sacrificulorum collegium est Athenis. Qui numerus plurimis Atheniensium magistratibus proprius ad decem tribus Atticas spectat, ex quarum singulis singuli sorte capi solebant. Tenebant hunc numerum Athenienses in aliis quoque sacrificulorum collegiis constituendis. Nam et Eleusiniorum qui mysteriorum sacra moderantur (Bull. de corr. hell. V 364) numerus et extraordinariorum Baccho aliisque deis res faciunt divinas (Ἀθήν. VI 482 n. 3) denarius est.

Neque vero recte Mommsenius (Heortol. p. 453, 314 adn., 174 adn.) titulo apud Rossium, de demis Att. n. 12 collato cum tit. Rangabé II 794 = C. I. A. II 305 statuit quattuordecim publicos sacrificulos Athenis fuisse. Nam in illo Rossiano titulo de ipsis sacrificulis non agi supra docui p. 10 sq.: in altero autem ne ipsum quidem nomen ἱεροποιῶν extat (vs. 9: ἐπειδὴ ο[ἱ ἱεροποιοί κ. τ. λ. supplevit editor Graecus; parum accurate Mommsenius p. 453 ο[ἱ ἱερο]ποιοί), neque est cur credamus sacra τῷ [Διῒ τῷ Σωτῆρι καὶ τ]ῇ Ἀθην[ᾷ τῇ Σω]τείρ[ᾳ (vs. 9) administrasse ἱεροποιούς, cum ex incriptione Boeckhii oec. publ. Athen. II tit. VIII § 2 vs. 10 (ex Boeckhii numeris): Ἐκ τῆς [θ]υσίας τῷ Διῒ τῷ Σωτῆρι παρὰ βοωνῶν· (χίλιαι πεντήκοντα) ad βοώνας id munus videatur pertinuisse. Denique illo loco non quattuordecim nomina sunt, sed tredecim: videntur duodecim curatores sacrorum ex singulis tribubus singuli electi esse eisque scriba additus.

Praeterea hac in re omittendos puto titulos Rangabé 1246, 1272; Ἐφημ. III 884 (ἱεροπο]ιοί), quibus nimis ambigua continentur.

Incerta res est de Eumenidum sacrificulorum numero: decem fuerunt, si quidem Etymol. M. audimus, ubi ex Dinarchi oratione in Lycurgi rationes habita refertur: καὶ τὰς Σεμνὰς Θεὰς αἷς ἐκεῖνος ἱεροποιὸς καταστὰς δέκατος αὐτός. Contra Dem. c. Mid. § 115 exhibet: περιεῖδε δὲ

ταῖς Σεμναῖς Θεαῖς ἱεροποιὸν αἱρεθέντα ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων τρίτον αὐτὸν καὶ καταρξάμενον τῶν ἱερῶν. Cuius numeri scholion ad haec verba adscriptum causam affert infeliciter excogitatam: *τρεῖς δὲ ἴσως ἐπέστησαν ἐπεὶ καὶ τρεῖς δοκοῦσιν εἶναι αἱ θεαί:* omnino Ulpiani qui dicitur ad Demosthenis orationes scholia sublestae fidei esse constat. Atque ex ipsa auctorum discrepantia prodiit adnotatio Photii incertum horum numerum esse affirmantis: *εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοι ἱεροποιοὶ τῶν Σεμνῶν Θεῶν, οἳ τὸν ἀριθμόν εἰσιν ἀόριστοι.* Certe nihil relinquitur nisi ut Boeckhii sententiam (oec. publ. Athen. I p. 302d) amplectamur, diversum illorum diversis temporibus numerum fuisse.

3. Quattuor sacrificulorum collegium occurrit in pagi Aexonae decreto C. I. A. II 581: *στεφανῶσαι αὐτῶν ἕκαστον θαλλοῦ στεφάνῳ: Ἀντίχαρ[μ]ον Ναύσωνος, Κα[λλί]αρχον (?) Χαιριγένους, Θεόδοτον Αἴσχρωνος, Ἀριστοκλέα (Κ)αλλιφῶντος.* Idem extat numerus in tetrapoli Attica: Mitth. III p. 261; quattuor sunt ex singulis oppidis ut par est singuli: *Μαραθώνιος, Τρικορύσιος, Οἰναῖος, Προβαλίσιος.* Nihil de numero docemur ex alio pagi titulo Mitth. IV 201.

Etiam in titulo Rossiano de demis Att. n. 21, de quo supra p. 9 dixi, licet dextra pars marmoris deficiat, quattuor recenseri videntur sacrificuli, si quidem omnium quae vss. 3 et 4 olim scripta fuerunt nominum vestigia sunt servata. Nam vs. 1 *Ἀρτέμ[ιδι]* rectius quam nomen proprium sacrificuli (velut *Ἀρτεμίδωρος*) explendum Rossius statuit; ibidem addito *ἀνέθηκαν* facile caremus.

Denique quattuor sunt sacrificuli Delii. De quibus cum alia testimonia sunt servata, tum rationes bonorum sacrorum: C. I. G. II 2953b, LeBas-Wadd. II 2092, Bull. II p. 570 sqq. VI p. 6 sqq. Tituli ultimo loco enumerati vs. 1: *Λόγος] ἱεροποιῶν τῶν ἱεροποιησάντων τὸν ἐνιαυτὸν τὸν ἐπ' ἄρχοντος Δημάρου, Ἀμφοτέρου τοῦ Ἀριστέου, Πολυξένου τοῦ Παρμενίωνος, Σιληνοῦ τοῦ Σιληνοῦ, Φιλίππου τοῦ Ἀκεσιμβρότου κ. τ. λ.*; iidem sunt vss. 39. 51. 72. 164. — Bull. II p. 570 vs. 11: (sc. *στάμνον*) *ὃν ἔθεσαν ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ] ἄρχοντος Δημά[κ]ο[υ] Πολύξενος, Ἀμφότερο[ς], Σιληνός,*

Φίλιππος· vs. 12: — *ὃν ἔθεσαν ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ Πολύβου Ἀριστόβουλος, Ἀκριδίων, [Κραταίβιος, Ἀντίγονος ....]*; iidem vss. 15. 25. 67; vs. 16: — *ὃν ἔθεσαν ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ Οἰνέως Ἄμνος, Ἀγόραλλος, Χαρίλας, Χαρικλ[είδης ......*, iidem vs. 65; vs. 17—18: — *ὃν ἔθεσαν ἱεροποιο[ὶ οἱ ἐπὶ ἄρχοντος Φωκαιέως, Ἀριστόβου]λος, Λύσης, Δημοχάρης, Δημόδοκος*· iidem vss. 38. 63. 71—72.

Quamquam his parum convenit quod aliis locis idem titulus duos profert sacrificulos: vs. 1: *λ]όγος [....... ἱεροποιῶν τῶν ἱεροποιησάντων ἐπὶ] ἄρχοντος Ἀμφικλέους, Ἀναξιθέμιδος τοῦ Πάχητ[ο]ς, Διογένου τοῦ Χ (?) ..... [τάδ]ε παρελ[άβομεν κ. τ. λ.* vs. 19: (sc. *στάμνον*) *ὃν ἔθεσαν ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ Πολυξένου Θεόδωρος καὶ Τιμόξενος*· vs. 32: — *ὃν ἔθεσαν ἱεροποιοὶ οἱ ἐ]πὶ Παρμενίωνος Γλαύκων καὶ Ἀνδρομένης*· cf. vss. 68. 73. vs. 56: — *ὃν ἔθεσαν ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ Περιάνδρου Χαρίστιος καὶ Φωκίων.*

In eiusdem lapidis altero latere (cf. Bull. II p. 338): *Τάδε παρ]ελάβομεν ἐν τῷ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος παρὰ ἱεροποιῶν Λυκομήδου καὶ Ἑρμ[ωνος καὶ] παρεδ[όσαμεν (?) .. ἐπ' ἄρχοντος ..]ους Εὐέλθοντι καὶ Παρμενίωνι κ. τ. λ.*

Bull. VI p. 6 vs. 3: (sc. *τόδε παρελάβομεν*) *παρ' ἱεροποιῶν Συνωνύμου καὶ Κρίττιος*· vs. 73—74: *τὸ δὲ λοιπὸν παρεδώκαμε[ν] τοῖς μεθ' αὐτοὺς ἱεροποιοῖς Δημητρίῳ καὶ Μειλιχίδη(ι)*; cf. 139—140. 238; p. 29 sqq. vs. 2. 216; sescenties in hoc titulo duo afferuntur, qui urnas in templo collocant (*στάμνον ἔθεσαν*).

C. I. G. II 2953 1 vs. 2 quidem omissa sunt nomina (cf. Boeckhii adn.), vs. 4 qui numerus fuerit agnosci nequit: — *ἀργύριον ἐν Ἀρτεμισίῳ παρὰ ἱεροποιῶν [τῶν] ἐ[π'] Ἀ* — — — — — —; at vs. 22: *τοῦτο παρέδομεν ἐν Ἀρτεμισίῳ ἱεροποιοῖς Εὐκλείδ[η* — — — *παρόντων κ. τ. λ.* plus duobus scriptos fuisse vix autumare licet. Perinde duo leguntur Le Bas-Wadd. II 2092 B vs. 46: .. *ΕΠΙΙΕΡΟΠΟΙΟΙ. ΑΡΙΣΤΕΑΙΚΑΙΔΙΑΚΡΙΤΩΙ κ. τ. λ.*

Itaque in titulis cum multo saepius duo quam quattuor recenseantur sacrificuli, Homollius Bull. VI p. 58 opinatur numerum quaternarium fuisse, binos sacrificulos negotia

perficere solitos esse. Quod quominus credamus obstant tituli Bull. II 570 vss. 1. 19. 32. 56 supra exscripti. Sed refutare hanc opinionem facilius est quam alia ratione rem satis difficilem explicare. Neque aliud quidquam ex titulis erui posse mihi videtur quam Deli modo quattuor modo duos sacrificulos prout civitas decrevisset electos esse.

Ipsius vero numeri quaternarii originem si quis revocandum putat ad quattuor populi partes tales quales olim communes gentium Ionicarum fuerunt (cf. Hermann, ant. publ. Gr. I § 94), non habeo quod opponam in tanta rei obscuritate.

4. Duo extant Cyziceni sacrificuli. C. I. G. II 2157 in titulo Samothracio donario quod a Cyzicenorum *ἱεροποιοῖς* iisque qui mysteriis Samothraciis initiati sunt in delubro Samothracae dedicatur subscripta sunt duo *ἱεροποιῶν* nomina, tria *μυστῶν*: *Κυζικηνῶν ἱεροποιοὶ καὶ μυστηρίων εὐσεβεῖς ἐπὶ Ἀντιγένους τοῦ Ἑρμαγόρου ἱππάρχεω*, [*ὡς δὲ*] *Σαμοθρᾷκες ἐπὶ βασιλέως Ἀριδήλου* [*τοῦ*] — — *ιχος*,

Παρμενίσκος Ἀρίστεω [*μύσ*]*ται εὐσεβεῖς*
Ξένος Φιλοξένου *Ἀσκληπιάδης Ἀ*[*ττ*]*άλου*
Θερσίων Ἡρογείτ[*ονο*]*ς* (?)
Κυβερνήτης Μηνοφίλου.

Alter eiusdem numeri testis est titulus descriptus apud Conze, Hauser, Niemann, Explor. Samothr. I p. 43 n. 21, ubi similis est ratio inter Cyzicenos et Samothraces. Legimus enim: *Ἐπὶ βασιλέως Εὐμάχου τοῦ Τημένου, ὡς δὲ Κυζικηνοὶ ἄγουσιν ἐπὶ Ἱππονίκου τοῦ Λυσαγόρου ἱππάρχεω· ἱεροποιο*[*ί*] *οἱ ἀποσταλέντες ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Κυζικηνῶν* [*Δ*]*ιογένης Ἀττάλου, . . . γος Θεοχάρου* . . . . His duobus nominibus alia addita non fuisse videntur.

5. Unus sacrificuli munere fungitur Odessi: C. I. G. II. 2056 (Ross, inscr. Gr. ined. p. 292): *τὸν δὲ ἱεροποιὸν ἀναγράψαι τὸ ψήφισμα τοῦτο εἰς τελαμῶνα καὶ θεῖναι εἰς τὸ ἱερόν.*

Denique unus est eponymus Erythrarum urbis sacrificulus: Bull. III p. 388 sqq.; Le Bas-Wadd. III 1536 et 1541 add.; Foucart, inscr. ins. Rhod. n. 5; Rev. arch. N. S. XXIII, p. 105 sqq.; *Μουσ. καὶ βιβλ. εὐαγγ. σχολ. ἐν Σμύρνῃ* a. 1875 p. 128 *μσ'*, 1878 p. 54 n. 126, p. 63 n. 148.

In plerisque titulis nihil nisi simplex pluralis *οἱ ἱεροποιοί* apparet numero non addito. Nonnunquam usurpatur vox *συνιεροποιοί*: Bull. III p. 513: *ἱεροποιὸς λ[αχ]ὼν μετὰ τῶν ἄλλων συνιεροποι[ῶ]ν* in thiasotarum Atticorum decreto. Cf. titulum Delium ex adnotatione (2) Homollii Bull. VI p. 58: *ἱεροποιοὶ οἱ ἐπ' ἄρχοντος Λυσιξένου Ἐλπίνης Ἀνδρία καὶ οἱ συνιεροποιοί.*

Cap. III.
DE SACRIFICULORUM CREATIONE.

A) Graecorum magistratus partim sorte ducuntur partim suffragiis adhibitis eliguntur. Utrumque creandi genus in magistratibus de quibus agimus instituendis usu venit. Nam saepissime vocantur aut *κληρωτοί* vel *λαχόντες* aut *αἱρεθέντες* sive *χειροτονηθέντες*.

I. Sortito captos esse

1. decem Athenis sacrificulos publicos *κατ' ἐνιαυτόν* ex lexicorum locis compertum habemus: *κληρωτοὶ ἄρχοντες κ. τ. λ.* Phot. Etymol. M. s. v. Lex. Seguer. p. 265. — Aliud testimonium exhibetur apud [Dem.] c. Theocr. § 29: *καὶ τὴν μὲν ἀρχὴν ἣν ἐκεῖνος ἄρχων ἐτελεύτησεν, ἱεροποιὸς ὤν, παρὰ τοὺς νόμους ἦρχεν οὗτος, οὔτε λαχὼν οὔτ' ἐπιλαχών*, unde confirmatur una cum decem sacrificulis decemviros creatos esse, ut, si quis illorum in examine quod *δοκιμασίαν* Graeci vocant reiectus sive mortuus esset, eius in locum alter substitueretur.

De Eleusiniorum sacrificulis infra accuratius exponendum erit.

2. Idem valere de paganorum sacrificulis testatur C. I. A. II 581: *ἐπειδὴ οἱ λαχόντες ἱεροποιοὶ εἰς τὸ τῆς Ἥβης ἱερὸν δικαίως καὶ φιλοτίμως ἐπε[μ]ελήθησαν κ. τ. λ.*

Neque aliud de privatarum societatum *ἱεροποιοῖς* docent thiasotarum decreta Bull. III p. 510 = *Ἀθήν.* VIII p. 296 sqq.: *ἱεροποιὸς λ[αχ]ὼν* (*α[ὐτ]ῶν* minus recte *Ἀθήν.* l. l.) *μετὰ τῶν ἄλλων συνιεροποι[ῶ]ν*, et C. I. A. II 611 vs. 38—39: *τοὺς ἱεροπο(ι)οὺς τοὺς ἀεὶ λαγχάνοντας ἱεροποεῖν.*

Omnino omnium collegiorum sacrificulos sortito creatos esse sumendum est; eodemque referendum verbum *γενόμενος* quod in eadem inscriptione extat Bull. III p. 513 vs. 46, ubi notio sortiendi in praecedentibus clare expressa est; item C. I. A. II 615 vs. 5: *ἱε]ροποιὸς γενόμενος*. Contra in dubio relinquenda eiusdem vocis significatio in titulo Aegyptio C. I. G. III. 4707 vs. 1 sqq.: *Ἀπολλώνιος Ἑρμογένους γυμνασιαρχήσας καὶ ἀγορανομήσας καὶ ἀρχιερεὺς γενόμενος καὶ ἱεροποιὸς γενόμενος κ. τ. λ.*

II. Suffragiis ad sacrificulorum munus suscipiendum electi sunt

1. Eumenidum *ἱεροποιοί:* Dem. c. Mid. § 115: *περιεῖδε δὲ ταῖς Σεμναῖς Θεαῖς ἱεροποιὸν αἱρεθέντα ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων.* De iisdem igitur in eiusdem orationis § 171 agitur: *ἐχειροτονήσατε μυστηρίων ἐπιμελητὴν καὶ ἱεροποιόν ποτε καὶ βοώνην κ. τ. λ.* Parum definita est notio creandi in loco Dinarchiano: *καὶ τὰς Σεμνὰς Θεὰς αἷς ἐκεῖνος ἱεροποιὸς καταστὰς δέκατος αὐτός.*

2. Extra ordinem a senatu creantur *ἱεροποιοί* qui sacra conficiant propter salutem totius populi Atheniensium eiusque rerum omnium *Ἀθήν.* VI 482 vs. 3. 23: *οἱ ἱεροποιοὶ οἱ αἱρεθέντες ὑπὸ τῆς βουλῆς· ὑπὲρ τῶν ἱερῶν κ. τ. λ.*

Non minus a senatu institutos esse qui C. I. A. II 329 (in decreto altero) cum senatus quaestore sacrificare dicuntur pro certo habeo.

3. Idem creandi genus adhibetur in Lindiorum civitatis sacrificulis: Foucart, inscr. ined. ins. Rhodi n. 60:

Ἔδοξε μάστροις καὶ Λινδίοις, ἐπιστατᾶν [γνώμη·]
Ἐπειδὴ ἐπιστάται αἱρεθέντες ὑπὸ Λινδίων Ἀνάξανδρος Ἐ[ρ]ά-
[τω]νος Κα[μ]ύνδιος, Λυσίας Λυσικράτεος Δαδάρ[μι]ος
καὶ τοὶ αἱρεθέντες ἄνδρες
συναγωνίσασθαι ταῖς δίκαις
(sequuntur triginta nomina)
ἄνδρες ἀγαθοὶ ἐγένο[ν]το, [ε]ὖ δ[ὲ] φυλά[ξ]αντες Λινδίο[ι]ς ὅπως ταὶ αἱρέσιες γίνωνται ἐν Λίνδῳ τῶν ἱερέων καὶ

ἱεροθυτᾶν καὶ ἱεροποιῶν καὶ τῶν ἄλλων [ἐ]πὶ τὰ [κ]οινὰ τασσομένων [εἰς εὐαρ]έσ[τησιν αὐτῶν Λινδίων κ. τ. λ.

Nimirum magistratus Lindiorum omnes, et qui ad deorum cultum pertinent et qui munera civilia gerunt, suffragiis factos esse ex hoc titulo cognoscitur, cf. verba *ἐπιστάται αἱρεθέντες, αἱρεθέντες ἄνδρες συναγωνίσασθαι ταῖς δίκαις*, deinde vs. 40 *καὶ τῶν ἄλλων [ἐ]πὶ τὰ [κ]οινὰ τασσομένων* (cf. Foucarti ad hunc tit. adn.).

In aliis civitatibus qualis sacrificulorum fuerit creatio ex titulis non cernitur.

B) Postquam quomodo sacrificuli creari soleant vidimus, nunc est quaerendum, ex quibus electi sint. Qua de re quod quidem ad decem publicos Atheniensium attineat nihil titulis continetur. Ex civibus eos creatos esse consentaneum est: certe quod ex titulo Rossiano de demis Att. n. 12, ubi quattuor ultima nomina peregrinorum sint, peregrinis quoque ad hunc magistratum aditum fuisse Rossius et Boeckhius oec. publ. Athen. I p. 302 contenderunt, eum titulum huc omnino non pertinere supra p. 10 sqq. demonstravimus. Atque recte H. Sauppius [1]) in numero eorum magistratuum denariorum quorum singuli ex singulis tribubus creati sint enumerat cum multos alios tum sacrificulos.

Pariter singuli ex singulis tribubus destinati sunt sacrificuli extraordinarii *Ἀθήν.* VI 482, quod demotica probant.

Contra tribuum ordine non observato ex omnibus Atheniensibus ut solet fieri in magistratu suffragiis creando eliguntur Eumenidum *ἱεροποιοί*: Dem. c. Mid. § 115: *περιεῖδε δὲ ταῖς Σεμναῖς Θεαῖς ἱεροποιὸν αἱρεθέντα ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων κ. τ. λ.*

Iam singulari modo eliguntur sacrificuli ii qui sacris Eleusiniis operam dant. Qui cum in antiquo titulo C. I. A. I 5 *ἱεροποιοὶ Ἐλευσινίων* iidemque in inscriptione gravissima Eleusinia aetatis Pericleae nuper reperta (Bull. de corr. hell. IV p. 226 sqq.), qua de rebus

---

[1]) Commentatio de creatione archontum Att. Gotting. 1864 p. 22.

sacris templi Eleusinii administrandis praecipitur, *οἱ ἱεροποιοὶ οἱ Ἐλευσινόθεν* appellentur, quo a decem publicis ἱεροποιοῖς distinguantur: non sine causa Foucartus (l. c. p. 233) eos ex ipsis Eleusiniis eligi solitos fuisse suspicatus est. Ea sententia nititur loco Paus. I 38, 3 de Eleusiniorum antiquissimo cum Atheniensibus pacto: *γενομένης δὲ Ἐλευσινίοις μάχης πρὸς Ἀθηναίους ἀπέθανε μὲν Ἐρεχθεὺς Ἀθηναίων βασιλεύς, ἀπέθανε δὲ Ἰμμάραδος ὁ Εὐμόλπου· καταλύονται δὲ ἐπὶ τοῖσδε τὸν πόλεμον, ὡς Ἐλευσινίους ἐς τὰ ἄλλα Ἀθηναίων κατηκόους ὄντας ἰδίᾳ τελεῖν τὴν τελετήν.* Quod etsi ante omnia ad sacerdotia religiones sollemniaque ipsorum mysteriorum quorum cura nobilibus familiis Eleusiniis delata erat referendum est[1]), tamen etiam sacrificia administrationemque sacrorum Eleusiniis in Atticam civitatem receptis per privilegium relictam esse facile statuimus[2]). Neque inter fana a quaestoribus *τῶν ἄλλων θεῶν* administrata Eleusinium templum memoratur. Ceterum quo modo isti sacrificuli electi sint parum liquet: sorte creatos esse eos exemplum publicorum sacrificulorum persuadere videtur.

Ab his autem Eleusiniorum sacrificulis omnino discernendi sunt qui in titulo Attico recens reperto exhibentur decem *ἱεροποιοὶ οἱ τὰ μυστήρια ἱεροποιοῦντες* (Bull. de corr. hell. V 361 sqq.). Ii omnes ex prytanibus sunt et a contribulibus prytanibus propter negotia bene gesta collaudantur. Hinc docemur praeter collegium sacrificulorum Eleusiniorum quibus templi et sacrarum rerum administratio obtigit etiam proprios ab Atheniensium senatu ἱεροποιούς ad mysteria celebranda destinari solere ex prytanibus eligendos eius tribus quae festorum Eleusiniorum tempore (i. e. mense Boëdromione) senatui praeerat. Qui quidem num sorte creati sint an suffragiis prorsus incertum est.

---

[1]) Cf. Lobeck, Aglaoph. Eleus. § 16 init., p. 213 sqq.

[2]) Idem iudicandum de *ἐπιστάταις Ἐλευσινόθεν* qui innotuerunt ex titulo a. 329/8 cum maxime a Foucarto edito Bull. de corr. hell. VII 388 sqq.: *Λόγος ἐπιστατῶν Ἐλευσινόθεν καὶ ταμιῶν τοῖν Θεοῖν κ. τ. λ.* Quaestores duos ex omnibus Atheniensibus creari Foucartus putat.

Sacrificuli paganorum ex paganis, collegiorum sacrorum ex collegis ipsis creantur: in quibus si cives et metoeci mixti erant, utriusque generis sacrificuli esse poterant. Quod efficitur ex titulo de quo supra p. 9 egimus: ubi primus *ἱεροποιός* Polyeuctus ad Acharnas pagum Oeneidis tribus pertinet, alter Boethus civis est pagi Ancylae Aegeidis tribus. Nam *Ἀγκυ[λῆθεν* rectius quam *Ἀγκυ[ρανός* supplevit Rossius: tertio enim loco sequitur *ἰσοτελής* Chabrias, agmen claudit inquilinus Paedeas Solensis.

C) Restat ut paucis explicem, a quo electi sint sacrificuli qui sortitione non ducuntur. Eumenidum *ἱεροποιούς* a populo ipso in contione electos esse ea quae supra attuli evincunt. Contra ab Areopago eos electos esse legimus in scholio ad Dem. c. Mid. § 115 adscripto: *Ἡ ἐξ Ἀρείου δὲ πάγου βουλὴ τὸν ἱεροποιὸν ᾑρεῖτο. Ἐπειδὴ γὰρ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ τὰ τῶν ἱερῶν τῶν Εὐμενίδων ἐπετέτραπτο καὶ πλησίον ἵδρυτο τῆς βουλῆς κ. τ. λ.* Atqui neque in ipsa oratione neque alibi usquam creationis ab Areopago institutae fit mentio: unde non dubito scholio omnem fidem denegare. Improbanda igitur quae O. Muellerus, Aeschyl. Eum. p. 179 statuit: adeo rem publicam Atheniensium Dearum cultum observasse ut proprios iis sacrificulos institueret per Areopagum ex populo eligendos: quamquam placuerunt Schoemannio, ant. iur. publ. Gr. p. 301.

A senatu electi sunt sacrificuli extraordinarii *Ἀθήν.* VI 482 vs. 3. 23: *οἱ ἱεροποιοὶ οἱ αἱρεθέντες ὑπὸ τῆς βουλῆς κ. τ. λ.* et C. I. A. II 329; cf. supra p. 21 [1])

De ceterarum civitatium sacrificulis nihil certius docemur, nisi quod Lindi quoque per populi comitia creatos esse *ἱεροποιούς* qui memorantur apud Foucart, inscr. ined. ins. Rhodi n. 60 curantibus duobus epistatis trigintaque iudicibus ex his verbis luculenter perspicitur: *ἐπειδὴ — ἄνδρες ἀγαθοὶ ἐγένο[ν]το [ε]ὖ δ[ὲ] φυλά[ξ]αντες Λινδίο[ι]ς*

---

[1]) De cura rerum sacrarum senatui commissa cf. quae disseruit V. Heydemann, de senatu Athen. quaest. epigraph. sel. (diss. Argentor. a. 1880) p. 49 sqq.

ὅπως ταὶ αἱρέσιες γίνωνται ἐν Λίνδῳ τῶν ἱερέων καὶ ἱεροθυτᾶν καὶ ἱεροποιῶν κ. τ. λ.

Cap. IV.
DE MUNERIS TEMPORE.

A) In annum Athenis decem civitatis sacrificulos creatos esse adiecta muneri *κατ' ἐνιαυτόν* notio probat. Cuius gravissimum extat testimonium C. I. A. I 188 = Boeckh, oec. publ. Athen. II tit. I., quo titulo rationes continentur expensarum archonte Glaucippo (Ol. 92,3 = 410/9) factarum. Atque in secundae prytaniae expensis haec recensentur vs. 5—7: *Ἐπὶ τῆς Αἰγηΐδος δευτέρας πρυτανευούσης ἀθλοθέταις παρεδ[ό]θη εἰς Παναθήναια τὰ μεγάλα Φίλωνι Κυδαθηναιεῖ καὶ συνάρχουσιν Ἀθηναίας Πολιάδος (πέντε τάλαντα χίλιαι), ἱεροποιοῖς κατ' [ἐ]νιαυτὸν Διύλλῳ Ἐρχιεῖ καὶ συνάρχουσιν εἰς τὴν ἑκατόμβην (πεντακιςχίλιαι ἑκατὸν τέσσαρες καὶ δέκα).* Eodem modo vocantur apud Boeckhium l. c. tit. VIII, cuius vs. 35 recte Boeckhius (§ 3 vs. 3) supplevit *[ἐκ Πανα]θηναίων παρὰ [ἱεροποιῶν κατ' ἐνιαυτὸ]ν [(πεντακόσιαι ἕνδεκα δρ. εἰς ὀβ.).*

Per idem temporis spatium Eleusinios sacrificulos munere functos esse puto eam ob rem quia iis sacrorum bonorum in templo Eleusinio administratio delata est: C. I. A. I 1, Bull. IV p. 226.

Ad civitatis exemplum collegia quoque annuos sacrificulos habebant. Etenim Bull. III 570 sqq. honoribus ornatur a thiasotis Stephanus quidam, qui *ἐπὶ Νικοκλέους ἄρχοντος* (a. 302/1 a. Chr. n.) munere *ἐπιμελητοῦ* functus est, sequenti anno *ἐπὶ Κλεάρχου ἄρχοντος* munere *ἱεροποιοῦ*, proximo anno *ἱεροποιοῦ* iterum *ἐφ' Ἡγεμάχου ἄρχοντος*. Aliud exemplum praestat tit. Ross, de demis Att. n. 21, ubi *ἱε]ροποιοὶ οἱ ἐπὶ Φιλιππίδου* significat sacrificulos per eum annum munere functos quo Philippides sacerdotio praeerat.

Idem de orgeonibus inde sequitur quod sacrificuli C. I. A. II 610 altero cuiusque mensis die collegarum contionem

una cum curatoribus convocare iubentur vs. 16 sqq.: *ἀγο[ρὰν δὲ κ]αὶ [ξ]ύ[λλ]ογον ποιεῖν τοὺς ἐπιμελητὰς καὶ τοὺς ἱεροποιοὺς ἐν τῷ ἱερ[ῷ] πε[ρὶ τῶν κοιν]ῶν τῇ δευτέρᾳ ἱσταμένου τοῦ μηνὸς ἑκάστου.* — Simile est quod praescribitur iis in Sarapiastarum decreto C. I. A. II 617 vs. 13 sqq.: *ἀναγορεύειν [αὐ]τῶν τὰ ὀν[όματα τ]οὺς ἱεροποιοὺς ἀεὶ κα[θ' ἑ]κάστην θ[υσίαν μετ]ὰ τὰ ἱερά*[1]).

Etiam in aliis civitatibus annuos hos magistratus fuisse ex nonnullis titulis potest evinci. Veluti Deli in insula constanter notatur quo archonte sacrificuli munus administraverint, e. g. Bull. II 570 init.: *λ]όγος [....... ἱεροποιῶν τῶν ἱεροποιησάντων ἐπὶ] ἄρχοντος Ἀμφικλέους*; idem fere C. I. G. 2953 b; saepissimeque in rationibus legimus verba *ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ ἄρχοντος (τοῦ δεῖνος)*. Denique recensentur rationes et expensi et accepti uniuscuiusque duodecim anni mensium, e. g. Bull. V p. 25: *καὶ τάδε εἰσήκει ἐκ τῆς φιάλης Ληναιῶνος (τρεῖς δρ. τρεῖς ὀβ.), μηνὸς Ἱεροῦ (δύο δρ. ... ὀβ.)*, cf. Bull. VI 6 sqq. 61 sqq. al.

Erythrarum sacrificulum eponymum per annum muneri praeesse ut per se intellegitur ita inde quoque agnoscitur quod haud raro mensis alicuius notio additur notioni magistratus, qualia habes Rev. arch. N. S. XXXIII p. 105 sqq. vs. 23: *Ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἑρμο[κλ]είτου, μηνὸς Ληναιῶνος*,

vs. 36: *ἐφ' ἱεροπο[ιοῦ] Φανοτίμου, μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος.*

ibid. p. 114 sqq. vs. 45: *ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἀπατουρίου, μηνὸς Ληναιῶνος*, cf. vs. 50. ibid. p. 118 vs. 7—8.

Bull. III p. 390: *ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἀπατουρίου, μηνὸς Ἀρτεμισιῶνος.*

Adde praescripta saepe repetita Bull. III p. 390 vs. 3—4: *οἱ στρατηγοὶ οἱ στρατηγήσαντες τὴν πρώτην τετράμηνον ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἡγησαγόρου κ. τ. λ.* — *Μουσ. καὶ βιβλ. τῆς εὐαγγ. σχολ. ἐν Σμύρνῃ* a. 1875 p. 128: *τοὺς στρατηγήσαντας ἐπὶ ἱεροποιοῦ Χρυσογόνου τὴν δευτέραν τετράμηνον* al.

Idem valet de Cyzici sacrificulis C. I. G. 2157: *Κυζικηνῶν ἱεροποιοὶ καὶ μυστηρίων εὐσεβεῖς ἐπὶ Ἀντιγένους τοῦ*

---

[1]) Cf. Foucart, ass. relig. p. 28 sq.

Ἑρμαγόρου ἱππάρχεω, [*ὡς δὲ*] *Σαμοθρᾷκες ἐπὶ βασιλεως Ἀριδήλου*; et de Lindi *ἱεροποιοῖς*, de quibus conferendus est Foucartus, inscr. ined. ins. Rhodi p. 74.

Denique in universum omnes sacrificulos qui pariter atque Eleusinii et Delii sacrorum administrandorum officia praestant annuos fuisse non est cur pluribus explicemus (cf. commentationis huius cap. seq. et part. II § 2).

B) Contra in certum datumque brevius temporis spatium creantur Athenis Eumenidum sacrificuli, *ἱεροποιοὶ οἱ τὰ μυστήρια ἱεροποιοῦντες* ex prytanibus delecti, extraordinarii quos memorat tit. *Ἀθήν.* VI p. 482. Certa scilicet negotia his mandantur, quae ubi perfecerunt rationemque pecuniae publicae sacrificando consumptae reddiderunt magistratu abeunt.

Ceterum qui ad certas res sacras peragendas creantur ab annuis *ἱεροποιοῖς* distingui appellatione *ἐπιμήνιοι* Boeckhius statuit (oec. publ. Athen. I p. 302; cf. C. I. G. 3641 b II p. 1133)[1]: cum *ἐπιμήνιοι* designari soleant qui aut per totum annum certis uniuscuiusque mensis diebus aut per singulos menses fungantur rebus sacris. Pariter C. F. Hermannus (antiq. relig. § 11, 14) nisus Hesychii glossa *ἐπιμήνιοι· οἱ ἱεροποιοί κ. τ. λ.* ipsos *ἱεροποιούς*, si in singulos menses instituantur, *ἐπιμηνίους* appellari opinatur *ἱεροποιοῖς τοῖς κατ' ἐνιαυτόν* opponendos. Cui opinioni repugnat quod neque vox *ἱεροποιοί* cum notione *ἐπιμήνιοι* coniuncta usquam reperitur — apud Athenienses ne comparent quidem *ἐπιμήνιοι* — neque ipsa *ἐπιμηνίων* officia qualia ex inscriptionibus innotuerunt omni ex parte conveniunt *ἱεροποιῶν* muneri. Quod accuratius apparebit ex eis quae de *ἐπιμηνίων* natura deque eorum cum *ἱεροποιοῖς* ratione in appendice huius commentationis singillatim exponentur.

---

[1]) Cf. Barthelemius, Mém. d. l'Acad. des inscr. XLVIII p. 337 sqq., Seldenus, Marm. Oxon. p. 163 Maitt.

Cap. V.
DE MUNERIS GENERE ET NATURA.

Munus sacrificulorum publicorum Atheniensium *ἀρχή* est, cuius rei iam in eis quae exposuimus indicia satis manifesta deprehenduntur. Habent enim omnes *ἀρχῆς* quam Graeci vocant notas proprias: sorte ducuntur, in annum creantur, collegium decem virorum efficiunt. Idem diserte probat [Demosth.] c. Theocr. § 29: *καὶ τὴν μὲν ἀρχὴν ἣν ἐκεῖνος ἄρχων ἐτελεύτησεν ἱεροποιὸς ὢν κ. τ. λ.* Quapropter Pollux VIII 114 *καὶ τειχοποιοὶ δὲ καὶ ἱεροποιοὶ καὶ βοῶναι ὑπηρεσιῶν ὀνόματα* non rectius de *ἱεροποιοῖς* valet vox *ὑπηρεσία* quam de boonis[1]) et *τειχοποιοῖς*.

Confirmatur vero ea res aliis argumentis ex ipsis titulis depromptis.

Atque in inscriptione Panathenaica C. I. A. II 163 in numero summorum Athenis magistratuum, post prytanes archontes Deae quaestores, ante strategos et taxiarchos recensentur vs. 8: *ϑ]ύειν δὲ τοὺς ἱεροποιοὺς νείμαντ[ας τοῖς πρυτάν]εσιν πέντε μερίδας καὶ τοῖς ἐννέα ἄρ[χουσιν .....] καὶ ταμίαις τῆς ϑεοῦ μίαν καὶ τοῖς ἱερ[οποιοῖς μίαν] καὶ τοῖς στ[ρατ]ηγοῖς καὶ τοῖς ταξιάρχ[οις ..... καὶ τ]οῖς πομπ[εῦσι]ν τοῖς Ἀϑηναίοις καὶ τα[ῖς κανηφόροι]ς κατὰ (τὰ) εἰω[ϑότα], τὰ δὲ ἄλλα κρέα Ἀϑηναίο[ις μερίζειν.*

Idem significatur verbis tituli C. I. A. I 188 vs. 5—7: — *ἱεροποιοῖς κατ' [ἐ]νιαυτόν, Διύλλῳ Ἐρχιεῖ καὶ συνάρχουσιν. Ἄρχοντες* enim etsi nonnunquam ii quoque dicuntur quibus curatio quaedam commissa est, tamen in sermone sollemni non intelleguntur nisi magistratus qui alicuius rerum publicarum partis administrationi per annum praefecti sunt.

Certe autem ad magistratum iustum referendum est quod *ἱεροποιοί* iure coercitionis utuntur. Cum enim in Panathenaeorum die festo pompam ducant sollemnibusque

---

[1]) Cf. de boonis praeter Dem. c. Mid. § 171 Harpocratio: *ὅτι λαμπρὸς ἦν ὁ βοώνης καὶ αἱ μέγισται ἀρχαὶ ἐπὶ τούτῳ ἐχειροτονοῦντο*, Suidas s. v., Lex. Seguer. p. 219. Boeckhius, oec. publ. Athen. I p. 303.

nocturnis operam dent, iis mandatur, ut eos qui ipsis non obtemperaturi sint poenis afficiant lege constitutis: C. I. A. II 163 vs. 31: *τοὺς δὲ ἱεροποιοὺς τοὺς διοι[κοῦντας τ]ὰ Παναθήναια τὰ κατ' ἐνιαυτὸν ποεῖν τὴν πα[ννυχίδα] ὡς καλλίστην τῇ θεῷ καὶ τὴν πομπὴν πέμπε[ιν ἅμα ἡ]λίῳ ἀνιόντι ζημιοῦντας τὸν μὴ πειθαρχο[ῦντα ταῖς ἐκ] τῶν νόμων ζημίαι[ς].* Voces *ζημιοῦντας* et *ζημίαις* cum ad multas referendae sint, *ἐπιβολῆς* ius quod proprium est magistratuum Atheniensium non defuisse sacrificulis probabile est. Et Rangabis quidem titulum illum explicans eos a sacrificulis punitos esse censet qui, cum sacra sumptibus suis ornare et ampliora reddere publice iussi sint, participes pompae ducendae esse noluerint. Quod mihi a simplici interpretandi ratione videtur abhorrere: immo veri similius esse magisque sententiarum nexui convenire in ipsa pompa ducenda ludisque administrandis eorum fuisse ut disciplinam servarent eosque qui dicto audientes non essent in ordinem cogerent. Cuius rei similitudinem agnoscimus in nobilissima inscriptione de mysteriis Andaniae celebrandis ap. Le Bas-Foucart. II 326 a (cf. Sauppius die Mysterien-Inschrift aus Andania Gott. 1860) vs. 40 sqq. ubi *ῥαβδοφόροις* haec negotia mandantur: *ῥαβδοφόροι δὲ ἔστωσαν ἐκ τῶν ἱερῶν εἴκοσι, καὶ πειθαρχούντω τοῖς ἐπιτελοῦντοις τὰ μυστήρια καὶ ἐπιμέλειαν ἐχόντω ὅπως εὐσχημόνως καὶ εὐτάκτως ὑπὸ τῶν παραγεγενημένων πάντα γίνηται καθὼς ἂν παραγγέλλωντι οἱ ἐπὶ τούτων τεταγμένοι, τοὺς δὲ ἀπειθοῦντας ἢ ἀπρεπῶς ἀναστρεφομένους μαστιγούντω κ. τ. λ.* — Eodem officio in titulo Iliensi C. I. G. II 3599 funguntur homines ad disciplinam in pompa Minervae custodiendam instituti vs. 27 sqq.: *καθιστάναι [δὲ καὶ ἄνδρας — — —] τοὺς τῆς εὐταξίας ἐπιμελησομένους, καὶ τοὺς κατασταθέντας ἔχειν [ἐξουσίαν τοὺς ἀτακτ]οῦντας τῇ ῥάβδῳ κολάζειν.*

Quae potestas qualis in publicis epulis Atheniensium fuerit illustratur loco Athenaei IV 14 p. 137 f ex Chrysippi libro quarto *περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς* petito: *Ἐν Ἀθήναις δὲ ἱστοροῦσιν οὐ πάνυ ἀρχαίων δυοῖν γενομένων δείπνων, ἐν Λυκείῳ τε καὶ Ἀκαδημείᾳ, τοῦ μὲν εἰς τὴν*

Ἀκαδήμειαν εἰσενέγκαντος ὀψοποιοῦ λοπάδα πρὸς ἑτέραν τινὰ χρείαν τὸν κέραμον κατᾶξαι πάντα τοὺς ἱεροποιούς, ὡς μακρόθεν οὐκ ἀστείας παρεισδύσεως γενομένης, δέοντος ἀπέχεσθαι τούτων τῶν μακρόθεν· τὸν δ' ἐν τῷ Λυκείῳ κρέας ταριχηρὸν εἰς τάριχος διασκευάσαντα μαστιγωθῆναι ὡς παρασοφιζόμενον πονηρῶς.

Ut ceteri magistratus ita sacrificuli munere perfuncti rationes publice reddunt: id quod de extraordinariis quoque *ἱεροποιοῖς* valet qui quidem publicam pecuniam in publico negotio exequendo consumpserint *Ἀθήν.* VI p. 482 n. 3 vs. 34: — *καὶ στεφανῶσαι ἕκαστον αὐτῶν χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ . . [δ]ραχμῶν [ἐπ]ε[ι]δὰν τὰς [ε]ὐθύνας δῶ[σι].*

Civitatis exemplum in hac quoque re sequuntur pagani, cf. C. I. A. II 581 vs. 1 sqq.: *ἐπειδὴ οἱ λαχόντες ἱεροποιοὶ εἰς τὸ τῆς Ἥβης ἱερὸν δικαίως καὶ φιλοτίμως ἐπε[μ]ελήθησαν τῆς θυσίας τῇ Ἥβῃ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἷς ἔδει αὐτοὺς θῦσαι, καὶ λόγον καὶ εὐθύνας δεδώκα[σ]ιν κ. τ. λ.* Quo pertinet formula iurisiurandi quod iurant Scambonidarum sacrificuli C. I. A. I 2 — *καὶ τὰ κοιν[ὰ] τὰ Σκαμβωνιδῶν σιωῶ καὶ ἀποδώσω παρὰ τὸν εὔθυνον τὸ καθῆκον.*

Quemadmodum autem rationes reddunt sacrificuli, ita probationi quoque quam subire solent magistratus Atheniensium priusquam ad munus ipsum accedant, *δοκιμασίαν* intellego, obnoxios eos esse censendum est, quamquam nulla eius rei neque in titulis neque apud scriptores mentio fit. Neque minus certum est, ut alia missa faciam, sine ulla mercede sacrificulos munus gessisse, quod et ipsum ad iustum magistratum pertinet.

Sacrificulorum Eleusiniorum quoque munus notas *ἀρχῆς* peculiares prae se fert. Qui quamquam certo templo, Eleusinio dico, praeficiuntur, tamen decretis senatus populique Atheniensium parent. C. I. A. I 5 iubentur suas cuique deo hostias immolare; ubi vs. 1 facile agnoscitur formula populisciti *ἔδοξεν τῇ βουλῇ] καὶ [τ]ῷ δήμῳ.* Etiam C. I. A. I 1 praecepta leguntur quae spectant ad eorum administrandi munia. Denique Bull. de corr. hell. IV p. 226 sqq. praecepta de utriusque generis officiis dantur, sacrificandi

vs. 36 sqq., administrandi maxime vs. 10 sqq. 40 sqq. Itaque, ut hoc utar, una cum senatu donaria deis iubentur ponere talia qualia populo Atheniensium placitura sint. Atque etiam poena pecuniaria hoc decreto constituitur sacrificulis irroganda, nisi rite mandata perfecerint vs. 18 sqq. Quae omnia publicum Atheniensium magistratum designant.

Idem de plurimis aliarum civitatum sacrificulis statuendum. Atque Deli quidem *ἱεροποιούς* publicum magistratum fuisse qui rationes muneris reddere iubetur ipsae tabulae docent. Quibus ut aliis collegiis publicis scriba praesto erat: C. I. G. II 2953b vs. 5, C. I. G. II 2266 cf. Herm. XVII p. 4—5 vs. 28, Bull. de corr. hell. II 570 vs. 3, VI p. 6 sqq. vs. 3, cf. vs. 38. 55. 76. 100. 122. ibid. p. 29 vs. 2. 180. Eorundum *ἱεροποῖον* occurrit Bull. VI p. 6 sqq. vs. 182 sqq.

Camiri in urbe Rhodi *ἱεροποιοί* una cum aliis urbis magistratibus et sacerdotibus enumerantur Bull. de corr. hell. V p. 336, ubi agmen ducit summus Camiri magistratus[1]) *δαμιουργός* (vs. 1 *δαμιουργήσας*), quem proximi sequuntur duodecim sacrificuli (vs. 2 sqq.), tertio loco sacerdotes (vs. 16 *ἱερεῖς*), postremo *ἀγωνοθέται* vs. 26. Quam rem luculentius confirmat tit. apud Newton. transact. of the royal society of lit. XI p. 435, ubi *μάστροις τᾶν κτοινᾶν* i. e. pagorum magistris diserte opponuntur *ἱεροποιοί* qui publica sacrificia administrant: *τοῦτοι δὲ* (sc. *οἱ μάστροι*) *συνλεγέσθων ἐν Καμίρῳ εἰς τὸ ἱερὸν τᾶς Ἀθαναίας ὄκκα τοὶ ἱεροποιοὶ παραγέ[ν]ωντι καὶ ἀθρεόντω τὰ ἱερὰ τὰ Καμιρέων [τὰ δαμο]τελῆ πάντα κ. τ. λ.*

In titulis Lindiis cum sacerdotibus et *ἱεροθύταις* coniuncti inveniuntur: Foucart inscr. ined. ins. Rhodi n. 60 et 61: quorum magistratuum non levis fuit auctoritas in ea urbe, quae omnem fere vitam publicam in rebus sacris curandis consumeret[2]). Recte igitur adnotavit Foucartus tituli prioris verba vs. 39 *τῶν ἄλλων [ἐ]πὶ τὰ [κ]οινὰ τασσομένων* ad ceteros magistratus sacerdotales veluti ad *ἱεροκήρυκα* et

[1]) v. Foucart. inscr. ined. ins. Rhodi p. 58.

[2]) Foucart l. c. p. 69.

ἱεροταμίαν esse referenda, praesertim cum in sequentibus ii qui creationi praefecti erant collaudentur „*ὅτι ἄνδρες ἀγαθοὶ ἐγένοντο περὶ τὰ ἱ[ε]ρὰ τὰ Λινδίων*“.

De Teorum sacrificulis idem probat tit. apud Le Bas-Wadd. Asie min. III n. 88 vs. 6 — *καὶ τὸν πρύτανιν καὶ τοὺς ἱεροποιοὺς καὶ τὰς [ἄ]λλας συναρχίας*[1]). Pariter *συνάρχοντες* vocantur *ἱεροποιοί* Chii C. I. G. II add. 2221b; ibidem munus *ἀγωνοθέτου* cum *ἱεροποιοῦ* coniunctum penes unum eundemque est virum: isque prius militum dux fuit quam alia munera subiret.

Ne Aegyptii quidem *ἱεροποιοί* (C. I. G. III 4683. 4707) publica carebant auctoritate. Itaque in titulo altero Apollonius post summum sacerdotium *ἱεροποιοῦ* munus administrasse dicitur: *Ἀπολλώνιος Ἑρμογένους γυμνασιαρχήσας καὶ ἀγορανομήσας καὶ ἀρχιερεὺς γενόμενος καὶ ἱεροποιὸς γενόμενος ὁμοίως τῆς Λύκων πόλεως καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς διῆλθεν.*

Omnino sacrificulos ubicunque sacra publica sollemniter sacrificanda curant vel pecuniam sacram administrant publica auctoritate praeditos esse consentaneum est. Quemadmodum Myconi *Ἀθήν.* II p. 237 vs. 3: *τάδε ἔδοξεν Μυκονίοις θύειν πρὸς τοῖς πρότερον καὶ ἐπηνωρθώθη περὶ τῶν προτέρων κ. τ. λ.* vs. 17: *ταῦτα διδόντων οἱ ἱεροποιοὶ ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου.* Ibidem officia eorum non differunt ab *ἀρχόντων* officiis (vs. 13 sqq.): utrique victimas aliasque res ad sacrificandum necessarias comparare iubentur.

Idem valet in insulis Euboea (Rangab. II 957 vs. 5—8) et Io (Ross inscr. Gr. ined. n. 94, cf. Keilium in syll. inscr. Boeotic. p. 33, ubi si Keilii supplementis fidem habemus, memoratur *κῆρυξ* sacrificulorum vs. 6: *ὅσας δ' ἂν μὴ ὁμο[λογήσῃ] ἡμερῶν γ' κήρυ[κι τῷ τῶν] ἱεροποιῶν, ὀφειλέτω ἑκατὸν δραχ[μὰς τῷ] δημοσίῳ*).

Ceterum privati collegiorum *ἱεροποιοί* publicorum sacrificulorum auctoritatem imitantur. Velut Bull. de corr. hell.

---

[1]) De *συναρχίαις* cf. Heydemann de senatu Atheniensium diss. Argentorat. 1880 p. 42 sq.

III 510 sqq. Stephanus primum ἐπιμελητής, deinde aucto certe honore ἱεροποιός factus est: vs. 26 sqq. ἐπειδὴ Στέ-[φα]νος πρότερόν τε ἐπιμελητὴς [γε]νόμενος καὶ νῦν ἱεροποιὸς λ[αχ]ὼν κ. τ. λ.

Extraordinariorum sacrificulorum munus etsi proprie non ἀρχή sed ἐπιμέλεια erat — in certum enim tempus eliguntur certaque iis negotia mandantur —, tamen illi neque auctoritate neque ipsis negotiis ab ordinariis eius generis magistratibus discrepant. Quemadmodum collegio ἱεροποιῶν Bacchi a senatu extra ordinem creato muneris rationem rite reddendam esse, ratione reddita eos publice coronari iam vidimus p. 29—30.

Hoc vero commune habent ἱεροποιοί cuiusvis generis cum reliquis magistratibus, quod cum magistratu recte gesto abierunt publice laudari et corona oleagina *(στεφάνῳ θαλλοῦ)* ornari solent. Quo pertinet magna pars titulorum de quibus agimus. Atque de Atheniensium sacrificulis testimonio est tit. ap. Rangabé ant. hell. II n. 1059: Ἱεροποιοὶ ἀνέθεσαν τῷ Θησεῖ ἐπὶ Λυκίσκου ἄρχοντος, ἐπαινεθέντες καὶ στεφανωθέντες ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων δικαιοσύνης ἕνεκα.

De Eleusiniis sacrificulis Bull. de corr. hell. V 361 sqq.: ἐπαινέσαι τοὺς ἱεροποιοὺς τοὺς τὰ μυστήρια ἱεροποιήσαντας Ἐλευσῖν[ι] καὶ στεφανῶσαι αὐτῶν ἕκαστον θαλλοῦ στεφάνῳ ἀρετῆς ἕνεκα καὶ δικαιοσύνης τῆς εἰς τοὺ[ς] φυλέτας. Neque solum a contribulibus sed etiam a senatu populoque eadem ratione eos honoratos esse inde perspicere licet quod sub ipso decreto duae coronae in lapide insculptae sunt, quarum in una inscriptum est: „ὁ δῆμος", in altera „ἡ βουλή" [1]).

De extraordinariorum ἱεροποιῶν collegio Ἀθήν. VI p. 482 vs. 27 sqq.: — ἐπαινέσ]αι τοὺς ἱεροποιούς — sequuntur nomina — ἀρετῆς ἕνεκα καὶ δικαιοσύνης τῆς εἰς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀ[θ]ηναίων κα[ὶ] ἐπιμ[ε]λ[εί]α[ς] τῆς περὶ τὰ ἱερ[ὰ] καὶ στεφανῶσαι ἕκαστον αὐτῶν χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ . . [δ]ραχμῶν [ἐπ]ε[ι]δὰν τὰς [ε]ὐθύνας δῶ[σι].

De paganorum sacrificulis C. I. A. II 581 vs. 7 sqq.:

[1]) cf. C. I. A. II 567.

στεφανῶσαι αὐτῶν ἕκαστον θαλλοῦ στεφάνῳ ..... δικαιοσύνης ἕνεκα [κ]αὶ φιλοτιμίας τῆς εἰς τοὺς δημότ[α]ς; de collegiorum C. I. A. II 615; 616 vs. 21 sqq.: *ἐπ[αι]νέσαι δὲ καὶ τοὺς ἐπιμελητὰς καὶ τοὺς ἱεροποιοὺς τῷ Διὶ τῷ Σωτῆρι καὶ τῷ Ἡρακλεῖ καὶ τοῖς Σωτῆρσιν καὶ στεφανῶσαι ἕκαστον αὐτῶν θ[αλλ]ο[ῦ στ]εφάνῳ ἀρετῆς ἕνεκα καὶ φι[λοτι]μ[ία]ς τῆς ε[ἰς τὸ κο]ιν[ὸν τῶν ἐρανι]στῶν.* Quid? quod in thiasotarum Veneris collegio Bull. de corr. hell. III 513 vs. 39 sqq. sacrificulo praeter coronam praemium pecuniae decernitur decem drachmarum: *καὶ στεφανῶσαι θαλλοῦ στεφάνῳ, δοῦναι δὲ αὐτῷ Δ δρα[χμάς]*, atque eidem in sequenti decreto viginti drachmae donantur ad donarium parandum in quo decretum in ipsius honorem factum inscribat vs. 49: *καὶ στεφανῶσαι θαλλοῦ στεφάνῳ καὶ δοῦναι αὐτῷ ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ΔΔ δραχ[μάς], τὸν δὲ λαβόντα ἀναθεῖναι ἀνάθημα ἐν τῷ ἱερῷ ἐπιγράψαντα τόδε τὸ ψήφισμα κ. τ. λ.*

Contra ubi officia aut neglexerunt aut non ex senatus populique sive societatis voluntate peregerunt, poena pecuniaria afficiuntur. Quamquam id nisi de Eleusiniorum et collegiorum sacrorum sacrificulis tituli non testantur: Bull. de corr. hell. IV p. 226 vs. 18: *ἐ[ὰ]ν δὲ μὴ παραδέξωνται πέντε ἡμε[ρ]ῶν .... ἐπειδὰν ἐπαγγελῇ, παραδιδόντων τῶν ἐκ τῆς πόλεως [ὅ]θεν ἂν [ῇ] ὁ κα[ρπ]ός, εὐθυνόσθων οἱ ἱεροποιοὶ χιλίαισιν δραχμῆσι [ἕ]κ[ασ]τος.*

C. I. A. II 611 vs. 13 sqq.: *ἐὰν δὲ μὴ ἀναγορεύσωσι* (sc. *τὸν στέφανον οἱ ἱεροποιοί*), *ἀποτινέτωσαν τῷ κοινῷ* (*πεντήκοντα*) *δραχμάς.*

C. I. A. II 617 vs. 15 sqq.: *ἐὰν δὲ μὴ ἀναγορεύσωσ[ιν ἢ μὴ στεφα]νώσωσιν, ἀποτεισάτω ἕκαστος αὐ[τῶν .... δ]ραχμὰς ἱερὰς τοῖς Σαραπιασταῖς.*

Eodem pertinet quod Naucratitarum *ἱεροποιοί* nisi in epulis sacris parandis frugalitatem legitimam servaverint multantur: *καὶ ὃς ἂν ἔξω τι τούτων ἱεροποιὸς παρασκευάσῃ ὑπὸ τῶν τιμούχων ζημιοῦται* Athen. IV p. 149f.

Postremo verbo commemoro eponymos Erythraeorum *ἱεροποιούς*. Quae res non est confundenda cum noto more sacerdotis nomen inscribendi titulis in sacro loco collocatis.

Is enim mos non valet nisi aut de actis privatis veluti manumissione (cf. Wescher et Foucart inscr. de Delphes), conductione in perpetuum facta (Rev. arch. a. 1865 p. 352 sqq.) aliis, aut de rebus sacris, sicuti donariis, laudibus honoribusque sacerdoti templi tributis (Ἀθήν. VI p. 134 n. 9)[1]).

Contra in titulis Erythraeis et magistratuum tempora ex anno eponymi sacrificuli numerantur et civilibus, non sacris negotiis eius nomen praescribitur. Ac maior quidem pars horum titulorum populiscita sunt quibus praetores honoribus afficiuntur: Bull. de corr. hell. III p. 390 vs. 1 sqq: *ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἀπατουρίου, μηνὸς Ἀρτεμισιῶνος, ἔδοξεν τῷ δήμῳ, Πολύκριτος Ἰατροκλείους εἶπεν· ἐπειδὴ οἱ στρατηγοὶ οἱ στρατηγήσαντες τὴν πρώτην τετράμηνον ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἡγησαγόρου κ. τ. λ.* cf. vs. 22. Foucart. inscr. ined. ins. Rhodi n. 5 p. 19 sqq; *Μουσ. καὶ βιβλ. τῆς εὐαγγ. σχολ. ἐν Σμύρνῃ* a. 1875 p. 128, a. 1878 p. 54 n. 126, LeBas-Wadd. Asie min. n. 1556.[2]) 1541: *Ξενοκράτης Δημοδίκου ἀγορανομήσας ἐ[πὶ] ἱεροποι[οῦ] Κα[λ]λί[ου] τὴν δευτέραν τετράμηνον, τὸν Ἑρμῆ καὶ τὸ ζυγὸν καὶ τὰ σταθμία τῷ δήμῳ. Μουσ. καὶ βιβλ.* a. 1878 p. 63 n. 148: *Ἐφ' ἱεροποιοῦ Δαμάλου τειχῶν ἐπιστάται τῆς ἀντιπλάδης τοῦ τείχο[υ]ς.* Rayet Rev. archéol. a. 1877 (XXXIII) p. 105 sqq. ubi agitur de sacerdotiorum venditione vs. 13: *Διασ[υστάσεις ἱ]ερητειῶν ἐφ' ἱεροποιοῦ Φανοτίμο[υ,* vs. 23: *Ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἑρμο[κλ]είτου, μηνὸς Ληναιῶνος, αἵδε ἐπεπρά[θησ]αν ἱερητεῖαι.* item vs. 36. 42. 44: *ἱερητεῖαι αἱ ἐπιπωλη[θεῖσ]αι ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἑρμοστράτους,* p. 114 sqq. vs. 1. 14. 45. 50. 60; p. 118 vs. 7. 13. 45. Qui titulus etsi res cum cultu deorum coniunctas exhibet, tamen publice acta eaque publice inscripta persequitur.

---

[1]) v. Kirchhoffium in Herma II p. 161 sqq. conferendus est C. I. G. II 3595.

[2]) Ad hunc titulum parum probabiliter editor monuit Herculis intellegendum esse sacrificulum, quippe qui sit summus Erythraeorum deus. Quod si ita se haberet, expectes diserte *ἐφ' ἱεροποιοῦ τοῦ Ἡρακλέους* praescribi, ut Philistor. a. 1862 *τόμ.* III p. 346 vs. 7: *ἐπὶ ἱερέως τοῦ Ἀσκληπιοῦ Ἑρ[μαγ]όρα.*

Ceterum ad eam rem illustrandam nonnullos alios eius generis magistratus eponymos affero:

ἱεροθύτης eponymus est Agrigenti C. I. G. III 5491, Segestae ib. 5546, Melitae 5752, apud Oetaeos Bull. de corr. hell. V p. 137 sqq.

ἱεραπόλος apud Acarnanes Ἀθήν. I p. 253 sqq. Le Bas-Foucart 1042. 1043 = C. I. G. 1793, ibid. n. 194 d, Gelae C. I. G. III 5475 cf. Mueller Dor. II p. 161, Lescatae s. Alicatae ib. 5476.

ἱερομνήμονες non amphictionici Byzanti Polyb. IV 52, 4, Perinthi in Thracia Dumont. inscr. de la Thrace n. 72 C, Chalcedone C. I. G. II 3794, Spalati in Illyrico C. I. G. II add. 1830 b (cf. Boeckhi adn.).

στεφανηφόρος in Asiae minoris civitatibus: in Caria Le Bas-Wadd. Asie min. n. 251 sqq., Bull. de corr. hell. V p. 497, Hieropoli (in Phrygia magna) ib. 741 = C. I. G. 3912 a.

ἐπιμήνιος cf. infra p. 71 sq.

Pars II.

DE SINGULIS SACRIFICULORUM OFFICIIS.

§ 1.

DE SACRIFICIORUM ET FESTORUM CURA.

A) Athenis.

I. Sacrificuli publici Athenis operam dant publicis sacris atque diebus festis administrandis. Atque sacrificia ab iis curata in universum distinguuntur anniversaria sollemniaque et extraordinaria quae ex oraculo deis offerenda sunt. Et. M. p. 469 *τά τε μαντεύματα ἱεροθυτοῦσιν — καὶ θυσίας τὰς νομιζομένας ἐπιτελοῦσι*: ubi cum *μαντεύματα* usurpari pro *τὰ ἐκ μαντεύματος προσταχθέντα* probabile non sit, lectionem *τὰ μαντευόμενα*[1]) codicis Vossiani ex fonte optimo derivati[2]) recipere malim et ad sacrificia ab oraculo mandata referre.

Quibusnam maxime festis sacrificuli destinati fuerint titulis docemur qui rationes a Lycurgo de pecuniis in aerarium publicum traditis factas continent. Enumerantur enim in iis persaepe pecuniae ex pellibus hostiarum in festis singulis immolatarum redactae. Hinc autem maiora tantum sacra publica ab iis administrata esse apparet. Nam in minoribus sacrificiis publicis ut in privatis pelles vel pecuniam pro eis publice constitutam iis ipsis qui sacrificaverint dari solere satis constat[3]).

Sunt autem festa illa:

α) Panathenaea: Boeckh. oec. publ. Athen. II tit. VIII § 3 vs. 3 (= C. I. A. II 741 a 34) [*Ἐκ Πανα*]*θηναίων παρὰ* [*ἱεροποιῶ*]*ν* (*ἑξήκοντα μία δρ. τρεῖς ὀβ.*). *Ἐφημ.* VI 3351 (= C. I. A.

---

[1]) activum *μαντεύω* usurpant Xenophon Ephes. I 7: *ἐφόβει δ' αὐτὸν οὐδὲν τὰ μεμαντευμένα*, et Pseudo-Plut. de proverbiis quibus Alexandrini utebantur 9 (in Leutschii corp. paroemiogr. Gr. I p. 322): *Βοιωτοῖς μαντεύσειας*.

[2]) cf. Gaisfordi praef. ad Et. M. p. 4 sqq.

[3]) cf. Boeckhium in oec. publ. Athen. II p. 120—121.

II 741 c 8): *ἐκ Πα]ναθηναίων παρὰ ἱερο[ποιῶν*. Utrumque testimonium ad minora Panathenaea spectat. Hoc autem in festo magnas partes sacrificulos egisse ex hisce titulis elucet:

1. C. I. A. I 9 in titulo Cimonis aetate exarato officia eorum memorantur perficienda in maioribus Panathenaeis, si quidem recte vs. 2 ex Kirchhoffi supplementis legitur [*Ἐρυθραί]ους ἀπάγειν - - ἐς Παναθήναια τὰ μεγάλα - - - - τριῶν μνῶν· καὶ νέμειν Ἐρυθραίων [τ]ο[ῖ]ς παροῦσι [τῶν κρεῶν τ]οὺς ἱεροπο[ι]οὺς δραχμὴν ἑκάστῳ*.

2. C. I. A. I 188 (Olymp. 93,3 = a. Chr. n. 40 7/6): *Ἐπὶ τῆς Αἰγηΐδος δευτέρας πρυτανευούσης ἀθλοθέταις παρε-δ[ό]θη εἰς Παναθήναια τὰ μεγάλα Φίλωνι Κυδαθηναιεῖ καὶ συνάρχουσιν, Ἀθηναίας Πολιάδος (πέντε τάλαντα χίλιαι δρ.), ἱεροποιοῖς κατ' [ἐ]νιαυτόν, Διύλλῳ Ἐρχιεῖ καὶ συνάρχουσιν εἰς τὴν ἑκατόμβην (πεντακισχίλιαι ἑκατὸν τετταρεςκαίδεκα)*. Quam hecatombam ad Panathenaea maiora in antecedente versu commemorata esse referendam recte vidit Boeckhius (oec. publ. Athen. II p. 9). Etenim si ad alia sacra anniversaria eodem mense quo illa celebrata spectaret, ea sacra ipsa expressis verbis allata esse expectaremus. Addas quod athlothetae operam non dant nisi certaminibus in Panathenaeis instituendis [1]).

3. Testimonium gravissimum est C. I. A. II 163 (= Rangabé ant. hell. II 814, LeBas Attique n. 401, Ussing inscr. Gr. ined. n. 54, Ἐφημ. 1064, Michaelis de Parthenone p. 332), qui titulus Lycurgo reditus publicos administrante conscriptus est (cf. Koehleri adn.). Quamquam utrum ad Panathenaea maiora an ad minora referendus sit, inter se dissentiunt viri docti. Atque plurimi eorum ut Boeckhius, Koehlerus, Hermannus (antiquit. relig. § 54. 11), Rangabis alii minora intellegunt inde quod vs. 31 scriptum est *τοὺς δὲ ἱεροποιοὺς τοὺς διοι[κοῦντας τ]ὰ Παναθήναια τὰ κατ' ἐνιαυτόν*: contra Michaelis ipsum additamentum *τοὺς διοι[κοῦντας τ]ὰ Παναθήναια τὰ κατ' ἐνιαυτόν* otiosum esse si minora intellegamus contendit.

[1]) Pollux VI 93 *ἀθλοθέται — δοκιμασθέντες δὲ ἄρχουσιν ἔτη τέτταρα ἐπὶ τῷ διαθεῖναι τὰ Παναθήναια, τόν τε μουσικὸν καὶ τὸν γυμνικὸν καὶ τὴν ἱπποδρομίαν*.

At parum favent huic opinioni verba quae sunt in prioribus decreti versibus [*ὅπως ἂν* - - - *εἰ*]*σ*[*εβ*]*ῶς κα*[*ὶ*] - - - - *κατ᾽ ἐνιαυτὸν κ*[*αὶ τελεσθῇ ἡ πομπὴ π*]*αρεσκε*[*υασμ*]*ένη ὡς ἄριστα τῇ Ἀ*[*θηνᾷ καθ᾽ ἕκαστο*]*ν τὸν ἐνιαυτὸν ὑπὲρ τοῦ δήμου τοῦ Ἀ*[*θηναίων καὶ τἆλ*]*λα ὅσα δεῖ διοικῆται περὶ τὴν ἑορτὴ*[*ν τὴν ἀγομένην τ*]*ῇ θεῷ καλῶς ὑπὸ τῶν ἱεροποιῶν εἰς* [*τὸν ἀεὶ χρόνον?, ἐ*]*ψηφίσθαι τῷ δήμῳ κ. τ. λ.* unde ea quae in sequentibus constituta sint nisi ad Panathenaea quotannis sollemniter agenda non esse revocanda apparet.

Atqui his titulis prorsus oppositum esse videtur testimonium quod ex Aristotele se sumpsisse affirmant auctores lexicorum: *θυσίας τὰς νομιζομένας ἐπιτελοῦσι καὶ τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας διοικοῦσι πλὴν Παναθηναίων.* Quaeritur igitur, qui factum sit, ut aliud doceant secundum Aristotelem lexica, aliud ipsi tituli. Qua in re frustra fuerit qui coniecerit ita probanda esse lexicorum verba ut ad maiora Panathenaea referantur, quippe cum illae inscriptiones saeculi quarti omnes ad minora Panathenaea spectent. Id enim cum casui potius tribuendum videtur, tum adeo inter se seiungenda non sunt maiora et minora quae dicuntur Panathenaea. Immo maiora praeterquam quod quinto quoque anno cum certaminum apparatu atque maiore et splendore et magnificentia celebrabantur ab annuis non diversa erant[1]). Qua de re apte disseruit Mommsenius in heortol. p. 118 qui sacrificulos suo munere etiam in maioribus sacris functos esse, sed ab ipsis quinquennalibus sollemnibus moderandis alienos fuisse statuit: certe ad certamina quae nisi in maioribus non celebrabantur eorum officia non pertinebant. Quamquam hac interpretandi ratione offensio non tollitur quae inest in verbis *καὶ τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας διοικοῦσι πλὴν Παναθηναίων.*

Equidem nescio an alio modo ea tolli possit. Constat enim verba illa Etymologici M. ex Photio nondum in brevius contracto manasse[2]). Photius vero vel eius interpolator

---

[1]) Mommsen heortol. p. 117, Schoemann antiquit. Gr. II p. 471 adn. 1.

[2]) cf. Stojentin de Iulii Pollucis in publ. Athen. antiquit. enarrandis auctoritate p. 36 adn. 43.

nescio quis — nam multa post Photium in lexico eius ex aliis scriptoribus addita mutatave esse nemo negat — loco Aristoteleo exscripto suo arbitrio verba *πλὴν Παναθηναίων* addidit, nempe ex comparatione loci Pollucis VIII 107 ubi Panathenaea non afferuntur: *ἱεροποιοί· δέκα ὄντες οὗτοι ἔθυον θυσίας τὰς πεντετηρίδας, τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι, τὴν τῶν Ἡρακλείων, τὴν Ἐλευσῖνι.* Itaque Aristotelem nihil nisi *καὶ τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας διοικοῦσι* scripsisse opinor, Pollucis auctorem haec interpretaturum aut per imprudentiam Panathenaea omisisse aut sola ea quinquennalia enumerare voluisse quae ex urbe rus vel peregre deduci solita sint (de Heracleis cf. quae infra p. 41 sq. disputabimus.

β) Asclepiea: Boeckh. oec. publ. Athen. II tit. VIII (C. I. A. II 741 a 14) *Ἐξ Ἀσκληπιείων πα[ρὰ] ἱεροποιῶν (διακόσιαι ἐνενήκοντα μία).*

ibid. VIII b (C. I. A. II 741 b 8) [*Ἐξ Ἀσκληπι*]*είων πα*[*ρὰ ἱεροποιῶν*] (*διακόσιαι . . . .*)

γ) Bendidea: ibid. VIII (C. I. A. II 741 a 22) *Ἐγ Βεν*[*δ*]*ιδέων παρὰ ἱεροποι*[*ῶν*]· (*τετρακόσιαι πεντήκοντα ἑπτά*), VIII b (C. I. A. l. c. b 16) [*Ἐγ Βενδιδ*]*έων παρὰ ἱε*[*ροποιῶν·*] — —

δ) sacra Bonae Fortunae facta: ibid. VIII (C. I. A. II 741 a 12): *Ἐκ τῆς θυσίας τῇ*[*ι Ἀγαθ*]*ῇ Τύ*[*χῃ παρὰ*] *ἱεροποιῶν·* (*ἑκατὸν ἑξήκοντα . . .*). VIII b (C. I. A. II 741 b 6): [*Ἐκ τῆς θυσ*]*ίας τῇ Ἀγαθῇ Τύχη*[*ι παρὰ ἱεροποιῶν·*] (*ἑκατὸν μία δρ. τρεῖς ὀβ.*).

Hinc probabile fit quod Koehlerus in inscriptione ab ipso in Herma I p. 312 sqq. edita supplevit vs. 15—17 (p. 316) *θύσασθαι δὲ καὶ τῇ Ἀγαθῇ Τύχῃ* [*τοὺς ἱεροποιοὺς μετὰ τῶν ἐπι*]*στατῶν τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀγαθῆς Τ*[*ύχης*] *κ. τ. λ.* Nam ea ipsa quoque ad Lycurgi administrationem spectat. In eodem autem titulo vs. 8—9 num sacrificuli memorati fuerint qui sacra Iovi Servatori et Iovi Olympio peregerint, incertum est (cf. quae in parte I cap. II de tit. Rangab. II 794 diximus).

His festis adicienda sunt

ε) sacra Theseo oblata: quorum curam sacrificulos habuisse satis perspicue significatur tit. Rangab. II 1059 (cf. Mommsen heortol. p. 284) *ἱεροποιοὶ ἀνέθεσαν τῷ Θησεῖ ἐπὶ*

Λυκίσκου ἄρχοντος ἐπαινεθέντες καὶ στεφανωθέντες ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων δικαιοσύνης ἕνεκα. Inde non dubito quin recte C. I. A. II 741c 13 a Koehlero insertum sit [*Ἐχ Θησ]έων παρὰ [ἱεροποιῶ]ν (χίλιαι ἑκατὸν ὀγδοήκοντα τρεῖς* - -), idemque ib. d 6 supplendum sit *Ἐχ Θησέων [παρὰ ἱεροποιῶν.]*

ζ) Quinquennalia sacra ab *ἱεροποιοῖς* procurata enumerat Pollux VIII 107, quem locum supra p. 6 exscripsi. De his fusius verba facienda sunt. Atque ultima verba *τὴν Ἐλευσῖνι* minime ad magna mysteria utpote quae annua fuerint referenda esse recte exponit Mommsenius in heortol. p. 243. Idem inde agnoscitur quod reliquis quae enumerantur sacris quinquennalibus auctoritas erat illorum auctoritate multo inferior. Iam Proerosia, quae ipsa quoque Eleusine celebrabantur, statuenda esse probabiliter opinantur Mommsenius ibid. p. 219 adn. 243 eumque secutus Stoientinius de Iulii Pollucis in publ. Athen. ant. enarrand. auctoritate p. 36. Atque Mommsenius haec sacra cum eodem modo quo Delia primitus quotannis acta sint paullatim quinquennalia facta esse coniectat. Neque a vero mihi abhorrere videtur hoc die festo immolasse sacrificulos eas hostias quibus reducendis ephebos Atticos operam dedisse docent titt. C. I. A. II 471 vs. 9—10, 467 vs. 28.

Sacra *τῶν Ἡρακλείων* in Heracleo Marathonio facta esse post Corsinium fast. Attic. II p. 336 arbitratur Lenormantius recherch. archéol. à Eleusis p. 280 eam ob rem, quia in inscriptione Marathone reperta *ἱεροποιοί* leguntur:

...... καὶ Δικαίου
ὁ δεῖνα] Ἰσοκλείδου ....
ὁ δεῖνα] ...... νος Τρικορύσιος
ὁ δεῖνα Ἀνδ]οκίδου (?) Μαραθώνι[ος
ὁ δεῖνα] .... σάλου Οἰναιήσιο[ς
.... τοὺς] ἱεροποιοὺς [καὶ Παν]έλλ[ηνας] νικα ...

Sed cum versu altero vocem *ΠΡΟΒΑΛΙΣΙΟΣ* supplendam esse credibile sit ex Lenormanti opinione, hominum quattuor demotica hic extant quae ad pagos tetrapolis Atticae pertinent. Quos suos sacrificulos habuisse iam constat ex tit. Mitth. III p. 261: qui iidem quin hoc in

documento intellegendi sint, non publici Atheniensium, dubitare non licet. Nihilo minus autem mihi veri non prorsus dissimile esse videtur sacrificulos Athenienses Heraclea Marathone curasse, quoniam ibi summa Herculis sacra eaque cum armorum certaminibus coniuncta [1]) fieri solebant, neque alia nisi extra urbem acta quinquennalia locus Polluceus exhibet. Quae sacra praeter illa a tetrapolitarum sacrificulis instituta publice fieri statuendum est.

Denique sacra Brauronem et Delum quinto quoque anno deducenda curant, de quibus cf. Mommsen heortol. p. 409. 415. Hermann antiquit. relig. § 62, 18. O. Mueller Orchomenos I² p. 303 adn.

η) Eleusinia sacra a sacrificulis Eleusiniis administrata: Ἐφημ. VI 3451 = C. I. A. II 741 c 9 Ἐξ Ἐλε]υσινίων παρὰ ἱεροποιῶ[ν. Ib. d 1 sq. [Ἐξ Ἐλευσινίων παρὰ] ἱεροπ[οιῶν·] [2]).

ϑ) Eumenidum sacra quorum curam proprii earum sacrificuli habent. De his cf. p. 47.

Accuratius nunc describenda sunt

Singula sacrificulorum officia.

De his nonnulla quidem certi festi ratione non habita lexicorum auctores tradunt. Secundum illos non tantum hostias sacrificant in sacrificiis, verum etiam omina petunt una cum vatibus ex immolatarum hostiarum extis: Et. M. l. c. κἄν τι καλλιερῆσαι δέῃ καλλιεροῦσι μετὰ τῶν μάντεων. Quam ad rem illustrandam idoneum est testimonium de sacrificulis Myconiis Ἀϑήν. II p. 237 vs. 20 ἐὰν δέ τι δέῃ καλλιερεῖν, ἱεροποιοὶ διδόντων. Quapropter ne Athenis quidem quin simile eorum officium aliquatenus extiterit dubitandi causa est. Accuratius idem persequuntur scholiastae, cum dicunt sacrificulos custodire vatum sacrificia atque

---

1) C. Fr. Hermann antiquit. relig. § 62, 21—22.

2) In eiusdem tituli fr. b v. 20 [Ἐκ .... ω]ν π[αρὰ ἱ]εροπο[ιῶν] qualia sacra lateant mensis Scirophorionis, incertum est. Ib. v. 4 [Ἐγ Διονυσίω]ν τῶν ἐπὶ Ληναίῳ [παρὰ] .... (ἑκατὸν ἕξ) Rangabis (II 842) ponere vult [παρὰ ἱεροποιῶν], quod supplementum lacunae convenire concedendum est. Sed recte iudicavit Boeckhius requirendum μυστηρίων ἐπιμελητῶν, quippe quos in titulo antecedente (a 10) ex Lenaeis τὸ δερματικὸν contulisse videamus. Mihi nihil supplendum videtur nisi ἐπιμελητῶν.

cavere ne quid illi in sacrificiis contra ritus sacros committant: schol. Dem. c. Mid. § 115 *ἱεροποιὸν δὲ καλοῦσι τὸν ἐποπτεύοντα τοὺς μάντεις ὅτε θύουσι μή πού τι κακουργῶσιν ἐν ταῖς θυσίαις.* Schol. eiusdem orationis § 171 *ἱεροποιὸν τὸν ἐπισκοποῦντα τὰ θύματα μὴ ἀδόκιμα καὶ πηρά.* Quod etsi per se non absonum est, tamen cum neque ab ullo alio veterum auctore tradatur neque titulis significetur, huic testimonio non nimiam fidem tribuo.

In ipsis sacrificiis quibus officiis sacrificuli functi sint abunde demonstrant tituli.

1. decem civitatis sacrificuli.

Eorum ad singula officia agnoscenda plurimum valet titulus Panathenaicus C. I. A. II 163, pauca praebet C. I. A. I 9.

a) hostias emunt una cum boonis publica pecunia C. I. A. II 163 vs. 16 sqq. *ἀ]πὸ δὲ τῶν τε[τταρ]άκοντα μνῶν καὶ τῆς μι[ᾶς τῶν ἐκ τῆς μ]ισθώσεως τῆς νέας βοωνήσαντες οἱ ἱερ[οποιοὶ μετὰ τ]ῶν βοωνῶν κ. τ. λ.* De communi hoc sacrificulorum et boonarum negotio cf. Dem. c. Mid. § 171 *ὑμεῖς γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐχειροτονήσατε τοῦτον — καὶ μυστηρίων ἐπιμελητὴν καὶ ἱεροποιόν ποτε καὶ βοώνην καὶ τὰ τοιαῦτα δή* et quae infra sub e) proferemus.

b) pompam ducunt atque ritibus diei festi noctu agendis praesunt. Dem. Phil. I § 26 *οἱ λοιποὶ* (sc. *στρατηγοὶ καὶ ταξίαρχοι*) *τὰς πομπὰς πέμπουσιν ὑμῖν μετὰ τῶν ἱεροποιῶν*; tituli II 163 vs. 1 sqq. *[ὅπως ἂν - - - εὐ]σ[εβ]ῶς κα[ὶ] - - - - κατ' ἐνιαυτὸν κ[αὶ τελεσθῇ ἡ πομπὴ π]αρεσκε[υασμ]ένη ὡς ἄριστα τῇ Ἀ[θηνᾷ καθ' ἕκαστο]ν τὸν ἐνιαυτὸν — ὑπὸ τῶν ἱεροποιῶν*; vs. 17 sqq. *βοωνήσαντες οἱ ἱερ[οποιοὶ μετὰ τ]ῶν βοωνῶν πέμψαντες τὴν πομπὴν τῇ θε[ῷ κ. τ. λ.* Denique versus finem haec illis mandantur: *τοὺς δὲ ἱεροποιοὺς τοὺς διοι[κοῦντας τ]ὰ Παναθήναια τὰ κατ' ἐνιαυτὸν ποεῖν τὴν πα[ν ν υ χ ί δ α] ὡς καλλίστην τῇ θεῷ καὶ τὴν πομπὴν πέμπε[ιν ἅμα ἡ]λίῳ ἀνιόντι κ. τ. λ.* Proinde, ut de aliis taceam, saltationes, quae magnam *παννυχίδος* partem efficiunt, instituenda curant, cf. Athen. XV. 7 *παννυχίδες ἐν αἷς πλεῖστον ὅσον χρόνον διηγρύπνουν χορεύοντες* (de ceteris sollemnibus cf. Mommsen heortol. p. 169 sqq.).

c) cum alia sacra perficiunt, tum hecatombam immolant. Primum enim duo sacrificia peragunt, alterum Minervae Hygieae, alterum ni fallimur in Areopago: vs. 8 sqq. *θ]ύειν δὲ τοὺς ἱεροποιοὺς τὰς μὲν δύο [θυσίας τήν τε τῇ] Ἀθηνᾷ τῇ Ὑγιείᾳ καὶ τὴν ἐν τῷ Ἀρ............μένην καθάπερ πρότερον.* Lacunam parum apte explevit Ussingius *ἀρ[χαίῳ νεῷ θυο]μένην* vel *Ἀρ[τεμισίῳ γενο]μένην*. Michaelis de Minerva Area cogitavit. Praestat sine dubio quod Rangabis proposuit: *τὴν ἐν τῷ Ἀρ[είῳ πάγῳ τελου]μένην*. Quamquam hac de re diiudicare cum testimonia deficiant satis difficile est[1]).

Deinde hecatombam boum sacrificant in magna Minervae Poliadis ara, nisi quod bovem unam forma eximiam in ara Minervae Victoriae immolant: *θυόντων τα]ύτας τὰς βοῦς ἁπάσας ἐπὶ τῷ βωμῷ τῆς [Ἀθηνᾶς τῷ με]γάλῳ, μίαν δὲ ἐπὶ τῷ τῆς Νίκης προκρί[ναντες ἐκ τῶν] καλλιστευουσῶν βοῶν καὶ θύσαντες τῇ[ι Ἀθηνᾷ τῇ] Πολιάδι καὶ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Νίκῃ ἁπασῶ[ν τῶν βοῶν τῶ]ν ἀπὸ τῶν τετταράκοντα μνῶν καὶ μιᾶς ἐω[νημένων κ. τ. λ.* Adduntur quae ad eandem curam pertinent vs. 28 sqq. *εἰς δὲ τὰ μι]σθώματα τῆς πομπῆς καὶ τὸ μαγειρικὸν κα[ὶ κόσμησιν] τοῦ βωμοῦ τοῦ μεγάλου καὶ τἄλλα ὅσα προσ[δεῖ ......]εῖσθαι περὶ τὴν ἑορτὴν καὶ εἰς παννυχίδα [διδόναι] (πεντήκοντα) δραχμάς.* Certe mea quidem sententia haec omnia ad sacrificulorum munia pertinent, cf. verba antecedentia *ὅπως — καὶ τἄλ]λα ὅσα δεῖ διοικῆται περὶ τὴν ἑορτή[ν —*. Post verbum *προσ[δεῖ* positum fuisse suspicor *ἐπιμελ]εῖσθαι* (non *ἐπιτελ]εῖσθαι* quod vult Rangabis), quod verbum sescenties de festis administrandis in titulis usurpatur. Koehlerus ante *EI* scriptam fuisse videri *Ω* litteram testatur, ex qua nullo negotio *Λ* efficitur.

De sacrificiis quae alter titulus I 9 praescripserit, non iam intellegitur cuius generis fuerint.

d) *κρεανομίαν* quae vocatur curant. Iubentur enim praecipua ex hostiis Minervae Hygieae et in Areopago immolatis distribuere magistratuum collegiis iis quibus ne-

---

1) Sacrorum Minervae in Areopago factorum vestigia quaedam licet incerta notavit Iosephus Starker de nomophylacibus Atheniensium diss. Vratislav. 1880 p. 16 sqq.

gotia sacra in illo festo efficienda sunt — quorum in numero ipsi sacrificuli recensentur — iisque quibus aliquae in pompa ducenda partes tribuuntur aliis: *νείμαντ[ας τοῖς πρυτάν]εσιν πέντε μερίδας καὶ τοῖς ἐννέα ἄρ[χουσιν .....] καὶ ταμίαις τῆς θεοῦ μίαν καὶ τοῖς ἱερ[οποιοῖς μίαν] καὶ τοῖς στ[ρατ]ηγοῖς καὶ τοῖς ταξιάρχ[οις ..... καὶ τ]οῖς πομπ[εῦσι]ν τοῖς Ἀθηναίοις καὶ τα[ῖς κανηφόροι]ς κατὰ (τὰ) εἰω[θότα], τὰ δὲ ἄλλα κρέα Ἀθηναίο[ις μερίζειν.* Rangabis *νείμαντ[ας τοῖς μάντ]εσιν* supplevit ex Et. M. p. 469; sed vates ipse ordo magistratuum respuit. Comprobandum haud dubie quod Schoellius in Herma VI p. 50 adn. 1 suppeditavit et Koehlerus recepit: *τοῖς πρυτάν]εσιν.* Numerum praecipuarum partium archontibus tributarum *τρεῖς* fuisse iam Rangabis recte statuit. Refutandum vero quod idem post *ταξιάρχοις* supplevit *μίαν*, ut taceam huic voci lacunae spatium non convenire; hoc quoque loco coniunctis denorum strategorum et taxiarchorum collegiis *τρεῖς* aptum esse existimo. Praeterea populo Atheniensium ex hecatomba peracta *κρεανομίαν* instituunt eamque ita ut certo numero paganorum ex uno quoque pago electo viritim distribuant carnem: *νεμ]όντων τὰ κρέα τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων ἐν [Κεραμεικῶ]ι καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις κρεανομίαις· ἀ[πονέμειν δὲ] τὰς μερίδας εἰς τὸν δῆμον ἕκαστον κατὰ [ἄνδρα νέμον]τας ὁπόσους ἂν παρέχῃ ὁ δῆμος ἕκαστος.* Huic rei finitimum est quod altero titulo I 9 docemur: ubi praeter pretium hostiarum quas paraverant Erythraeorum legatis carnem suppeditant: *καὶ νέμειν Ἐρυθραίων [τ]ο[ῖ]ς παροῦσι [τῶν κρεῶν τ]οὺς ἱεροπο[ι]οὺς δραχμὴν ἑκάστῳ* et *τῶν δὲ κ]ρεῶν - - - [νέμει]ν τῷ βουλομένῳ*[1]). Ceterum conferenda quae infra de Naucratitarum epulis sacris a sacrificulo curatis memorabuntur p. 50.

e) sacrificiis perpetratis *ἱεροποιοί* pelles hostiarum vendunt, pecuniam inde redactam in publicum aerarium referunt, cf. titt. supra p. 37 sqq. allatos qui *δερματικά* recensent. Hoc

[1]) Cf. decretum pagi Plothensium C. I. A. II 570 vs. 33 sqq. *[καὶ ἐ]ς τὰ ἱερὰ τὰ κοινὰ ἐν ὅσοισιν ἑ[στιῶν]ται Πλωθῆς οἶνον παρέχειν ἡδὺ[ν ἐκ τοῦ] κοινοῦ εἰς μὲν τἄλλα ἱερὰ μέχρ[ι ..... ἑ]κάστῳ τοῖς παροῦσι Πλωθ[έων κ. τ. λ.*

observatione dignum est similibus officiis functos esse cum alios magistratus (veluti *συλλογεῖς τοῦ δήμου* [1]) et *ἐπιμεληταί*) tum boonas. Quin etiam iisdem sacris, Aslepieis dico, modo hi modo illi id munus curant; cf. *Ἐφημ.* VI 3451 = C. I. A. II 741 c 12 *ἐξ Ἀσκλ]ηπιείων παρὰ βοωνῶν X.*

2. *ἱεροποιοί* praeter illos publici.

a) Eleusinii.

Ad sacrificia Eleusiniorum pertinet tit. C. I. A. I 5 vs. 2 - - *ν τοὺς ἱεροποιοὺς Ἐλευσινίων καὶ* - - 3. *Ἑκάτ]ῃ* [2]), *Ἑρμῇ Ἐναγωνίῳ, Χάρισιν αἶγα* - - 4. - - *ν, Ἀρτέμιδι αἶγα, Τελεσιδρόμῳ* [3]) *Τρι[πτολέμῳ* - - 5. - - *Ἰάκ]χῳ Θεοῖν τριττόαν βούαρχον ἐν τῇ ἑορ[τῇ]*. Ubi perperam Lenormantium rech. archéol. à Eleus. p. 87 intellexisse sacra illa quinquennalia a Polluce enumerata eaque a decem civitatis sacrificulis Eleusine facta non opus est multis demonstrare. Immo accuratius hac in inscriptione definiuntur sacra ab Eleusiniis sacrificulis deis heroibusque Eleusiniis oblata. Vs. 2 post particulam *καί* Lenormantius l. c. p. 75—76 [*Δηλίων*] inseruit. Quod merito improbat Mommsenius in heortol. p. 242: quid enim in inscriptione Eleusinia sibi velint sacrificuli qui sacra Delia curant frustra quaeras. Nec vero minus refutandum censeo quod ipse Mommsenius supplevit [*Ἀθηναίων*], qua voce significari voluit sacrificulos qui simul et pro Eleusiniis et pro Atheniensibus rebus divinis operam dant. Nempe suos *ἱεροποιούς* Athenienses ad mysteria curanda instituere vidimus ex Bull. de corr. hell. V. p. 361 *τοὺς ἱεροποιοὺς τοὺς τὰ μυστήρια ἱεροποιήσαντας Ἐλευσῖν[ι]*. Ante omnia sacrificandi notionem (*θύειν*) loco de quo agitur positam fuisse expectamus. Ceterum summum sacrificium Deae utrique et Iaccho faciendum ultimo loco positum esse trium hostiarum quarum prima bos est, viros doctos non fugit

---

[1]) Cf. Boeckh. C. I. G. I p. 138, Mommsen heortol. p. 414, Froehner les inscr. Gr. (Mus. nat. du Louvre) ad tit. n. 99, Koehler Mittheil. d. arch. Instit. VII p. 105.

[2]) Cf. Robert in comm. Mommsenianis p. 147.

[3]) Cf. quod de nominis significatione coniecit Lenormant rech. archéol. à Eleusis p. 78.

(de significatione verborum *τριττόαν βούαρχον* v. Lenormant. l. c. p. 81 sqq.).

Similiter in altero titulo Eleusinio Bull. IV p. 226 sqq. ex primitiis sacra parare iubentur sacrificuli partim eisdem partim aliis deis heroibusque vs. 36 sqq. *θύειν δὲ ἀπὸ μὲν τοῦ πελάνου καθ' ὅτι ἂν Εὐμολπίδαι ἐ[ση]γή[σω]νται, τρίττοιαν δὲ βούαρχον χρυσόκερων τοῖν Θεοῖν ἑκα[τέρᾳ ἀ]πὸ τῶν κριθῶν καὶ τῶν πυρῶν καὶ τῷ Τριπτολέμῳ καὶ τῷ Θεῷ καὶ τῇ Θεᾷ καὶ τῷ Εὐβούλῳ ἱερεῖον ἑκάστῳ τέλειον καὶ τῇ Ἀθηναίᾳ βοῦν χρυσόκερων*, unde simul apparet editores alterius tituli vs. 4 recte nomen *Τρι[πτολέμῳ]* restituisse.

Denique eiusdem generis sacra praescribuntur C. I. A. I 533 B (534) vs. 2 *Κηρύ[κ]οιν]* vs. 3 - - *ου Ἐλευσιν* - - vs. 4 *Οἰνόησι Ἀρτ[έμιδι* vs. 5 *τριττό[αν] β[ούαρχον]* vs. 7 *ἱερέα* vel *ἱερεῖ Ἀπόλλ[ωνος* vs 8 — 9 *Δήμ[ητρι] τρ[ιττόαν] βού[α]ρχο[ν]*, vs. 10 *Ἀθηναίᾳ οἶ[ν* - - - quae ipsa quoque ad Eleusinios sacrificulos pertinere existimo.

b) Eumenidum sacrificuli.

De eorum sacrificandi cura singulare est quod legimus apud Dem. c. Mid. § 115 *περιεῖδε δὲ ταῖς Σεμναῖς Θεαῖς ἱεροποιὸν αἱρεθέντα ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων τρίτον αὐτὸν καὶ καταρξάμενον τῶν ἱερῶν*. Auspicabantur igitur sacra i. e. eas faciebant caerimonias quae sacrificiis ipsis antecedebant: veluti pilos ab hostiae capite detondebant atque iis qui rebus divinis intererant distribuebant, ut in ignem inicerent. De aliis eiusmodi ritibus cf. Hom. Od. *γ* 444—445 *γέρων δ' ἱππηλάτα Νέστωρ χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε κατήρχετο* et Hesych. s. v. *οὐλοχύτα· τὰ κατάργματα*. Qualia negotia auspicandi causa perpetrata de solis Eumenidum sacrificulis diserte memorantur. Quamquam praeter haec ab iisdem ipsa quoque sacra peragi solita esse facile statuas.

c) Sacrificuli extraordinarii

a senatu ut fausta rei publicae procurent electi *Ἀθήν.* VI p. 482 n. 3 sacra aliasque res divinas (*ἱερὰ καὶ θυσίας*) una cum sacerdotibus faciunt in salutem senatus populique Atheniensium Baccho potissimum, praeterea Neptuno Mari-

timo, Iovi Servatori, Iovi Ammoni. Atque in initio legimus *ὁ ἱερεὺ[ς] τοῦ Διονύ[σου ..... καὶ οἱ ἱεροποι]οὶ οἱ αἱρε[θ]έντε[ς ὑπὸ τῆς βουλῆς ὑπὲρ τῶν ἱερῶν ὧν ἔ]θυον τῷ Διονύσῳ καὶ [τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἷς προσ]ῆκε θύειν ὑπὲρ τῆς βουλῆς κα[ὶ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναί]ων*, vs. 22 sqq. *ἐπ[ε]ιδὴ δὲ οἱ ἱεροποιοὶ οἱ αἱρεθέντες ὑπὸ τῆς βουλῆς καλῶ[ς] καὶ φιλοτίμω[ς] ἐπεμελήθη[σα]ν τῆς ΤΕΝΤΩΓ . Ι .. ς τῶν ἱερῶν καὶ τῶν θ[υ]σιῶν .... Ο .. καὶ .... ΗΡΙΩΝ καὶ [τ]ἄλλα τὰ περὶ τὴν Ι .... Μ ... ΙΩΙΩ......... ΤΛΙ ἐπιμ[εμ]έληνται κ. τ. λ.* [1])

Sacrificia extraordinaria quae sacrificuli cum senatus quaestore procurant notantur C. I. A. II 329 in decreto altero — *καὶ ταμίας αἱρεθεὶς ὑπὸ τῆς βουλῆς εἴς τε τὰ[ς] θυσίας τοῖς .... σιν μεμέρικεν τοῖς ἱεροποιοῖς.* In sequentibus unus versus excidit ex Boeckhii sententia, qui haec restituit: *καὶ αὐτὸς συνεπιμε[μέ]λ[η]τα[ι], ὡς τὰ τῶν πα[τρίων θεῶν - - - - πά]σας τὰς θυσίας ἔθυσεν κ. τ. λ.*

II. Sacra pagorum et collegiorum.

Pagi Aexonae sacrificuli Iuventati aliisque quibus iubentur deis sacra offerunt C. I. A. II 581 *ἐπειδὴ οἱ λαχόντες ἱεροποιοὶ εἰς τὸ τῆς Ἥβης ἱερὸν δικαίως καὶ φιλοτίμως ἐπε[μ]ελήθησαν τῆς θυσίας τῇ Ἥβῃ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἷς ἔδει αὐτοὺς θῦσαι κ. τ. λ.*

C. I. A. I (IV) 2 Scambonidarum curatores sacrorum cum aliis officiis quae ad sacrificia spectant funguntur tum ipsam *κρεανομίαν*, ni fallor, administrant: Pars C vs. 16 *σῦν θή[λειαν]*, vs. 18 sqq. *[τ]ὰ [δὲ] κρέα ἀπο[λοῦσθ]α[ι] ὠμά.* Pars A vs. 3 - - *νέμειν δ[ὲ - - μέχρι ἡλ]ίου δύνοντος*, vs. 13 - - *τοῦ δημά[ρχου.* In sequentibus - - *ίαν* (fortasse *μίαν* sc. *μερίδα*) *διδόνα[ι - -]ιείοις καὶ [Παναθ]ηναίοις νέμ[ειν ἐν ἀ]γορᾷ τῇ Σκ[αμβω]νιδῶν.* vs. 22 - - *ἡμι* - -

---

[1]) Huic titulo persimilis est alter apud Lenormant. rech. archéol. à Eleusis p. 64 sqq., ubi agitur de *ἐπιμεληταῖς τῶν μυστηρίων* qui ipsi quoque pro senatus populique salute in mysteriis quae *τὰ πρὸς Ἄγραν* dicuntur sacrificant. Facile apparet in eiusmodi sacris faciendis curatoribusque eorum creandis certas normas ab Atheniensibus observari.

(*ἥμισυ*?). Unde sacrificulos intellegendos esse non dubito, praesertim cum pari modo quo in Aexonensium decreto (C. I. A. II 581) de rationibus ab iis reddendis verba fiant in parte B vs. 1—12 - - - *ἐπαγγελθῇ, καὶ τὰ κοιν[ὰ] τὰ Σκαμβωνιδῶν σωῶ καὶ ἀποδώσω παρὰ τὸν εὔθυνον τὸ καθῆκον*[1]).

De sacris ab *ἱεροποιοῖς* collegiorum sacrorum curatis multa extant testimonia (cf. Foucart associat. relig. chez les Gr., maxime p. 24. 28. 29.). Eius generis curationem habent

α) orgeonum sacrificuli C. I. A. II 610 vs. 17 *διδόναι δὲ [τοῖς ἱ]εροποιοῖς εἰς τὴν θυσίαν (δύο) δραχμὰς ἕκαστον τῶν ὀργεώνων οἷς μέτεστι [το]ῦ [ἱε]ροῦ τοῦ Θαργηλιῶνος πρὸ τῆς ἕκτης ἐπὶ δέκα.*

β) thiasotarum C. I. A. II 611 libationem faciunt (*σπονδάς*) vs. 37 *ἀναγορεύειν δὲ τόνδε τὸν στέφανον τοὺς ἱεροπο(ι)οὺς τοὺς ἀεὶ λαγχάνοντας ἱεροποεῖν μετὰ τὰς σπονδάς*. Thiasotarum Veneris Bull. de corr. hell. III p. 510 (tit. alter) vs. 28 *καὶ νῦν ἱεροποιὸς λ[αχ]ὼν μετὰ τῶν ἄλλων συνιεροποι[ῶ]ν ἀνὴρ ἀγαθὸς γέγονεν καὶ τὰς [θ]υσίας ἔθυσε τοῖς θεοῖς ἃς πάτ[ρ]ιον ἦν αὐτοῖς.* Ib. in decreto tertio vs. 45 sqq. *ἐπειδὴ Στέφανος ἱεροποιὸς γενόμενος εὖ ἐπεμελήθη τῆς θ[υ]σίας τῆς Ἀφροδίτης κ. τ. λ.*

γ) eranistarum C. I. A. II 616 vs. 22 sacris operantur Iovi Servatori, Herculi, Servatoribus: *τοὺς ἱεροποιοὺς τῷ Διῒ τῷ Σωτῆρι καὶ τῷ Ἡρακλεῖ καὶ τοῖς Σωτῆρσιν.*

δ) Sarapiastarum C. I. A. II 617 vs. 13 sqq. *ἀναγορεύειν [αὐ]τῶν τὰ ὀν[όματα τ]οὺς ἱεροποιοὺς ἀεὶ κα[θ' ἑ]κάστην θ[υσίαν μετ]ὰ τὰ ἱερά.*

B) In aliis civitatibus.

1. Myconi: *Ἀθήν.* II p. 237 = Le Bas-Wadd. II (insul.) n. 1058 recensentur sacra publica singulis mensibus sollemniter facienda. Ubi primum quidem omnes quae ad ea curanda necessariae sunt res praeparant *ἱεροποιοί*, i. e.

[1]) Curam sacrorum aliis in Atheniensium pagis aliis magistratibus commissam fuisse testatur C. I. A. II 580, ubi *μεράρχαι* laudantur qui *καλῶς καὶ φιλοτίμως τῶν θυσιῶν ἐπεμελήθησαν*. De rationibus cf. II 570.

hostias sacra pecunia emunt, ligna, molam ad sacrificandum suppeditant; deinde sacrificia ipsa eos perpetrasse custodientibus archontibus et sacerdotibus (v. tituli verba infra exscripta), etiamsi diserte titulus non doceat, sumendum est. Proinde si opus est extispiciis uti, iidem quae necessaria sunt procurant: vs. 15 *Ληναιῶνος δεκάτῃ ΕΠΙΟΓΔΙ-Ι ὑπὲρ καρποῦ Δήμητρι ὗν ἐγκύμονα πρωτότοκον, Κόρῃ κάπρον τέλεον, Διὶ Βουλεῖ χοῖρον· ταῦτα διδόντων ἱεροποιοὶ ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου, καὶ ξύλα διδόντων καὶ ὀλάς· ἐπιμελέσθων δὲ τῶν ἱερῶν ὅπως [καλ]ὰ [ἦ]ι ἄρχοντες καὶ ἱερεῖς· ἐὰν δέ τι δέῃ καλλιερεῖν, ἱεροποιοὶ διδόντων· εἰς δὲ τὴν ἑορτὴν θυέτω Μυκονιάδων ἡ βουλο[μ]έ[νη] κ. τ. λ.* In sacris Baccho offerendis capri immolandi pretium dare — nam hanc vim verbo *τιμήν* tribuendam iudico — atque epularum ex carne populo comparandarum participes esse iidem iubentur vs. 26 *Βακχιῶνος δε[κά]τῃ ἑνδεκάδι Διονύσῳ Βακχεῖ χίμαρος καλλιστεύω[ν]· τὴν τιμὴν ἱεροποιοὶ διδόντων καὶ συνεστιάσθων, δ[αι]νύσθων δὲ αὐτοῦ.*

2. Naucratide similes eorum partes in epulis sacris diebus festis Vestae Bacchi Apollinis in prytaneo parandis fuisse notavit Hermeas in libro II de Apolline Gryneo apud Athenaeum IV p. 149f: ubi ciborum generibus portionibusque singillatim descriptis additur *καὶ ὃς ἂν ἔξω τι τούτων ἱεροποιὸς παρασκευάσῃ ὑπὸ τῶν τιμούχων ζημιοῦται.*

3. Camiri *ἱεροποιοί* omnes res sacras religionesque, quae quidem ad rem publicam spectant, administrant: Newton transact. of the royal soc. of lit. XI p. 435 *τοῦτοι δὲ* (sc. *κτοινῶν* i. e. pagorum *μάστροι*) *συνλεγέσθων ἐν Καμίρῳ εἰς τὸ ἱερὸν τὰς Ἀθαναίας, ὄκκα τοὶ ἱεροποιοὶ παραγέ[ν]ωνται, καὶ ἀθρεόντω τὰ ἱερὰ τὰ Καμιρέων [τὰ δαμο]τελῆ πάντα ....*

Idem existimandum est de Lindiorum sacrificulis. Ibi enim cum duo magistratuum sacerdotalium collegia habeantur, *ἱεροθύται* et *ἱεροποιοί*, atque illis curam *τῆς κοινῆς ἑστίας* commissam fuisse ex titulis appareat [1]), sacrificulorum fuisse publica sacra iussu civitatis curare iudicabimus.

1) Cf. Foucart inscr. ined. ins. Rhodi p. 71. Newton anc. gr. inscr. in the Br. Mus. II p. 134.

4. Tei in Ioniae urbe sacrificuli una cum sacerdotibus et magistratibus rebus divinis (*κατευχαῖς*, [*σπ*]*ονδαῖς*, *θυσίαις*) operantur in consecrando templo quod Attalus II rex Apollonidi matri aedificavit: Le Bas-Wadd. Asie min. n. 88 vs. 4 sqq. *τῶν δὲ θυσιῶν ἐπιμεληθῆναι τὸν ἱερέα* [*Ἀτ-τάλου Εὐσεβοῦ*]*ς κα*[*ὶ*] *θεᾶς Ἀπολλωνίδος Εὐσεβοῦς καὶ τὴν ἱέρειαν αὐτῆς κα*[*ὶ βα*]*σιλίσσης Στρατονίκης καὶ τὸν πρύτανιν καὶ τοὺς ἱεροποιοὺς καὶ τὰς* [*ἄ*]*λλας συναρχίας. καὶ μετὰ τὸ συντελεσθῆναι τὰς κατευχὰς καὶ τὰς* [*σπ*]*ονδὰς καὶ τὰς θυσίας, ᾆσαι τοὺς ἐλευθέρους παῖδας παραβώμιον.*

5. Prorsus singulares sunt *ἱεροποιοί* feminini generis Cyzici in urbe quae dicuntur *ἱεροποιοὶ αἱ προσαγορευόμεναι θαλάσσιαι*, quippe quae adiutrices sacerdotum Matris Placianae (*αἱ συντελοῦσαι τοὺς κόσμους παρὰ τῇ Μητρὶ τῇ Πλακιανῇ*) imaginem deae in mari lavent. De quibus non habeo quod addam iis quae disputavit Marquardt in libro de Cyzico urbe p. 100 sqq.

Ex aliarum urbium titulis certi quidquam his de officiis enucleari nequit[1]): tamen a nullis civitatum Graecarum sacrificulis haec sacrificandi officia aliena fuisse, utpote quae muneris ex ipsius vocis notione propria sint, facile intellegitur.

§ 2.
DE RERUM SACRARUM ADMINISTRATIONE.
I. Athenis.

Administrationis sacrarum pecuniarum quae ad peculiares magistratus (*ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων*) pertinet ipsi decem *ἱεροποιοὶ κατ' ἐνιαυτόν* expertes sunt. Qui cum non certis deorum templis sed summis rei publicae festis sacrisque publice celebrandis destinati sint, populi iussu a quaestoribus rerum sacrarum Minervae pecuniam accipiunt, qua

---

[1]) Deliorum *ἱεροποιῶν* officia cum omnia fere ad administrandas pecunias sacras pertineant, eorundem sacrificia in tanta titulorum copia nunquam memorantur: nisi quod expensae ab eis in sacrificia factae recensentur: Bull. de corr. hell. VI p. 22 vs. 180 *τάδε ἀνήλωται* ..... *εἰς θυσίαν Ἀπόλλωνι, Ἀρτέμιδι, Λητοῖ, Διὶ Σωτῆρι, Ἀθηνᾷ Σωτείρᾳ* ..... *ξύλα ἐπὶ βωμούς, Πύθιον, ἱεροποῖον* sim.

sumptus sacrificiorum sustineant. Exemplo est C. I. A. I 188, ubi vs. 5 sqq. summae pecuniarum recensentur in secunda prytania anni 40 7/6 a. Chr. n. ad Panathenaea agenda et *ἀθλοθέταις* et *ἱεροποιοῖς* datae: *Ἐπὶ τῆς Αἰγηίδος δευτέρας πρυτανευούσης ἀθλοθέταις παρεδ[ό]θη εἰς Παναθήναια τὰ μεγάλα, Φίλωνι Κυδαθηναιεῖ καὶ συνάρχουσιν Ἀθηναίας Πολιάδος* (*πέντε τάλαντα χίλιαι δρ.*), *ἱεροποιοῖς κατ' [ἐ]νιαυτόν, Διύλλῳ Ἐρχιεῖ καὶ συνάρχουσιν, εἰς τὴν ἑκατόμβην πεντακισχίλιαι ἑκατὸν τετταρεςκαίδεκα*). Hanc pecuniam consumunt in emendis hostiis apparandisque sollemnibus, i. e. pompaducenda, aris deorum quibus sacra offerenda sunt ornandis, ministris qui ipsos in sacrificiis adiuvent instituendis (cf. C. I. A. II 163). Diebus festis peractis pecunias ex pellibus immolatarum hostiarum publice venditis paratas ad quaestores Minervae deferunt (cf. § 1), de pecuniis sibi commissis rationem populo reddunt. Verum praeter haec noli putare eorum custodiae pecuniam sacram administrandam commissam fuisse.

Contra templorum res sacras administrabant

1. *ἱεροποιοί* quorum officia certorum templorum curae certorumque deorum cultui destinantur.

Quod luculenter perspicitur ex tit. C. I. A I 32 (anni Ol. 86,2, a. Chr. n. 43 5/4). Agitur de solvendo aere alieno a re publica singulorum praeter Minervam deorum templis debito. Quam ob rem prytanes et senatores indices rationum sacrae pecuniae in templis servatae petere iubentur a sacerdotibus, sacrificulis, aliis: *ἀποδόντων [δὲ τ]ὰ χρήματα οἱ πρυτάνεις μετὰ τῆς βουλῆς καὶ ἐξαλειφόντων, ἐπει[δὰν] ἀποδῶσιν, ζητήσαντες τά τε πινάκια καὶ τὰ γραμματεῖα καὶ ἐάμ π[ου ἄλ]λοθι ᾖ γεγραμμένα· ἀποφαινόντων δὲ τὰ γεγραμμένα οἵ τε ἱερ[ῆς κ]αὶ οἱ ἱεροποιοὶ καὶ εἴ τις ἄλλος οἶδεν.* Itaque singulorum deorum *ἱεροποιοί* intelleguntur pecuniae sacrae administratores (cf. infra), qui quae deorum templis debentur referunt in tabulas expensi et accepti. Iam pecuniis debitis redditis illo decreto qui usque adeo bona sacra administraverant in arce ea coram senatu accurate numerare et appendere iubentur novis quaestoribus tunc primum a populo creatis (*ταμίαι τῶν ἄλλων θεῶν*) qui illa recipiant, recepta in opi-

sthodomo deponant atque in futurum administrent vs. 13 sqq. ταμίας δὲ ἀποκυαμεύει[ν το]ύτων τῶν χρημάτων, ὅταμπερ τὰς ἄλλας ἀρχάς, καθάπερ τοὺς τῶν ἱ[ερῶ]ν τῶν τῆς Ἀθηναίας· οὗτοι δὲ ταμιευόντων ἐμ πόλει ἐν τῷ ὀπισθ[οδό]μῳ τὰ τῶν θεῶν χρήματα κ. τ. λ. παρὰ δὲ τῶν νῦν ταμιῶν καὶ τῶν ἐπιστατῶν καὶ τῶν ἱεροποιῶν τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς, οἳ νῦν διαχειρίζου[σι]ν, ἀπαριθμησάσθων καὶ ἀποστησάσθων τὰ χρήματα ἐναντίον τῆς βουλ[ῆ]ς ἐμ πόλει καὶ παραδεξάσθων οἱ ταμίαι οἱ λαχόντες παρὰ τῶν νῦ[ν] ἀρχόντων κ. τ λ. Unde manifestum est hoc sacrificulorum pecuniae sacrae administrandae officium ipso illo decreto Ol. 86,2 facto sublatum esse instituto communi reliquorum deorum (τῶν ἄλλων θεῶν) aerario[1]).

Accuratiora docent de Eleusiniorum sacrificulis duo tituli Eleusinii Periclis aetate conscripti: C. I. A. I (IV) 1 et Bull. de corr. hell. IV p. 226 sqq.

Ac priore titulo, qui aetate Ol. 81 longe superat (cf. Kirchhoffi adn.), praecepta continentur de rebus quae ad cultum deorum Eleusiniorum pertinent ordinandis. Inde a vs. 24 de sacris pecuniis administrandis agitur: [τ]οῦ δὲ [ἱε]ροῦ ἀργυρί[ου τὸ μὲν ... Quae pecunia in duas partes divisa esse videtur, quarum ut in suo quaeque templo, et altera quidem in Minervae ipsa in urbe, altera in sacro Eleusinio quod Eleusine est deponatur et ab sacrificulis administretur senatus populusque decernit: vs. 28 sqq.

εν τοῦ τῆς Ἀθηναία[ς ἀρχαίου ν]-
[ε]ὼ ἐμ πόλει· τὸ δὲ ἀρ[χαῖον τοῖ]-
[ς] ἱεροποιο[ῖσι] το[....... ἐ]-
[μ] πόλει ταμιεύεσθ[αι ὥσπερ]
[κατὰ ἀρ]χὴν? ἐν τῷ ʿ[ιερῷ ...

quibus verbis docemur hoc sacrificulorum munus olim usitatum fuisse.

De eadem autem administratione etiam copiosius agitur

---

[1]) Cf. Kirchhoff Bemerkungen zu den Urkunden der Schatzmeister der andern Götter (ταμίαι τῶν ἄλλων θεῶν) p. 1.

in decreto pretiosissimo nuper reperto, quod ad Ol. 83 finem pertinere videtur. Quo primitias frumenti deis Eleusiniis oraculi iussu[1]) et ab Atheniensibus eorumque sociis et a reliquis Graecorum civitatibus offerendas Eleusiniorum sacrificuli iubentur accipere, acceptas condere et servare in tribus fossis frumentariis ex pecunia sacra dearum exstruendis loco ex ipsorum et architecti arbitrio eligendo: vs. 10 sqq. *οἰκοδομῆσαι δὲ σιροὺς τρεῖς Ἐλευσῖνι κατὰ τὰ πάτρια ὅπου ἂν δοκῇ τοῖς ἱεροποιοῖς καὶ τῷ ἀρ[χ]ιτέκτονι ἐπιτήδειον εἶναι ἀπὸ τοῦ ἀργυρίου τοῦ τοῖν Θεοῖν· τὸν [δὲ κα]ρπὸν ἐνθαυθοῖ ἐμβάλλειν ὃν ἂν παραλάβωσι παρὰ τῶν δημάρ-[χων.* Ubi sacra ex his frugibus deis facta sint (vs. 36 sqq. cf. § 1), praecipitur ut reliquum frumentum sacrificuli cum senatu vendant, e pecunia ita parta donaria conficienda curent talia qualia praescripturus sit ipse populus Atheniensium, inque donariis inscribant nomina dedicantium: vs. 40 sqq. *τὰς δὲ ἄλλας κριθὰς καὶ πυροὺς ἀποδομένους τοὺς ἱεροποιοὺς μετὰ τῆς βουλῆς ἀναθήματα ἀνατιθέναι τοῖν Θεοῖν, π[ο]ιη[σ]αμένους ἅττ' ἂν τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων δοκῇ, καὶ ἐπιγράφειν τοῖς ἀναθήμασιν, ὅτι ἀπὸ τοῦ καρποῦ τῆς ἀπαρχῆς ἀνεθέθη, καὶ Ἑλλήνων τὸν ἀπαρχόμενον.*

Ex his quae de Eleusiniorum sacrificulis diserte traduntur coniecturam capere licet, cuius generis fuerit illa rerum sacrarum administratio qua usque ad quaestores reliquorum deorum institutos usi sint *ἱεροποιοί* certorum templorum. Qua administratione populi decreto a. 435 sublata ipsi quoque *ἱεροποιοί* sublati esse videntur: quorum nulla amplius vestigia comparent. Nisi quod sacrificuli Eleusinii suo et honore et munere privati non sunt: nimirum ut erat peculiaris sacrorum Eleusiniorum in re publica Atheniensium condicio, ne pecuniae quidem sacrae Dearum Eleusiniarum videntur unquam ad quaestorum *τῶν ἄλλων θεῶν* administrationem revocatae esse.

---

[1]) De sacrificii causa cf. Isocr. Paneg. § 31 *ταῖς δ' ἐκλειπούσαις πολλάκις ἡ Πυθία προσέταξεν ἀποφέρειν τὰ μέρη τῶν καρπῶν καὶ ποιεῖν πρὸς τὴν πόλιν τὴν ἡμετέραν τὰ πάτρια.*

2. In pagis Atticis.

Unum nobis testimonium sacrificulorum paganorum administrationis exhibet tit. Mitth. IV 201: qui quamquam valde mutilatus est, constat tamen verba fieri de pascuis Aexonensium locandis, reisque faciendis iis qui pretium non solverint. Quae pascua ex dei alicuius pagani possessione esse ipsa *ἱεροποιῶν* mentio innuit: vs. 3 *σ]ὺν τῷ - - - - δικαστηρίῳ [- - - - δικ]άζει - τὰς - - - - καὶ τὸν δήμαρχον δωρ[- - - - ἱερ]οποιοῖς ὅτι - ἀναλώσει? - - - δικάζεσθαι δὲ τὸν δήμαρ[χον - - -] ἀποδεδωκόσιν καὶ τῷ τοῦ ἐννο[μί]ου τὴν τι[μὴν] οὐκ ἀπο[δεδωκότι - - κ. τ. λ.* cf. infra III.

II. Deli.

De Deliorum templorum administratione iam accuratissima notitia peti potest ex larga titulorum segete cum maxime facta. Atque in rationem vocandi sunt hi tituli: C. I. G. II 2266, quem titulum iterum edidit et restituit Fabricius in Herma XVII p. 4—5; C. I. G. II 2953 b; Le Bas-Wadd. II (insul.) 2092; Homollius in Bull. de corr. hell. II p. 333 sqq. 340. 341. 343. 570 sqq. V p. 25 sqq. 465. VI p. 6—54. De sacrificulis Deliis nonnulla disseruerunt Jebbius in journ. of hell. stud. a. 1880 I p. 30 sqq., Fabricius l. c. p. 21, plura Homollius in Bull. VI p. 57 sqq. Tituli omnes tempori liberae Deli adscribendi sunt. Nam quibus temporibus Delus Atheniensibus subiecta erat primum[1]) amphictiones Athenienses, deinde magistratus qui vocantur *οἱ καθιστάμενοι ἐπὶ τὴν φυλακὴν τῶν ἱερῶν χρημάτων καὶ τῶν ἄλλων προσόδων τῶν τοῦ θεοῦ* sacris bonis insulae administrandis praeerant, cf. Homolle in Bull. II p. 581, VI p. 1—2; Jebb l. c. p. 30.

Complectuntur tituli sacrificulorum rationes publice redditas pecuniarum non solum sacrarum, verum etiam publicarum in Apollinis et Dianae templis depositarum (*ἐν τῇ κιβωτῷ τῇ ἱερᾷ — ἐν τῇ δημοσίᾳ κιβωτῷ*), praeterea donariorum Apollini oblatorum ceterisque deis cum Apollinis

---

[1]) ca. 454—320 a. Chr. n. cf. Homolle Bull. de corr. hell. VI p. 1.

templo coniunctis vel intra eosdem fines sacros conditis[1]). Itaque collegium *ἱεροποιῶν* Delium simile fuisse apparet Atheniensium *ταμίαις τῶν ἱερῶν χρημάτων*, quibus praeter pecunias sacras et donaria publici quoque thesauri custodia commissa erat. — Hinc explicatur, quod non intra unius templi certi administrationem sacrificulorum munera sese continent. Certe pecuniae sacrae et publicae non solum in Apollinis fano sed etiam in Artemisio custodiebantur[2]) (cf. Homolle in Bull. VI p. 59 qui de ratione inter ea templa statuenda diversas easque satis incertas coniecturas profert II p. 339 et VI p. 60), donaria et in utroque templo et praeterea in aliis fanis thesaurisve, velut *ἐν τῷ ναῷ οὗ τὰ ἑπτά* Bull. VI p. 29 vs. 177; *ἐν τῷ πωρίνῳ οἴκῳ* ib. vs. 178 sqq.; *ἐν τῷ Ἀνδρίων οἴκῳ* ib. vs. 155 et p. 135; quibus accedunt *ὁ Δηλίων οἶκος, ὁ Ναξίων οἶκος*, aliae aedes sacrae, de quibus cf. Homolle Bull. VI p. 87.

His praemissis iam per singula quae ad *ἱεροποιῶν* administrationem pertinent ex monumentorum auctoritate persequamur: qua in re summam rem attigisse satis habemus, quoniam plurima Homollius docte exposuit l. c. VI p. 59 sqq.

a) Pecuniae acceptae.

Reditus sacri maximam partem efficiuntur vectigalibus ex agris pascuis aedificiis portubus etc. exactis:

---

[1]) Cf. Homolle Bull. de corr. hell. VI p. 87 sqq.

[2]) Bull. VI p. 6 vs. 2 *Τόδε παρελάβομεν ἀργύριον ἐν τῷ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν τεῖ κιβωτῷ τεῖ ἱερᾷ κ. τ. λ.* Idem legendum II p. 570 vs. 2 ubi Homollius non recte supplevit *τάδε παρελ[άβομεν ἐν τῷ Ἀρτεμισίῳ . . .] ἐν τῇ ἱερᾷ κιβωτῷ.* Nec rectius, ut hoc obiter moneam, C. I. G. 2953 b vs. 7 — 8 [*ἐκ δὲ τῶν ὀφ*]*ειλομένων χρημάτων τῷ θεῷ* Boeckhius Dianam Ephesiam intellegendam ratus *τῷ* in *τῇ* mutavit. — Bull. VI p. 12 vs. 75 *Καὶ τόδε ἄλλο ἀργύριον παρελάβομεν παρ' ἱεροποιῶν Συνωνύμου καὶ Κρίττιος ἐν τῇ δημοσίᾳ κιβωτῷ κ. τ. λ.* cf. vs. 98 sqq. 121 sqq. — C. I. G. 2953 b vs. 3 [*Τόδε παρελάβομεν*] *ἀργύριον ἐν Ἀρτεμισίῳ παρὰ ἱεροποιῶν κ. τ. λ.* Bull. VI p. 60 vs. 2 *τάδε παρελάβομεν . . . ἐν τῷ Ἀρτεμισίῳ*, cf. Bull. II p. 340 vs. 12 *ἐξέδομεν ἐκ τοῦ Ἀρτεμισίου*, p. 341 [*εἰς τὸ Ἀρτε*]*μίσιο*[*ν. . . . ἐξέδομεν*] *ἐκ τοῦ Ἀρτεμισίου.* Simili modo donaria in utroque templo asservata recensentur Bull. VI p. 29 vs. 1 *Τάδε παρελάβομεν ἐν τῷ ναῷ τοῦ Ἀπόλλω-*

α) *ἐνηρόσια* (de nomine cf. Homolle Bull. VI p. 62) veluti *λειμῶνος, φυταλιᾶς, ἱπποδρόμου* C. I. G. 2953b vs. 24 sqq. Le Bas-Wadd. 2092 vs. 4 sqq. Bull. II p. 341. 570. VI p. 19 vs. 145 sqq.

β) *ἐνοίκια* (veluti *ἀνδρώνων, τῶν οἰκημάτων τῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ*) C. I. G. 2953b vs. 36. Le Bas-Wadd. 2092 vs. 16 sqq. Bull. II 570, 14. 50. VI 18 vs. 140 sqq.

γ) *τέλη* (inter quae *πορθμεῖα, ὁλκός, πορφύρα* al.) C. I. G. 2953b vs. 40 sqq. Le Bas-Wadd. 2092 vs. 28 sqq. Bull. II 341 sqq. VI 19 vs. 152 sqq.

δ) *δάνεια* vel *τόκοι* (e. g. *τῶν κληρονόμων*) Le Bas-Wadd. 2092 col. II vs. 1 sqq. Bull. II 570 vs. 24 sqq. VI p. 20 vs. 159 sqq.

Saepe haec quattuor genera comprehenduntur in rationibus: Bull. VI p. 10 vs. 48 *τὸ πραχθὲν ἐνηροσίων, ἐνοικίων, τελῶν, τόκων* cf. vs. 50. 70. Bull. II p. 570 vs. 11. 15. 18. 45.

ε) reditus peregre exacti: *τὸ ἀπελθὸν ἐκ Τήνου, τὸ ἐν τῇ Μινόῃ φανέν* Bull. II p. 570 vs. 5. 6. VI p. 6 vs. 4. 6, alia. Cf. VI p. 75.

De reditibus aliis minoris momenti ib. p. 70 sqq.

Ceterum vectigalia non per ipsos sacrificulos exigebantur, sed per *διοικητάς* exacta ad illos deferebantur: cf. Bull. VI p. 71 sqq.

b) Pecuniae expensae.

α) in res divinas singulis mensibus faciendas cf. Bull. VI p. 22 vs. 180 sqq. *Τάδε ἀνήλωται εἰς τὰ* |||||||| *κατὰ μῆνα· Ληναιῶνος· χοῖρος τὸ ἱερὸν καθᾶ[ραι* |||||||||· *πεύκη κληματίς·* |||· *στεφανώ]ματα ἐπὶ βωμοὺς καὶ Πύθιον καὶ πρόπυλα Δ* ||| · *τῷ τοὺς στεφάνους πλέξαντι* ||||||||· *εἰς θυσίαν Ἀπόλλωνι, Ἀρτέμιδι, Λητοῖ, Διὶ Σωτῆρι, Ἀθηνᾷ Σωτείρᾳ* [. . . . . · *ξύλα ἐπὶ βωμούς*], *Πύθιον, ἱεροποῖον κ. τ. λ.*, sim. alias passim.

β) in aedificia sacra exstruenda vel reficienda: C. I. G. 2953b vs. 18 *ἄλ[λο] ἐξείλομεν εἰς τὰ ἔργα μηνὸς* . . . Bull.

νος κ. τ. λ. cf. p. 44. 142. II p. 338. — VI p. 48 vs. 179 *Καὶ τάδε παρελάβομεν ἐν τῷ ναῷ τῆς Ἀρτέμι[δος παρὰ ἱεροποιῶν] κ. τ. λ.*.

II 340 vs. 6 sqq. 13. VI p. 10 vs. 55. 61 sqq. 67 *ἀπὸ τούτου ἀφείλομ(εν) ἱεροποιοὶ οἱ ἐπ' ἄρχοντος Δημάρου εἰς τὴν κατασκευὴν τοῦ ναοῦ τῆς Ἀρτέμιδος κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου XXHH*, al.

γ) ex aerario publico populi iussu in frumentum emendum (*εἰς τὴν σιτωνίαν κατὰ τὴν διάταξιν*): Bull. VI p. 17 vs. 123 sqq. 131 sqq.

δ) indidem in ludorum apparatum ib. 128 sq. *τοῖς αὐληταῖς XXX καὶ τὸ σιτηρέσιον καὶ τὰ χορηγήματα καὶ τὸ νικητήριον HHHHΠΔΔ. τοῦτο παρέδομεν τοῖς ταμίαις* . . .

ε) expensae publice extra ordinem factae, velut Bull. VI p. 11 vs. 60 sqq. *ἀπὸ τούτου ἀφείλομεν εἰς τὸν στέφανον τῷ βασιλεῖ Φιλίππῳ XHHHΠ*, et alia *κατὰ ψηφίσματα* expensa, cf. Bull. II 570 vs. 195 sqq.

ζ) indidem *ἐκ τῶν ἀκατατάκτων* ib. vs. 136 sqq.

Praeterea *ἱεροποιοί* ex sacro aerario pecunias fenore collocare solent apud civitatem eiusque quaestores, saepe etiam apud privatos homines locupletes: C. I. G. 2953b vs. 9 sqq. *τοῦτο ἐδανείσ[α]μεν τῇ πόλει κ. τ. λ.* vs. 15 *καὶ τοῖς ταμίαις*. LeBas-Wadd. 2092 vs. 41 sqq. *δανείου ἱεροῦ*. Bull. II p. 570 sqq. *τὸ παρὰ Φιλοκλέους τοῦ Φιλοκλέους τὸ δάνειον ὃ ὤφειλε τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου*, cf. vs. 32 sq. 58. 84 *ε]ἰς ἀπό[δοσιν τῷ θε]ῷ[ι τῶν δ]ανείων [τ]ῶν ὀφειλομένων παρὰ τεῖ πό[λει* —

VI p. 8 vs. 30 *τὸ [πε]σὸν παρ' Ἀριστοφάνου δάνειον ὃ ἐδάνεισαν αὐτῷ ἱεροποιοὶ Εὐβοεὺς καὶ Παρμενίων*, cf. vs. 51. 71 sqq. 160. 168. 174. 178. 212 sqq. De pecunia civitati fenori data agitur in eiusdem tituli vss. 27. 42 sqq. 64 sqq.

c) Locationes.

α) Vectigalia ab ipsis sacrificulis locantur: Bull. II p. 343 . . . . . . *Ἐ]πὶ Φίλωνος* . . . . . *ἱεροπο[ιοὶ* . . . . . .] *ἀπεμισθ[ώσα]μεν* . . . . *πορθμεῖον τὸ εἰς τὴν [Μύκονον* . . . .] *τὸν ὁλκὸν τὸν ἐν τεῖ [ἰσθμῷ τεῖ ἐν Μυκόνῳ* . .] . . . *τὰ στροφ[εῖα* . . . . *τὸ πορθμεῖο]ν τὸ ἐς [τὴν] Μύκονον* [. . . . . . . *ἡ]μιωβέλια* . . vs. 11 sq. fortasse legendum *πορφ]ύραν*.

β) Opera facienda una cum epistatis locant C. I. G. II 2266[1]), ubi vs. 12 sqq. definitur ratio pecuniae a sacrificulis et epistatis redemptori templi solvendae: ἐπειδὰν δὲ τοὺς ἐγγυητὰς καταστήσῃ ὁ ἐργώνης [ἀξι]ο[χρέους?, ἀφελόντες οἱ ἱεροποιοὶ καὶ οἱ ἐπιστάται ἀπ]ὸ τοῦ ἀλφήματος παντὸς τὸ ἐπιδέκατον τοῦ λοιποῦ ἀργυρίου ἀποδόντων τὸ ἥμισυ τῷ ἐργώνῃ· ἐπειδὰν δὲ μέρη [δύο λοιπὰ ᾖ τῶν ἔργων, ἀποδόντων τοῦ ἡμίσεος τ]ὸ ἥμισυ· ἐπειδὰν δὲ τὸ τρίτον μέρος λοιπὸν ᾖ τῶν ἔργων, ἀποδόντων τὸ λοιπόν. ἀπὸ [δ]ὲ . . . τοῦ? ἐπιδεκάτου τοῦ ἀ[φαιρεθέντος ἀπὸ τοῦ ἀλφήματος ἀφελό]ντων?, ἐπειδὰν συντελεσθῇ τὸ ἔργον ἅπαν καὶ δοκιμασθῇ κατὰ τὴν συγγραφ[ὴν ταύ]την, ἐπιτίμημα [ὅτ]ῳ ἂν [- - - -. τὸ δὲ λοιπὸν ἀργύ]ριον ἀποδόντων τῷ ἐργώνῃ — vs. 16 sqq. ἐὰν δὲ μὴ διδῶσιν οἱ ἱεροποιοὶ καὶ ἐπιστάται [τ]ὸ [ἀ]ργύριον, ὡς γέγραπται, ἢ ἄλλο [τι - - - -]ν ὀφειλόντων οἱ ἱεροποιοὶ καὶ οἱ ἐπιστάται τῷ ἐργώνῃ τὴν ἴσην ἐπιφοράν, καὶ ὁ [ὦ]νος ἐπίμονος ἔστω καὶ ἡ πρᾶξις ἔστω.

Similia continentur Bull. VI p. 29 sqq. vs. 216 sqq. [Καὶ τάδε ἔργα ἐξέδομεν μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δή]μου, καὶ τὰς δόσεις ἔδομεν, κελεύοντος καὶ τοῦ ἀρχιτέκτονος: ubi non secus atque in illo titulo tres δόσεις praecipiuntur. Cf. Bull. II 340 sq. vs. 13 sqq.

d) Donariorum cura.

Praeter pecunias sacras publicasve donaria quae ad thesaurum Apollinis et Dianae pertinent ἱεροποιῶν custodiae commissa sunt: qui ea ex indicibus accipiunt et recognoscunt, nova donaria in indices redigunt, omnem anathematum copiam per aedes sacras ei rei destinatas disponunt eamque integram servant, de vasis fragmentisve conflandis ad senatum referunt atque donariis novis populi iussu conficiendis operam dant. Plura ea de re Homollius exposuit Bull. VI p. 87 sqq.

e) Tabulae atque traditiones rerum sacrarum.

Sacrificuli ante muneris annum exactum tabulas accepti et expensi conficiunt in quibus etiam residuae pecuniae si

---

[1]) Cf. Fabricius in Herma XVII p. 4—5; id. de architectura Gr. comment. epigraph. Berol. 1881, p. 17 sqq.

quae sunt accurate perscribuntur: cf. Le Bas-Wadd. 2092 extr. et Bull. II p. 570 *τὸ περιὸν ἐκ τῆς στήλης* 47. 65. Bull. V p. 465 *ἐγγράφομεν ...... καὶ Ἀντίγονον Χαριστίου καὶ τοὺς ἐγγύους ᾧ ἔλασσον ἀπέδωκεν τοῦ τέλους τοῦ λιμένος ΔΠ* |||/. VI p. 21 vs. 164 *τόκον ὃν ἔφη ἐγγράψαι ἱεροποιοὺς τοὺς ἐπ᾽ ἄρχοντος Ἐμπέδου κ. τ. λ.* 170. 175. 250 *[ἐγ]γράφομεν ὀφείλοντας τῷ θεῷ* ... p. 28 vs. 2 sqq.

Ipsas pecunias in urnis conditas, quibus unde pecunia collata sit inscribitur (*ἐπιγραφή*) [1], in templis Apollinis et Dianae deponunt: *στάμνον* (sive *κοτύλην*) *ὃν ἔθεσαν ἱεροποιοί*.. Bull. II 570 sqq. VI p. 6 sqq. sescenties. Servantur urnae in arcis sacra et publica (*ἱερὰ κιβωτός* et *δημοσία κιβωτός*).

Omnium autem et pecuniarum utriusque aerarii et donariorum accuratissimum inventarium proponunt: in quo perscribitur primum quas pecunias acceperint a decessoribus (*παρελάβομεν*), deinde quae suo anno acces serint (*εἰσῆκει, ἐτέθη, προσετέθη*) [2] quidque ipsi singulis mensibus ex thesauro deprompserint (*ἀπὸ τούτου ἐξείλομεν*) [3], denique summis perscriptis (*κεφαλὴ οὗ παρελάβομεν, κεφαλὴ τοῦ τεθέντος ἐπὶ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς*) calculos subducunt eorum quae ipsi abituri successoribusondituri sint (*παρέδομεν* vel *παρεδώκαμεν*). Similiter donaria in laterculum referunt, cf. Bull. II p. 338. p. 582. VI p. 29.

Munere perfuncti et pecunias in urnis conditas et donaria in Apollinis templo reliquisque aedibus sacris asservata successoribus tradunt coram senatu, scriba civitatis Deliorum, sacrificulorum scriba [4]: C. I. G. 2953b vs. 3 *[παρελάβομεν ----] ἀργύριον ἐν Ἀρτεμισίῳ παρὰ ἱεροποιῶν*

---

[1]) Cf. titulum Eleusinium supra p. 54 allatum: — *καὶ ἐπιγράφειν τοῖς ἀναθήμασιν ὅτι ἀπὸ τοῦ καρποῦ τῆς ἀπαρχῆς ἀνεθέθη κ. τ. λ.*

[2]) Bull. VI p. 9 vs. 38 *καὶ τόδε ἄλλο ἀργύριον ἐτέθη ἐπὶ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς, εἰς τὴν ἱερὰν κιβωτόν* ... 140 *καὶ τόδε ἄλλο ἀργύριον εἰσῆκει τῷ θεῷ ἐνοικίων*. 148. 152. 159. II p. 576 vs. 78 *[Τάδε] πρ[οσετέθ]η ἐπὶ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς*.

[3]) vel *ἀφείλομεν, προείλομεν* (cf. Bull. VI p. 11 vs. 60 sqq. 67 sqq. *Τάδε ἀνήλωται* p. 22 vs. 180).

[4]) Cf. similem rationem praescriptam in decreto Attico de rebus sacris deorum quaestoribus *τῶν ἄλλων θεῶν* delatis C. I. A. I 32.

[τῶν] ἐ[π'] Ἀ - - - - - - παρούσης βουλῆς καὶ γραμματέως τοῦ τῆς πόλε[ως καὶ γραμματέως τοῦ τῶν ἱερο]πο[ι]ῶν Σκύλακος τοῦ Λεονταίου δραχμὰς M[ꟾ] HHH cf. vs. 22. Bull. II 570 vs. 2 παρε[λάβομεν ἀργύριον ἐν τῷ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος] ἐν τῇ ἱερᾷ κιβωτῷ παρὰ ἱεροποιῶν Ἕρμωνος καὶ Λυκομήδου, παρούσ[ης βουλῆς καὶ τοῦ] γραμματέως τοῦ τῆ[ς πόλεως τοῦ δεῖνος τοῦ .....] καὶ τοῦ τῶν ἱεροποιῶν Πολύβου τοῦ Μενύλλου — στάμνον κ. τ. λ. Bull. II 340 vs. 4—5. Praeterea in tradendis pecuniis Apollinis et publicis civitatis Deliorum adsunt archon et prytanes menstrui Bull. VI p. 6 vs. 2—3 — παρούσης βουλῆς, καὶ τοῦ ἄρχοντος τοῦ τῆς πόλεως Δημάρου, καὶ τοῦ γραμματέως τοῦ τῆς πόλεως Ποσειδίκου, καὶ τῶν πρυτάνεων τῶν κατὰ μῆνα, καὶ τοῦ γραμματέως τοῦ τῶν ἱεροποιῶν Νεοκροντίδου κ. τ. λ. cf. vs. 75—76. Etiam ubi singulae summae sive promendae sive reponendae sunt, eorundem praesentia non raro requiri videtur[1]).

In donariis tradendis neque archontis neque prytanum unquam fit mentio. De quibus cf. Bull. II p. 338 Τάδε παρ]ελάβομεν ἐν τῷ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος παρὰ ἱεροποιῶν Λυκομήδου καὶ Ἕρμ[ωνος καὶ] παρεδ[ώκαμεν ἐπ' ἄρχοντος ....]ους ἱεροποιοῖς Εὐέλθοντι καὶ Παρμενίωνι παρούσης βουλῆς καὶ τοῦ γραμμ[ατέως] τοῦ τῆς πό[λεως τοῦ δεῖνος καὶ τοῦ τ]ῶν ἱεροποιῶν Τιμησιέργου κ. τ. λ. Bull. VI p. 29 in.

Postremo rebus sacris traditis sacrificuli rationes accurate perscriptas publice referunt: qualis est λόγος ἱεροποιῶν tabulis lapidi incisis praescriptus.

III. **Aliis in civitatibus**

similiter atque apud Delios et Atticos (cf. p. 55) certae ἱεροποιῶν partes fuerunt in agris pascuisve sacris locandis.

---

1) Bull. VI p. 10 sq. vs. 55. Μηνὸς ἱεροῦ ἐξείλομεν εἰς τὰ ἔργα, παρόντος ἄρχοντος τοῦ τῆς πόλεως καὶ τῶν γραμματέων καὶ τῶν πρυτάνεων τῶν κατὰ μῆνα, στάμνον κ. τ. λ. Cf. p. 16 vs. 122—123, p. 9 vs. 38 Καὶ τόδε ἄλλο ἀργύριον ἐτέθη ἐπὶ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς εἰς τὴν ἱερὰν κιβωτόν, παρόντος ἄρχοντος τοῦ τῆς πόλεως καὶ τῶν γραμματέων καὶ τῶν πρυτάνεων τῶν κατὰ μῆνα. C. I. G. 2953b vs. 9 sq. et 18 sq. in simili causa non memorantur nisi senatus et scribae.

α) In insula Euboea sacrificuli agros sacros locandos curant, locatorum mercedes debitas exigunt Rangabé ant. hell. II 957 vs. 5—8

Τ]ὰς πενταμυρίας δραχμὰς [ἀ-
ποτινέτω· ἐκπρηττόντων
δὲ οἱ ἱεροπωοὶ [ἐκ] τῶν ὀφε[ι]-
λόντων διπλῆ[ν.

Praeterea cavetur, ne qui praeter conductores sacris pascuis utantur. Atque poenam pecuniariam irrogant, si qui ligna in illis caedunt auferuntve, eisque qui greges in illis pascunt pecora auferunt vs. 9—12

ἀποτίνειν δὲ ἐὰμ μὲν κείρω[ν
ἢ φέρων ἁλῷ ἑκατὸν δραχ-
μάς, ἐὰν δὲ βόσκων ἤ τι [ἀ]φελὼν
στερέσθω τοῦ βοσκήματος.

β) Io in insula secundum tit. Ross inscr. Gr. ined. n. 94 = Rangabé II 752, quem ex parte restituit Keilius in sylloge inscr. Boeotic. p. 33, et nomina eorum qui pascua conducunt et agrorum partes ab iis redemptae inscribi solent in tabulis quae penes sacrificulos sunt, iisque solvuntur scripturae. Vs. 2 *κ]αταθεῖν[αι τὸ ἐννόμιον τοὺς νέμο]ντας ὁ[π]ό[σ]ων νέμει [ἕ]κασ[τος· πρὸς] δὲ τοὺς ἱεροποι[οὺς] ἀπο[γράφεσθαι το]ὺς νέμοντας ἱερά.* Verba quae insequuntur nimis sunt ambigua; Keilius supplet: *καύσα[ντας τὰ θρέμματα κα]ὶ νέμειν ὁ[π]όσα [ἕκαστος ὁμολ]ο[γεῖ] νέμειν· ὅστις δ' ἂν μὴ ὁμο[λογήσῃ] ἡμερῶν γ' κήρυ[κι τῷ τῶν] ἱεροποιῶν, ὀφειλέτω ἑκατὸν δρα[χμὰς τῷ] δημοσίῳ· φαίνειν [δὲ τ]ὸμ [βουλόμ]ε[ν]ον π[ρ]ὸς τοὺς ἱεροποιο[ὺς ἐπὶ τῷ] ἡμίσει.*

γ) Myconi similis condicio videtur esse sacrificulorum tituli apud Le Bas-Wadd. II 2057 B. Quamquam pauca nec certa erui possunt: vs. 1 *τόκους ἀπέδοσαν.* vs. 30 *ἀπε-νέγκ[ω]σι τὴν [σ]τήλην εἰς ἱεροποι[ούς]* vel *ἱεροποῖ[ον].*

§ 3.
DE ALIIS SACRIFICULORUM NEGOTIIS.

In nonnullis diversorum locorum titulis sacrificuli iubentur senatus populique decreta honoraria in columnis inscribere, inscriptas in delubro publicove aliquo loco collocare, honores ipsos publice pronuntiare.

1. In Deliorum decretis quibus laudantur et honoribus, quales sunt proxenia proedria al., ornantur si qui de Apollinis templo Deliorumque rebus bene meriti sunt, sub finem plerumque formula additur *ἀναγράψαι δὲ τὸ ψήφισμα τὴν μὲν βουλὴν εἰς τὸ βουλευτήριον, τοὺς δὲ ἱεροποιοὺς εἰς τὸ ἱερόν* (*εἰς στήλην λιθίνην* add. C. I. G. 2268) Bull. I. p. 279 sqq. titt. I—III; III p. 113; IV p. 349; C. I. G. II 2267. 2268. 2269. Eodem illud quoque referendum quod in titulo Bull. IV p. 472 sqq. Cyzicenis theoris a Deliis petentibus, ut sibi locus detur intra Apollinis sacros fines ubi oraculum in columna inscriptum deponant, ex Deliorum decreto sacrificuli una cum senatu locum idoneum valdeque conspicuum adsignare iubentur: vs. 10 sqq. *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δή[μῳ ἐπι]μεληθῆναι τοὺς ἱεροποιοὺς μετὰ τῆ[ς βουλ]ῆς ὅπως δο[θῆ]ι τόπος ἐν ᾧ σταθήσε[ται ἡ] στήλη ἐν τόπῳ ὡς ἐπιφανεστ[άτῳ καθὼς ἀ]ξιοῦσι Κυζικηνοί.*

2. Cii in decreto C. I. G. II 3723 vs. 13 sqq. *ἀναγρ]ά-[ψα]ι δὲ τὴν προξεν[ίαν ταύτη]ν εἰς στήλην λιθίν[ην καὶ στῆσα]ι τοὺς ἱε[ρ]ο[ποιοὺς ἐν τῷ τῆς] Ἀθη[ν]ᾶς [ἱερῷ ------.*

3. Odessi: C. I. G. II 2056 uni sacrificulo ut decretum inscribendum curet praecipitur: vs. 22 *τὸν δὲ ἱεροποιὸν ἀναγράψαι τὸ ψήφισμα τοῦτο εἰς τελαμῶνα καὶ θεῖναι εἰς τὸ ἱερόν.* De significatione vocis *τελαμών* cf. Boeckhii adn.

4. In Atticis titulis publicis huius rei testimonia frustra quaeras. Neque id mirum, cum templorum curatores Athenis non sint sacrificuli (cf. C. I. A. I 32). Contra collegiorum sacrificulis similia committuntur: ut coronis ornent magistratus bene meritos eorumque nomina in sollemnibus collegii sacris cum laude pronuntianda curent: qui si ei officio defuerint, multam committunt.

a) C. I. A. II 617 in Sarapiastarum decreto, quo collegarum scriba et curator munere perfuncti collaudantur, inde a vs. 10: *δεδόχϑαι τοῖς [Σαρα]πιασταῖς, ἐ[παινέσαι α]ὐτοὺς καὶ [σ]τεφ[ανῶσ]αι ϑαλλοῦ [στεφάνῳ ἐν - -]αιπιδίῳ*[1]) *ὅταν πρ[ῶ]το[ν] ϑύωσιν ο[ἱ Σαραπιαστ]αὶ καὶ ἀναγορεύειν [αὐ]τῶν τὰ ὀν[όματα τ]οὺς ἱεροποιοὺς ἀεὶ κα[ϑ' ἑ]κάστην ϑ[υσίαν μετ]ὰ τὰ ἱερά· ἐὰν δὲ μὴ ἀναγορεύσωσ[ιν ἢ μὴ στεφα]νώσωσιν, ἀποτεισάτω ἕκαστος αὐ[τῶν δ]ραχμὰς ἱεράς κ. τ. λ.*

b) C. I. A. II 611 ubi agitur de corona scribae Demetrio a thiasotis data vs. 35 *στεφανῶσαι δὲ αὐτὸν καὶ ϑαλλοῦ στεφάνῳ ἤδη, ἀναγορεύειν δὲ τόνδε τὸν στέφανον τοὺς ἱεροπο(ι)οὺς τοὺς ἀεὶ λαγχάνοντας ἱεροποιεῖν μετὰ τὰς σπονδάς, ὅτι στεφανοῖ τὸ κοινὸν τῷδε τῷ στεφάνῳ Δημήτριον ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας ἧς ἔχων διατελεῖ εἰς τοὺς ϑιασώτας.*

Denique — quod praeterea sine exemplo est — in orgeonum lege C. I. A. II 610 sacrificuli una cum curatoribus collegii contionem convocare iubentur, ubi de communibus rebus quae ad sacra maxime spectant deliberetur: vs. 16: *ἀγο[ρὰν δὲ κ]αὶ [ξ]ύ[λλ]ογον ποεῖν τοὺς ἐπιμελητὰς καὶ τοὺς ἱεροποιοὺς ἐν τῷ ἱερ[ῷ] πε[ρὶ τῶν κοιν]ῶν τῇ δευτέρᾳ ἱσταμένου τοῦ μηνὸς ἑκάστου.*

Omnium vero quae composui de *ἱεροποιῶν* officiis ratione subducta munus eorum in rerum sacrarum administratione late patuisse nemo negabit.

---

[1]) *ἐν Σαρ]αιπιδίῳ* Hicks inscr. Gr. mus. Brit. I. n. XXI.

APPENDIX.

ΕΠΙΜΗΝΙΟΙ.

Cum sacrificulis *ἱεροποιοῖς* componi solent qui saepius reperiuntur *ἐπιμήνιοι*. De quibus Hesychius: *ἐπιμήνιοι· οἱ ἱεροποιοί. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ θυσία τις ἐπιμήνια, ἡ κατὰ μῆνα τῇ νουμηνίᾳ συντελουμένη.* (Idem *ἱεροποιοί· ἐπιμήνιοι*, quod ex altera glossa fluxisse recte Stojentinus exponit, de Iulii Pollucis in publ. Ath. antiq. enarrandis auctoritate a. 1875, p. 101 sq.). Boeckhii aliorumque de eis sententias supra attuli p. 27. Iam quo iure *ἐπιμήνιοι* cum *ἱεροποιοῖς* sive comparentur sive confundantur examinandum erit testimoniis de *ἐπιμηνίοις* quae permulta sunt in censum vocatis.

Atque in inscriptionibus Atticis quantum equidem vidi nulla omnino fit eorum mentio. In aliis vero civitatibus epimeniorum non secus atque sacrificulorum duo inprimis genera sunt inter se discernenda: publici civitatis et collegiorum *ἐπιμήνιοι*.

I. publici civitatis *ἐπιμήνιοι*.

1. Lampsaci: C. I. G. II add. 3641 b p. 1130 sqq. ubi memorantur et civitatis epimenii (vs. 5 sqq. 41 sqq.) et senatus: vs. 85 *οἱ δὲ ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς*.

2. Ilii: C. I. G. II 3595 = Hicks, historical inscriptions n. 165.

3. Nasi: *Μουσ. καὶ βιβλ. τῆς εὐαγγ. σχολ. ἐν Σμύρνῃ* 1876, 128 sqq. = Hicks 138.

4. Smyrnae: C. I. G. II 3137 senatus epimenii. Ib. (*Γενὶ Λιμάνι*): *Μουσ. καὶ βιβλ. τῆς εὐαγγ. σχολῆς ἐν Σμύρνῃ* 1875 p. 98 n. 97.

5. Cii in Bithynia: C. I. G. II 3723 *Ἐπιμηνιεύο]ν[τ]ος Φρο[ύ]ρου κ. τ. λ.* — Le Bas-Wadd. Asie min. n. 1140 (= Hicks 99), 1141. Ibidem etiam *ἱεροποιοί* fuerunt (C. I. G. II 3723) sine dubio ab illis diversi.

6. Odessi: Rev. arch. N. S. XXXV p. 111 duo gymnasii epimenii.

7. Istropoli *(Karaharman)*: Archaeologisch-epigr. Mitth. aus Oesterreich VI (1882) p. 36 n. 78: *ἐπιμηνιεύοντος τῆς ἐκκλησίας Ἀθηνάδου κ. τ. λ.*

8. Co: Bull. V p. 221 n. 9 vs. 2 *οἱ ἀεὶ ἐπιμηνιεύοντες.*

II. Collegiorum et communium *ἐπιμήνιοι.*

1. Co: Bull. de corr. hell. VI p. 257.

Tribuum *ἐπιμήνιοι*: Ross, inscr. Gr. ined. n. 175 = Rayet inscr. de l'île de Kos n. 7 duo *ἐπιμήνιοι τοῦ κοινοῦ τῶν συμπορευομένων παρὰ Δία Ὑέτιον* (vs. 2 sqq.).

Ross, inscr. Gr. ined. 311 (in sacris Herculis *Διομεδοντείου* a Diomedonte institutis) B 25 *ἐπιμηνίους δ' αἱρεῖσθαι τρεῖς κατ' ἐνιαυτόν κ. τ. λ.* D vs. 28 sqq.

2. Therae: C. I. G. 2448 in testamento Epictetae quod vulgo vocatur tres epimenii *τοῦ κοινοῦ τοῦ ἀνδρείου τῶν συγγενῶν* singuli in singulos dies creati.

3. Cii: Le Bas-Wadd. Asie min. n. 1143, quem titulum Foucartus ass. relig. chez les Gr. p. 240 sqq. (n. 66) sodalitati alicui thiasotarum probabiliter adscribit, unde initium admodum corruptum idem sic restituit: *ο[ἱ θιασῶται ἐτ]ίμ[ησαν] Ἀνουβίωνα κ. τ. λ.* vs. 9: *τὸν αὐτὸν Ἀνουβίωνα καὶ ἐπιμηνιεύσαντα [εἰκό]νι γραπτῇ.*

Itaque si a Thera insula discesseris *ἐπιμήνιοι* non inveniuntur nisi Graecorum orae Asiaticae civitatium, Aeolensium Lampsaci Ilii Nasi, Ionicarum Smyrnae et coloniarum Milesiarum Cii Odessi Istropolis, Doricae Co insulae.

Nomen *ἐπιμήνιος* (*ἐπιμηνιεύειν*, cf. *ἐπιμηνιεία* CIG 2448) satis late patet: quod et ad res sacras et ad rem publicam pertinere recte observavit Waddingtonius ad Le Bas, Asie min. 1140. Atque civilia esse arbitror officia eorum qui *ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς* et *ἐπιμήνιοι τῆς ἐκκλησίας* vocantur, de quibus infra dicetur: reliqui *ἐπιμήνιοι*, ni fallor, sacrificulorum munus exsequuntur eique non tam inde *ἐπιμήνιοι* dicuntur, quod per singulos menses magistratu funguntur, quam quod officia eorum certis negotiis continentur quae

certis mensibus diebusve festis certorum mensium absolvenda sint[1]). Certe qui in titulis Lampsaceno atque Coo (Bull. de corr. hell. V p. 221) nominantur itemque privati collegiorum quae Therae et Co in insulis sunt (CIG 2448 Ross inscr. Gr. ined. n. 311) eorum munus intra paucos tantum unius mensis dies festos continetur, quamquam non minus dicuntur creari κατ' ἐνιαυτόν (cf. Ross. l. c. B 24 sq. CIG. 3641[b] vs. 38) quam ei quorum officia ad annum integrum pertinent, velut eponymorum ἐπιμηνίων qui comparent Cii et Ilii.

Iam quae ἐπιμηνίοις cum ἱεροποιοῖς intercedat sive similitudo sive dissimilitudo paucis exponam.

Ἐπιμήνιοι sacra Dis faciunt diebus festis epulasque sacras instituunt:

a) C. I. G. II add. 3641 b ἐπιμήνιοι Lampsaceni sacra Aesculapi procurant. Ubi verba vs. 5 τοῖς ἐπιμηνίοις τοῖς ἐπιμηνιεύσουσι ἐν τῷ καθ' ἔτος ἐνι[αυτῷ] (cf. vs. 38) interpretatur Boeckhius tempus annuum id, quod quoque anno

---

1) Recte Boeckhius C. I. G. II p. 1133: „ἐπιμήνιοι sunt sacrificuli, qui menstrua sacra curant; ii quidem in certum annum constituuntur, sed quod tantum definitis mensibus sacra Aesculapii curant, iure vocantur menstrui. — Neque alia huius vocis ratio est in testamento Epictetae (T. II p. 361 sqq.), ex quo Seldenus Marm. Oxon. p. 163 ed. Maitt. demonstratum ibat, ἐπιμηνίους simpliciter esse ἱεροποιούς: sacrificium enim ibi uno anni mense instituendum praecipitur, et qui hoc sacrificium curant, ἐπιμήνιοι et ἐπιμηνιεύειν dicuntur. Neque ex Hesychii glossa, quae ἐπιμηνίους interpretatur ἱεροποιούς, patet quoslibet ἱεροποιούς esse ἐπιμηνίους vocatos." Qui quod addit: „Quamquam non nego ἐπιμηνίους posse etiam eos dictos esse, qui per universum annum sacra ea curarent, quae ad menses ipsos pertinent, sicuti quae in noviluniis facta sunt": eius generis ἐπιμήνιοι in titulis diserte nusquam proferuntur. Quamquam sacra ἐπιμήνια ea notione dici certum est: Herodot. VIII 41, ubi verba fiunt de sacris serpenti in Atheniensium arce versanti singulis mensibus oblatis, λέγουσί τε ταῦτα, καὶ δὴ καὶ ὡς ἐόντι ἐπιμήνια ἐπιτελέουσι προτιθέντες (cf. VI 57); Et. M. s. v. τὰ καθ' ἕκαστον μῆνα θυόμενα· ἢ τὰ ὑπὲρ ὅλου τοῦ μηνὸς ἅπαξ ποτὲ γενόμενα θύματα [ὑπὲρ τῆς πόλεως]; cf. Hesychii glossae supra exscriptae verba ἐκαλεῖτο δὲ καὶ θυσία τις ἐπιμήνια, ἡ κατὰ μῆνα τῇ νουμηνίᾳ συντελουμένη.

de quo agitur futurum sit. Est igitur annuus magistratus, sed qui tantummodo statis unius mensis diebus munus obeat.

b) In Co insula *ἐπιμήνιοι* publici Bull. V p. 221 n. 9 sacra die undevicesimo certi mensis (aut certorum mensium?) perficiunt: vs. 2 *οἱ ἀεὶ ἐπιμηνιεύοντες* ...., 3 *τῷ Ἀσκλαπιῷ καὶ Ὑ[γιείᾳ*, 6 *καὶ βασιλεῖ Νικομή[δει*, 7: *τᾷ δὲ ιθ' ἀποθ*...

c) Tribuum *ἐπιμήνιοι* in eadem insula una cum archontibus *κρεανομίαν* in sacrificiis tribulibus instituere iubentur Bull. VI p. 256 sq. vs. 84 *τοὶ δὲ ἀρχεύοντες καὶ τοὶ ἐπιμήνιοι διδόντω τὰς μερίδας ἀντεφορῶντες ἐκ τοῦ λευκώματος κ. τ. λ.*

d) Ibidem in societate quae Iovi Pluvio certis diebus res divinas facere solet (Ross inscr. Gr. ined. n. 175, qui id singulis mensibus fieri non debebat ex nomine *ἐπιμήνιοι* efficere) cura menstruorum sacrorum *ἐπιμηνίοις* commissa est. Eorundem est multitudinem quae ad sacrificandum convenit lauta liberalitate excipere i. e. et sacrificia et epulas populo parare[1]): vs. 7 sqq. *ἐ[πει]δὴ Νικαγόρας Θευδώρου κ[αὶ] Λύκαιθος Λευκίππου γενόμ[ε]νοι ἐπιμήνιοι αὐτεπάγγελτοι τά τε ἱερὰ ἐξέθυσαν τῷ Διὶ καὶ ἀνενεώσαντο τὰν θυσίαν τοῦ Διὸς καὶ τὰν ὑποδοχὰ[ν ἐ]ποήσαντο τῶν δαμοτᾶν καὶ [τ]ῶν ἄλλων πάντων ἀξίως τῶ[ν θ]εῶν σπουδᾶς καὶ προθυμίας [ο]ὐθὲν ἐλλείποντες, ὅπως οὖν κ[αὶ τοὶ] μετὰ ταῦθ' αἱρούμενοι ἐπιμήνι[οι α]ὖ προθυμοτέρος αὐτὸς παρέχ[ωντ]αι — δεδόχθαι κ. τ. λ.*

e) Prorsus eadem sunt negotia epimeniorum qui ibidem ad sacra Herculis Diomedontei perficienda in annum creari solent: Ross, inscr. Gr. ined. 311 B vs. 25 sqq. *ἐπιμηνίους δ' αἱρεῖσθαι τρεῖς κατ' ἐνιαυτόν, οἵτινες ἐχθυσεῦ[ντ]αι τὰ ἱερὰ μετὰ τοῦ ἱερέως· ἐπιμελέσθων δὲ τοὶ ἐπιμήνιοι ὧγ κα δέῃ ποτὶ τὰν δεξ[ίωσιν·* D vs. 31 sqq. *ἐπιμηνίους δὲ αἱρεῖσθ[αι τοὺς] ἐγ Διομέδοντος καὶ τοὺς ἐ[κ]γ[όν]ους αὐτῶν· ἂν δέ τις νόθος ὢν κρ[ιθ]εὶς γνωσθῇ μετέχειν τῶν ἱερῶ[ν,] μὴ ἐξέστω*

---

[1]) *Μουσ. καὶ βιβλ. τῆς εὐαγγ. σχολ. ἐν Σμύρνῃ* a. 1880 p. 141 n. 186 in re simili *ἱερονόμοι* curatores sunt rerum sacrarum, vs. 20: *τὴν δὲ θυσίαν* (debebat scribi *τῆς δὲ θυσίας*) [*κα*]*ὶ τῆς ὑποδοχῆς ἐπιμελείσθωσαν οἱ ἱερονόμοι.*

αὐτῷ μετέχειν τῶν [ἱε]ρωσυνῶν· λαμβάνετε δὲ ἀπ[ὸ] τῆς προσόδου ὥστε τῷ Πασίῳ [ε]ἰς θυσίαν δραχμὰς πεντήκο[ν]τα, ταῖς δὲ Μοίραις τεσσαράκο[ν]τα· θυόντω δὲ τῷ Πασίῳ [καὶ] ταῖς Μοίραις οἱ κατ' ἀνδρογένε[ιαν].

f) C. I. G. 2448 in testamento Epictetae tres epimenii singuli singulis unius mensis diebus et sacra curare et alia quae ad ea spectant officia exsequi iubentur II vs. 30 sqq. *ὁ δὲ ἀνδρεῖος* (sc. *σύλλογος*) *τῶν συγγενῶν συναγέσθω ἐν τῷ Μουσείῳ καθ' ἕκαστον ἔτος ἐμ μηνὶ Δελφινίῳ λαμβάνων παρὰ τῶν διαδόχων μου τὰς διακοσίας δεκαδραχμάς, ἄ[νδ]ρας τρεῖς ἀποδείξας ἐπιμηνίος ἐξ αὐτῶν, καὶ θυέτω τᾷ μὲν ἐννεακαιδεκάτᾳ ταῖς Μούσαις, τᾷ δὲ εἰκάδι τοῖς ἥρωσιν Φοίνικι καὶ Ἐπικτήτᾳ, τᾷ δὲ ἀμφεικάδι Κρατησιλόχῳ καὶ Ἀνδραγόρᾳ.* IV 15 *καὶ θύεν τὸν μὲν τὰν πρᾶταν ἐπιμηνιεύοντα ταῖς Μούσαις, τὸν δὲ τὰν δευτέραν τοῖς ἥρωσι Φοίνικι καὶ Ἐπικτήτᾳ, τὸν δὲ τὰν τρίταν τοῖς ἥρωσι Κρατησιλόχῳ καὶ Ἀνδραγόρᾳ,* cf. II 35 sqq., V 35 sqq. Accuratiora docent VI 15 sqq. *οἱ δὲ ἐπιμήνιοι θύοντες τὰς θυσίας ταύτας ἀποδώσοντι τῷ κοινῷ τός τε ἐλλύτας πάντας καὶ τῶν σπλάγχνων τὰ ἡμίση, τὰ δὲ λοιπὰ ἑξοῦντι αὐτοί.* — Idem de *ἱεροποιοῖς* valet: cf. supra part. II § 1.

Atque cum sollemnibus agendis praesint *ἐπιμήνιοι*, etiam eis qui participes sunt sacrificiorum et epularum prospiciunt, sacraque ab iniuriis defendunt. Certe Lampsaci indicem eorum qui sacris interfuturi sint conficere iubentur in parte tituli quantumvis nunc mutila et ambigua: vs. 37 *ἀπογραφὴ τῶν πολιτῶν τῶν παρεπομένων ε[ἰς τὴν ἑορτήν,* 38 .. *εἰς μὲν τὸν καθ' ἔτος ἐνιαυτὸν ἐν τῇ ἐκλησίᾳ* .... 40 *τοὺς πολίτας πάντας κατὰ φυλὰς καὶ ἑκατοστῦς* .... 41 *τοὺς ἐπι]μηνίους ἀρξαμένους ἀπὸ μηνὸς Ἀρτεμισιῶνος ἕως τῆς ὀ[γδόης? -] ---- ποιησα]μένους τὴν ἀπογραφὴν εἰσόβδην.* 45 *καὶ οἱ ἐπιμήνιοι διδότωσαν τὸ δε[λτίον - - - - - -]μασιν, οἱ δὲ ἄνδρες τὰς ἀπογραφὰς διδότωσαν κ. τ. λ.*

In Co insula collegarum Herculis Diomedontei *ἐπιμήνιοι* etiam iudicium instituere iubentur de eis qui quid contra leges Diomedontis egerint vel sacris iniuriam fecerint: Ross inscr. Gr. ined. 311 D vs. 17 sqq. *εἰὰ[ν δ]έ τις τολμήσῃ καταλύειν τ[ι*

τῶ]ν ὑπὸ Διομέδοντος συν[τε]ταγμένων ἀδικῶν τὰ ἱερὰ [καὶ] τοὺς προγόνους ὑπὲρ ὧ[ν γέ]γραπται ἐν τῷ βωμῷ καὶ ἐ[ν τῇ] στήλῃ, μὴ ἐπιτρέπειν τοὺ[ς ἐγ] Διομέδοντος - -γ]εγενημένους καὶ τοὺς ἐπι[γόν]ους αὐτῶν, ἀλλὰ βοηθεῖν [τ]οῖς ἱεροῖς καὶ τοῖς προγόνοι[ς· ἐ]νάγειν δὲ τοὺς ἐπιμην[ίου]ς καὶ εἰς τὴν αὔριον παρα[λα]νβάνοντας οὓς ἂν αὐ[τ]οῖς δοκῇ· ἐπιμηνίους δὲ αἱρεῖσθ[αι τοὺς] ἐγ Διομέδοντος καὶ τοὺς ἐ[κ]γ[όν]ους αὐτῶν. Simili officio ἱεροποιούς fungi vidimus supra p. 29.

Denique Smyrnae epimeniis mandatur ut honores a civitate tributos publice pronuntient: *Μουσ. κ. βιβλιοθ. τῆς εὐαγγ. σχολ. ἐν Σμύρνῃ* a. 1875 n. 97 καὶ τὸ ψήφισμα [ἀναγράφο]υσιν εἰς στήλην· τὰς (leg. τῆς) δὲ ἀν[αγγε]λίας ἐπιμελεῖσθαι ἐπιμηνίους [καὶ] ἐξεταστὰς τοὺς καθέκαστον γινομένους. Quod idem de ἱεροποιοῖς vidimus p. 63.

De ipsis epimeniorum collegiis — nam collegia sollemnis pluralis οἱ ἐπιμήνιοι prodit neque obstat quod ex eisdem singuli ut eponymi memorantur Ilii et Cii[1]) — pauca docemur: Lampsaci, sicuti Athenis ἱεροποιῶν (cf. p. 16), numerus ἐπιμηνίων tribuum numero accommodari videtur (si modo Boeckhii supplementa probamus): nisi quod singulari modo epimenii magistratu perfuncti ipsi singulos ex sua quisque tribu designare videntur qui in proximum annum munus obeant: C. I. G. 3641 b vs. 6 sqq. [οἱ δὲ ἐπιμηνιεύ]σαντες ἀποδειξάτωσαν τοῦ ἐχομένου ἔτους ἐν τῇ τρί[τῃ ἐκκλησίᾳ?] τοῦ μηνὸς τοῦ Βαδρομιῶνος, ἀ[π]οδεικνύντες ἕκαστοι ἐκ τῆς [ἑαυτῶν φυλῆς ἕνα, οἱ] δὲ ἀποδειχθέντες ἐπιμηνιευ[έ]τωσαν καθότι καὶ τοῖς πρώτοις [ἐπιτέτακται κ. τ. λ.

De creandi more qui alibi fuerit non constat praeter privata collegia: a quibus non sorte sed s u f f r a g i i s creantur ἐπιμήνιοι Ross inscr. Gr. ined. II 175 (Co) vs. 17 sqq. ὅπως οὖν κ[αὶ τοὶ] μετὰ ταῦθ' αἱρούμενοι ἐπιμήνιοι κ. τ. λ. ibid. III 311 (epimenii Herculis Diomedontei) B vs. 25 ἐπιμηνίους δ' αἱρεῖσθαι τρεῖς κατ' ἐνιαυτόν D vs. 31: ἐπιμηνίους δὲ αἱρεῖσθ[αι τοὺς] ἐγ Διομέδοντος κ. τ. λ. S p u r i i exclu-

[1]) T r e s ἐπιμήνιοι sunt Therae corporis cognatorum Epictetae et Co sodalium Herculis Diomedontei; d u o Co collegii *τῶν συμπορευομένων παρὰ Δία Ὑέτιον* et publici ἐπιμήνιοι Odessi (rev. arch. XXXV p. 111).

duntur ib. 33 sqq. ἂν δέ τις νόθος ὢν κρ[ιθ]εὶς γνωσθῇ μετέχειν τῶν ἱερῶ[ν], μὴ ἐξέστω αὐτῷ μετέχειν τῶν [ἱε]ρωσυνῶν. C. I. G. 2448 (Therae) II vs. 30 sqq. ὁ δὲ ἀνδρεῖος τῶν συγγενῶν — ἄ[νδ]ρας τρεῖς ἀποδείξας ἐπιμηνίος ἐξ αὐτῶν κ. τ. λ. De sacrificulis eodem modo creandis cf. p. 21. Epimenii nonnunquam sponte sacerdotium subeunt: Ross 175 (Co) vs. 8 γενόμ[ε]νοι ἐπιμήνιοι αὐτεπάγγελτοι κ. τ. λ. Ἐπιμηνιεία δωρεὰν administranda est Therae C. I. G. 2448 IV 25 sqq. τὰν δὲ συναγωγὰν τοῦ ἀνδρείου τῶν συγγενῶν γίνεσθαι ἐμ μηνὶ Δελφινίῳ ἐν τῷ Μουσείῳ καθ' ἕκαστον ἔτος ἁμέρας τρεῖς, καὶ λειτουργὲν ἅπαξ ἀνὰ πρεσβύτατα δωρεὰν πάντας, ὁμοίως δὲ καὶ τὸς ἐκ τούτων γενομένος καὶ παραγινομένος ἐς τὸ κοινεῖον λειτουργέν, γενομένος ἐκ τῶν ἐφήβων, τὰν πράταν ἐπιμηνιείαν δωρεάν· παρεξοῦντι δὲ οἱ δωρεὰν ἐπιμηνιεύοντες οἶνον ξενικὸν ἱκανόν κ. τ. λ. VI 20 sqq.

Officiis bene gestis epimenios eodem modo atque sacrificulos (cf. p. 33) publice laudari et honorari videmus Rev. arch. N. S. XXXV p. 111 (Odessi) in. οἱ πρυτάν[εις] ἐστεφάνω[σαν] ἐπιμηνιεύσα[ντας] κ. τ. λ. Ross inscr. Gr. ined. 175 (Co) vs. 20 sqq. δεδόχθαι Νικαγόραν μ[ὲν κ]αὶ Λύκαιθον ἐπαινέσαι ἐπί τ[ε] τᾷ αἱρέσει καὶ εὐσεβείᾳ ἃν [ἔ]χοντι ποτὶ τὸς θεὸς καὶ τ[ὸς δ]αμότας καὶ στεφανῶσαι [αὐ]τὸς ἀπὸ χρυσῶν δέκα κ. τ. λ. Cf. Le Bas-Wadd. Asie min. 1143 vs. 9.

Contra multa irrogatur eis, si praecepta non bene exsecuti sint in tit. Lampsaceno vs. 59 ἐὰν δέ τις τῶν ἐπιμηνί]ων μὴ ποήσῃ τὰ ἱερά, ἀποτεισάτω στα[τῆρας κ. τ. λ. Sim. in testam. Epictetae C. I. G. 2448 IV 35 εἰ δέ κά τις μὴ ἐπιμηνιεύσῃ κατὰ τὰ γεγραμμένα, ἀποτεισάτω τῷ κοινῷ δραχμὰς ἑκατόν. VI 31. 36 sqq. De ἱεροποιοῖς cf. p. 34.

Denique ut Erythris ἱεροποιοί (cf. p. 34 sq.), ita ἐπιμήνιοι nonnullis in civitatibus eponymi sunt. Id Cii in Bithynia usu venisse ex titulis a Waddingtonio recte suppletis tribus efficitur: Le Bas-Wadd. Asie min. 1140 Ἐπὶ ἐπιμη]νίου Φρούρου, Ληναιῶνος εἰκάδι [ἐν κυρίᾳ] ἐκκλησίᾳ, Κόνων ἐπρυτάνευε, γνώμη [τῶν ἀρχόν]των καὶ τῶν στρατηγῶν: sequitur decretum de Athenodoro Atheniensi honoribus ornando. C. I. G. 3723 Ἐπιμηνιεύο]ν[τ]ος (Ἄρχοντος Boeckhius)

Φρο[ύ]ρο[υ] Ἀνθε[σ]τηρι[ῶνος...., Αὐτονόμου πρυτανεύον-[τος, κυρία ἐκ]κλησία κ. τ. λ., sequitur decretum honorarium. Non fugit Waddingtonium duo haec eiusdem anni esse decreta sub eodem epimenio Phruro perscripta diversis mensibus; quamquam miramur in praescriptis eiusdem anni usum non sibi constare. Adde Wadd. 1141 Ἐπὶ ἐπιμην]ίου Καλλιππίδου.

Eodem modo Ilii ἐπιμήνιοι eponymi fuerunt: C. I. G. II 3595 Ἐπιμηνιεύοντος Νυμφίου τοῦ Διοτρέφους, ἐπιστατοῦντος δὲ Διονυσίου τοῦ Ἱππομέδοντος, Δημήτριος Διοῦς εἶπεν. Ubi Boeckhius adnotat: „cave ἐπιμήνιον putes eponymum esse anni" respecto titulo ibid. 3597, ubi ἱερεύς est eponymus, quem intellegit ἱερέα τῶν πάντων θεῶν ibid. 3599 vs. 1 allatum. Verum animadvertendum est titulum 3597 res sacras continere, quem in sacro cui ἱερεύς ille praeerat collocandum fuisse par erat[1]). Conceduntur enim Scamandrensibus in hac conventione (ὁμολογία) Ἰλιέων (vs. 1) iura certa quae maxima ex parte ad Iliensium cultum deorum pertinent (cf. inprimis partis b vs. 7 αἱρεῖσθα]ι δὲ καὶ ἱερονόμον τῶν οἰκούντων ἐ[ν Σκαμάνδροις.) Itaque vix est cur miremur tali decreto sacerdotem ut eponymum praescribi (cf. p. 34 sq.). Contra alter titulus 3595 senatus populique decretum (vs. 19) exhibet in honorem Antiochi I Soteris datum, quo constituitur, ut propter eximia eius de Ilio urbe merita in omnibus templis res divinae deis offerantur, in Minervae Iliadis templo imago regis ponatur et id genus alia. Nihil igitur impedit quominus anni eponymum ἐπιμήνιον intellegamus, qualem Cii fuisse duo tituli eiusdem anni modo citati demonstrant. (Cf. in tit. Istropolitano quem statim afferemus Ἱερωμένου Ἀρισταγόρου τοῦ Ἀπατουρίου τὸ τέταρτον ..... ἐπιμηνιεύοντος τῆς ἐκκλησίας Ἀθηνάδου τοῦ Ἀπολλοδώρου).

Attamen quod iam supra notavi latius patere ἐπιμηνίων notionem, in eo summum discrimen est positum: cum etiam civilia nonnullis in locis officia eorum esse appareat.

[1]) Cf. Kirchhoffium in Herma II p. 171.

Atque Lampsaci C. I. G. 3641[b] praeter ἐπιμηνίους Asclepieorum curatores sub finem tituli proferuntur ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς (vs. 85), quibus praescriptum esse videtur ut decretum in lapide inscribendum ac publice servandum curent: si quidem id vestigia verbi ἐπιμελεῖσθαι servata vs. 86 (ἐπιμ[ελε-) innuunt. Quae res ut a sacris officiis plane aliena est, ita scribae senatus curatorisve cuiuslibet muneri convenit. Eidem exstant Smyrnae C. I. G. 3137, ubi mandatur eis a senatu, ut legatos ad prytaneum vocent vs. 30 sqq. καλεσάτωσαν δὲ οἱ ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς καὶ τοὺς πρεσβευτὰς τοὺς παραγεν[ομένους] ἐγ Μαγνησίας ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ πρυτανεῖον: quo officio ἱεροποιοί certe carebant. Sane nihil impedimur quominus prytanes hos epimenios fuisse iudicemus.

His autem senatus ἐπιμηνίοις opponitur qui nuperrime demum ex decreto Istropolitano innotuit ἐπιμήνιος τῆς ἐκκλησίας: Arch. epigr. Mitth. aus Oesterreich VI p. 38 n. 78 Ἱερωμένου Ἀρισταγόρου τοῦ Ἀπατουρίου τὸ τέταρτον μηνὸς Ἀρτεμεισιῶνος δεκάτῃ ἱσταμένου, ἐπιμηνιεύοντος τῆς ἐκκλησίας Ἀθηνάδου τοῦ Ἀπολλοδώρου, Ξενοχάρης Ἑκαταίου εἶπεν.

Idque confirmatur testimonio decreti de Thersippo Nasi ca. a. 318 scripti quod post Earinum Μουσ. καὶ βιβλ. τῆς εὐαγγ. σχολ. 1876 p. 128 edidit Hicksius histor. inscr. n. 138b 15 κα[ὶ μὴ] ἔμμεναι [πὰρ τ]αὖτα μήτε [ἄρ]χοντι προθ[ήμ]εναι μήτε ῥ[ή]τορι εἶπαι μ[ή]τε ἐπιμηνί[ῳ ἐ]σενῖκαι· αἰ δ[ὲ] κέ τις ἢ ῥήτω[ρ] εἴπῃ ἢ ἄρχων [εἰσ]αγάγῃ ἢ [ἐπι]μήν[ι]ος εἰσ[ενίκ]ῃ: ubi describitur prytanis vel epistatae τοῦ ἐπιψηφίζοντος munus[1]). Atque hos quidem ἐπιμηνίους civiles per singulos menses munere fungi indeque nomen habere certum videtur.

His autem malo quam illis epimeniis sacris adiungere duos ἐπιμηνίους gymnasii Odessi (Varnae) tituli rev. arch. N. S. XXXV p. 111:

---

[1]) Cf. Dittenberger in Jen. Lit.-Zeit. 1877 n. 538 et in Herma Berol. XVI p. 173; Blass in Mus. rhen. XXXVI p. 609.

ONΔK
οἱ πρυτάν[εις
ἐστεφάνω[σαν
ἐπιμηνιεύσα[ντας
Ἀπολλώνιον
Σίμωνος
Καλλίμαχον
Φανέρου
καὶ γραμματέ[α
Θέσσαλον
Ἀρτεμιδώρου,

quae sequuntur expediri nequeunt. Certe Mordtmannus qui hunc titulum edidit sine iusta causa comparat titulum Sesti urbis a Curtio editum in Herma VII p. 114 sqq. (= Jerusalem in Wiener Stud. I 32), ubi qui sacrificia curat Menas quidam non *ἐπιμήνιος* est, sed sacra alia administrat ut sacerdos (vs. 26—27), alia ut gymnasiarchus (vs. 31 sqq.). Epimenios autem duos i. e. epistatas una cum scriba a prytanibus laudari et coronari decet.

Addenda.

p. 4 post v. 23 add.: Newton Ancient greek inscriptions in the British Museum II p. 126 ad n. 352.

p. 6 v. 17. In titulo Boeckhiano VIII v. 35 non recte suppleri *κατ' ἐνιαυτόν* nunc docemur accuratiore Koehleri apographo C. I. A. II 741.

ib. v. 26 sqq. n. 3 et 4 pertinent ad eundem titulum C. I. A. II 741, cuius alia quoque fragmenta duo *ἱεροποιῶν* mentionem faciunt.

p. 9 v. 16 sq. cf. nunc C. I. A. II 1058.

p. 10. Titulus nunc repetitur C. I. A. II 954 'medio saeculo II vix recentior' secundum Koehlerum, qui *ἐπὶ Καλ[λιστρά]του* supplendum censet. Ceterum prorsus similis res est in inscriptione eiusdem fere temporis 953 *['Ε]πὶ Λυσιάδου ἄρχοντος οἵδε ἱεροποίησαν Ῥωμαῖα* (duo nomina), *Πτολεμαῖα* (plus quam sexaginta nomina).

p. 13 v. 13 add. titulum honorarium Camirensem Newton Ancient greek inscr. p. 130 n. 353 vs. 5 *καὶ ἱεροποιήσαντος* — vs. 13 *κ]αὶ ἀποσταλέντος ἱεροποιοῦ εἰς .... καὶ εἰς Λῆμνον καὶ Διδυμεῖον.*

ib. post f) add.:

g) Cos: Rayet inscr. de l'île de Kos (Annuaire de l'association pour l'encouragement des études grecques en France 1875) p. 280. 288 sq. 321.

p. 15 v. 5 scr.: exceptis insulis Rhodo et Co.

p. 17 ante n. 3 add.: Octo *ἱεροποιοί* sunt in Co insulae pago qui Isthmus vocatur: Rayet l. c. p. 321 n. 11: qui praeter *μόναρχον* recensentur.

Sex *ἱεροποιῶν* collegium in eiusdem insulae pago cui Halasarnae nomen est fuisse duobus titulis probatur ap. Rayet l. c. p. 288. 290 n. 9, ubi praecedit nomen sacerdotis Apollinis. Ipsa *ἱεροποιῶν* nomina eam dignitatem in certis familiis hereditariam fuisse confirmant: cf. Rayet p. 289. 322.

DE
CHORIAMBO ET IONICO A MINORE DIIAMBI LOCO POSITIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOHANNES LUTHMER

HANNOVERANUS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXIV.

Aulae Vimariensis officina typographica.

Ante hos decem annos, cum Argentorati Guilelmi Studemundi scholis metricis interessem, ille vir doctissimus auditores docere solebat ab iis hominibus doctis, qui nuper metricae disciplinae operam dedissent, in explicandis poetarum Graecorum canticis quantitatem quidem syllabarum satis respici, non pari modo ictum totius coli periodive, ut e. g. tetrameter iambicus acatalectus, cui saepe hos ictus tribuendos esse docuit

⏑ –̀ ⏑ –́ ⏑ –̏ ⏑ –̋, ⏑ –̀ ⏑ –́ ⏑ –̏ ⏑ –̋,

confunderetur cum tetrametro trochaico catalectico praecedente anacrusi

[⏑] – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –,

quamvis ad hunc versum vulgo non iidem ictus quadrent, qui ad tetrametrum iambicum

[⏑] –̀ ⏑ –́ ⏑ –̏ ⏑ –̋ ⏑ –̀ ⏑ –́ ⏑ –̏ ⏑ –̋,

sed hi potius[1]):

–̋ ⏑ –̏ ⏑ –́ ⏑ –̀ ⏑ –̋ ⏑ –̏ ⏑ –́ ⏑ –̀

Maximi autem momenti in pertractanda hac quaestione id quoque esse docuit Studemundus, quod pro duobus iambis apud poetas Graecos haud raro legatur modo choriambus – ⏑ ⏑ – modo ionicus a minore ⏑ ⏑ – –. Qui pedes cur immixti sint versibus iambicis, explicari nullo modo posse, nisi saepe hos ictus ⏑ –̀ ⏑ –́ iustos fuisse putaris, non ⏑ –́ ⏑ –̀ trochaico metro aptos.

Et profecto leguntur choriambi non solum in canticis, sed etiam in diverbii trimetrorum initio. Veluti Aesch. sept. 547[2]) (= 530 ed. Kirchhoff)

---

[1]) cf. ea, quae Studemundum secutus nuperrime exposuit F. Vogt: de metris Pindari quaestiones tres; in diss. philol. Argent. vol. IV p. 8 sq.

[2]) Poetas scaenicos (Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Aristophanem) citavi secundum Dindorfii editionem quintam Lipsiae 1869; poetas

Παρθενοπαῖος Ἀρκάς. ὁ δὲ τοιόσδ' ἀνὴρ

syllabae Παρθενοπαῖ- diiambi locum explent.

Ab eodem nomine trimetrum iambicum incohavit Euripides suppl. 889

Παρθενοπαῖος εἶδος ἐξοχώτατος.

Praeterea primi diiambi locum in trimetro choriambus occupat Aesch. sept. 488

Ἱππομέδοντος σχῆμα καὶ μέγας τύπος

et Soph. fr. 785

Ἀλφεσίβοιαν, ἣν ὁ γεννήσας πατήρ.

Nec tamen intra celeberrimam illam, quam nominibus propriis in omni metrorum genere vindicabant, licentiam cohibuerunt poetae scaenici hunc choriambi usum. Itaque initio trimetri iambici bis legitur: εἶεν, ἀκούω: Aesch. Choeph. 657

εἶεν, ἀκούω· ποδαπὸς ὁ ξένος; πόθεν;

et Aristoph. pac. 663

εἶεν, ἀκούω· ταῦτ' ἐπικαλεῖς; μανθάνω.

Praeterea Aesch. Choeph. 1049 hic trimeter legitur:

φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι.

Nec dissimiliter Alcaeus dixisse videtur fr. 18, 1

ἀσυνέτημι τῶν ἀνέμων στάσιν

– ◡◡ –, ◡ – ◡◡ – ◡ ⏓

Hic locis alii alio modo choriambum explicare vel removere conati sunt. Velut Priscianus[1]) Heliodori nisus auctoritate a trochaeo pro iambo incepisse trimetros apud Aeschylum (sept. 488) et Sophoclem (fr. 785) tradit. Choeph. 657 et Pac. 663 extiterunt qui aut εἶεν γ' legendum aut interpunctionis vi effectum esse putarent ut syllaba brevis -εν produceretur. Similiter Alc. fr. 18, 1 modo ἀσυννέτημι modo εὖ συν(ν)έτησα lectionem commendavit Bergkius.

lyricos secundum Bergkii editionem quartam Lipsiae 1878—1882; poetarum tragicorum fragmenta secundum Nauckii editionem Lipsiae 1857; comicorum antiquorum fragmenta secundum Kockii editionem (vol. I) Lipsiae 1880.

[1]) vol. II ed. Hertz pag. 427 sq.

Ab his locis ordienti mihi operae pretium esse visum est accuratius perscrutari, a quibus poetis et quibus condicionibus diiambus choriambo aut ionico admisso variatus sit. Nec tamen omnes quaestiones, quae in hac disputatione attingi possunt, solvere mihi proposui, sed satis habui materiam undique collectam in medio posuisse, qua spero fore ut ii homines docti utantur, qui posteriore tempore his disquisitionibus operam impertient.

Cap. I.
DE USU CHORIAMBI.
§ 1.

Plerique hodie consentiunt choriambum nihil aliud esse quam dipodiam dactylicam catalecticam, id est – ⏑ ⏑ – positum esse volunt pro –́ ⏑ ⏑, –́. Satis est unius Westphalii [1]) exemplum proferre, qui – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – primum glyconeum catalecticum vocat atque – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – aeque ac – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – iis numeris attribuit, quibus a scriptoribus de re metrica logaoedorum nomen datum est. Aliorsum ducimur Studemundi sententia, qui non pauca quidem cola formae – ⏑ ⏑ – ita ad logaoedos referenda esse concedit, ut schema – ⏑ ⏑ – dipodiam logaoedicam catalecticam efficiat; alibi tamen, ac maxime in iamborum vicinia, cum in multis versibus iambicis *κατὰ συζυγίαν* compositis levior ictus –̀ priorem, fortior –́ posteriorem dipodiae iambicae (⏑ –̀ ⏑ –́) locum occupet, facile fieri potuisse censet, ut, mutatis syllabis ⏑ –̀ in –̀ ⏑, ex diiambo efficeretur choriambus –̀ ⏑ ⏑ –́ (quem ascendentem nominare solebat, ne cum descendente –́ ⏑ ⏑ –̀ ac trochaicis numeris cognato confunderetur), itemque ut, syllabis –̀ ⏑ mutatis in ⏑ –̀, ex diiambo efficeretur ionicus a minore ⏑ ⏑ –̀ –́, fortioris metrici ictus sede neque hic neque illic mutata.

Videamus nunc, quomodo ad hanc sententiam quadrent ea, quae de choriambo protulit Hephaestion saeculo p. Chr.

---

[1]) Westphal, griechische Metrik II² (1868) p. 718.

n. altero, qui de choriambo in nono capite enchiridii egit atque his verbis initium capitis fecit:[1]) *τὸ χοριαμβικὸν συντίθεται μὲν καὶ καθαρόν, συντίθεται δὲ καὶ ἐπίμικτον πρὸς τὰς ἰαμβικάς*, ad quae verba scholia vetustiora A haec exhibent:[2]) *τὸ χοριαμβικὸν δέχεται τὸν χορίαμβον καὶ τὰς ἰαμβικὰς συζυγίας· . . . Γίνεται δὲ καὶ διαλυομένης τῆς πρώτης μακρᾶς εἰς δύο βραχείας πεντασύλλαβος ἐκ χορείου καὶ ἰάμβου· ὅθεν ἴσως καὶ χοριαμβικὸν ἐκλήθη*. Conf. etiam schol. ad cap. 16 *περὶ πολυσχηματίστων:*[3]) *ὑπερτιθεμένου γὰρ τοῦ τῆς μακρᾶς χρόνου ἐν τῷ ἰαμβικῷ γίνεται χοριαμβικὸν σχῆμα*. Hanc explicationem Studemundus suam esse voluit, nisi quod Hephaestionem in eo vituperavit, quod choriambum ex ⏑⏑⏑⏑– ortum esse contendit; figuram ⏑⏑⏑⏑– enim non tam ⏑⏑⏑⏑– intellegendam esse quam ⏑⏑⏑⏑–, ut esset solutio diiambi ⏑–⏑–.

Optime quadrat ad haec Hephaestionis verba poetarum usus. Prima inter eos poetas, quorum carmina adhuc extant, Sappho usa est choriambo atque *ἐπιμίκτῳ πρὸς τὰς ἰαμβικάς* in tetrametro catalectico: fr. 60[4])

Δεῦτέ νυν ἄβραι Χάριτες καλλίκομοί τε Μοῖσαι.
–⏑⏑–, –⏑⏑–, –⏑⏑–, ⏑––;

⏑–– enim nihil aliud est nisi dipodia iambica catalectice ⏑–– pro ⏑–⏑– cadens.

Item fr. 61

Πάρθενον ἀδύφωνον
–⏑⏑–, ⏑–⏑

choriambus cum dipodia iambica catalectica coniunctus est; secundum Bergkii sententiam hoc fragmentum ad idem carmen pertinet ad quod fr. 60.

Quater iste versiculus –⏑⏑–, ⏑–– usurpatus est in fr. 99

Ὄλβιε γάμβρε, σοὶ μὲν
δὴ γάμος, ὡς ἄραο,

---

[1]) Hephaest. p. 30 ed. Westphal, quam editionem in laudando Hephaestione ubique secutus sum.

[2]) Hephaest. p. 179.

[3]) Hephaest. p. 212.

[4]) Hephaest. p. 31. Westphal II² p. 766.

ἐκτετέλεστ', ἔχῃς δὲ
πάρθενον, ἂν ἄραο.

Cuius fragmenti binis versiculis singulos versus longiores effici voluerunt Gaisfordius et Westphalius (in ed. Hephaest. p. 57) et Bergkius (poet. lyr. III p. 123), quamquam Hephaestion ipse *ἐκ χοριαμβικῶν ἑφθημιμερῶν τῶν εἰς τὴν ἰαμβικὴν καταληκτικὴν* fragmentum illud compositum appellat, consentiente scholio Hephaestioneo p. 211 (ubi pro *πέντε* legendum est *τέσσαρα*).

Sane quidem duo eiusmodi cola uno versu comprehunduntur in fr. 100 [1])

Μελλίχροος δ' ἐπ' ἱμέρτῳ κέχυται προσώπῳ,

ubi non congruit finis vocabuli cum fine coli.

In Alcaei fragmentis duo extant ex solis choriambis composita: fr. 88

Μηδ' ὀνίαις τοῖς πέλας ἄμμεων παρέχην
– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –

et fr. 90 *Ἐρραφεώτου γὰρ ἄναξ*
– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,

quae ex veris choriambis constare, non logaoedica esse et Sapphonis exemplo docemur et multis Anacreontis versibus.

Leguntur enim inter Anacreontis fragmenta choriambi pro diiambo *ἐπίμικτοι πρὸς τὰς ἰαμβικάς*: fr. 22 [2])

Σίμαλον εἶδον ἐν χορῷ πηκτίδ' ἔχοντα καλήν
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – –;

fr. 23 [3])

Ἐκ ποταμοῦ 'πανέρχομαι πάντα φέρουσα λαμπρά
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏓;

fr. 26 *Χεῖρά τ' ἐν ἠγάνῳ βαλεῖν*
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –;

fr. 27 *Ἥλιε καλλιλαμπέτη*
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –;

---

1) Cf. Hephaest. p. 57. schol. A p. 211.
2) Hephaest. p. 56. Westphal II [2] p. 769, 770.
3) Hephaest. p. 31.

fr. 29 ...... ἐγὼ δ' ἀπ' αὖτις φύγον ὥστε κόκκυξ
[⏓ ⏓ ⏓ ⏓], ⏑ – ⏑ –, – ⏑⏑ –, ⏑ – –;

fr. 57

Φίλη γὰρ εἶ ξένοις, ἔασον δέ με διψῶντα πιεῖν
⏑ – ⏑ –, ⏑ – ⏑ –, – ⏑⏑ –, – ⏑⏑ –.

Ex solis choriambis adiecta dipodia iambica catalectica hi praeterea versus constant:

fr. 28 [1])

Ἀσπίδα ῥίψας ποταμοῦ καλλιρόου παρ' ὄχθας
– ⏑⏑ –, – ⏑⏑ –, – ⏑⏑ –, ⏑ – –;

[1]) Cf. tamen infra p. 87 Phoeniss. 1539, 1. 2 et Iph. Aul. 171, 1. 2, quae in strophae versibus primo et secundo ⏑ – ⌴ in initio exhibent.

πῶς οὖν οὐκ ἄν τις ὁμιλῶν χαίροι τοιᾷδε πόλει,
ἵν᾽ ἔξεστιν πάνυ λεπτῷ κακῷ τε τὴν ἰδέαν . . . . .

– – – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ – ⏑ –, ⏑ ⏑ ⌴,
– – – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ – ⏑ –, ⏑ ⏑ ⌴,
. . . .
⏑ – – –, ⏑ ⏑ – –, – – ⏑ –, ⏑ ⏑ ⌴,
. . . .
– – – –, ⏑ ⏑ – –, – – ⏑ –, ⏑ ⏑ ⌴,
⏑ – – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ – ⏑ –, ⏑ ⏑ ⌴.

Horum versuum duos primos ionicis attribuit Hephaestion his verbis p. 58: *Ταχα δὲ καὶ τὸ κωμικὸν, τὸ καλούμενον ἐπιωνικὸν, πολυσχηματιστον συνέθεσαν. Μάλιστα δ᾽ ἐν αὐτῷ ἀταξία πολλὴ, ἡ τοὺς σπονδείους ἐπ᾽ ἀρτίους χώρας ἔχουσα τῶν ἰαμβικῶν συζυγιῶν, οἷον παρ᾽ Εὐπόλιδι ἐν Χρυσῷ Γένει, ὦ κτλ.*
Diiambus tertio loco positus indicat versus ex binis constare colis – – – –, ⏑ ⏑ – – et ⏑ – ⏑ –, ⏑ ⏑ ⌴, quorum in utroque priore loco inveniatur diiambus, sequatur ionicus. Fortasse etiam Cycl. v. 495, 4 = 503, 4 = 511, 4 p. 73 et Bacch. 72, 1. 2 = 88, 1. 2 p. 88 de epionicis admissis cogitari potest.

Quoniam singula exempla persecutus sum, nunc haec generaliter monenda sunt de ionicorum usu:

1. Ionico a minore Alcman primus usus est, e choricis poetis (nec tamen in carminibus choricis, ut videtur) praeterea Bacchylides, Timocreon, Praxilla, e melicis Sappho, Alcaeus, Lycophronides, inprimis Anacreon. Ex scaenicis poetis saepissime Aeschylus ionicis usus est, rarissime Sophocles.

2. Longius quam choriambum a diiambo distare visum esse ionicum a minore illud est argumento, a) quod vetustissimi quidem poetae, qui primi ionico usi sunt ad variandum diiambum, Alcman, Sappho, Anacreon, ionicis diiambos saepius admiscuerunt, scaenici vero in strophis ionicis diiambum rarius posuerunt;[1]) b) quod in vicinia ionicorum, ubi hi cum

[1]) Cf. Alcman. fr. 83. 84. 87, 2 supra p. 52; Sapph. fr. 58. 59 supra p. 65; Anacr. fr. 47. 48. 49 supra p. 54; Lycophronid. fr. 2 supra p. 57; Aeschyl. Pers. 102, 3 = 108, 3 supra p. 58; Eurip. Rhes. 360, 3 = 370, 3 infra p. 79; Eupol. fr. 290. 291. 292 supra p. 75. 76. Cf. etiam infra nr. 4 (p. 77).

diiambis mixti inveniuntur, solae formae ⏑–⏑– et ––⏑– neque ulla alia forma diiambi est admissa; c) quod ionicus, ubi cum diiambo uno eodemque colo coniungitur, sequitur diiambum, nisi quod in fine stropharum certo inveniuntur formae hae ⏑⏑–⏑–– et ⏑⏑–⏑–⏑–.

3. Occurrit ionicus modo integer ⏑⏑––, modo catalecticus ⏑⏑⏗, modo –⏑–– e diiambo retardato ortus, modo molossi forma ––– contractis duabus brevibus insignis. Usitatissima ionici variati est catalectica forma ⏑⏑⏗, qua iam Alcman, Alcaeus, Anacreon usi sunt, atque saepius quidem in fine coli quam in initio. Attamen ⏑⏑⏗ fere non legitur, nisi stropha simul simplex schema ⏑⏑–– contineat, excepta clausula ⏑⏑⏗⏑–⏗, siquidem recte ita hoc syllabarum schema describitur. Itaque Nub. 700, 3 = 804, 3 (cf. supra p. 45) aliam mensuram habere probabile est. Multo rarius formae –⏑–– et ––– leguntur.

4. Duas praeterea licentias Aristophanes admisit in Ranarum carmine 324—336 = 340—353, cum ⏑–⏗ in initio poneret et –⏑⏗ pro –⏑––. Licentia priore loco commemorata apud tragicos quoque poetas agnoscenda esse videtur; cf. infra p. 86. 87.

5. Loco dimetri ionici inde a Sapphonis ac praecipue Anacreontis tempore saepius usurpatur ionicus *ἀνακλώμενος*. Huic Sappho praefigere solet diiambum, a recentioribus poetis in vicinia ionici *ἀνακλωμένου* fere nullus pes nisi ionicus admittitur. Ionicum *ἀνακλώμενον* parem integro dimetro ionico fuisse cum alia demonstrant tum eae strophae et antistrophae, in quibus ionicus *ἀνακλώμενος* integro dimetro ionico respondet: Bacch. 519, 5 = 538, 5 (cf. supra p. 72). ran. 324, 4. 5. 6. 7 = 340, 4. 5. 6. 7 (cf. supra p. 75). Etiam duo cola deinceps se excipientia ionicis *ἀνακλωμένοις* composita sunt: Anacr. fr. 43, 1. 2. 4. 5. fr. 44. fr. 45, 1. 2. Prom. 397, 3. 4 = 406, 3. 4. Choeph. 327, 1. 2 = 358, 1. 2. Bacch. 519, 6. 8 = 538, 6. 8. Cycl. 495, 1. 2. 3 = 503, 1. 2. 3 = 511, 1. 2. 3. Soph. Electr. 1058, 2 = 1070, 2.

6. Usi sunt poetae ionicis a dimetro catalectico usque ad pentametrum acatalectum; quin etiam est ubi hypermetra triginta brevium spatium excedant.

7. Rarus est versus, quem epionicum Hephaestion appellat, Eupolid. fr. 290—292.

Cap. III.
DE IIS STROPHIS, IN QUIBUS ET CHORIAMBI ET IONICI ADMISSI VIDENTUR ESSE.

Expositis iis, quae de choriambi et de ionici usu erant dicenda, restat, ut de iis strophis pauca addam, in quibus ionici et choriambi simul videntur inesse. Cum appareat ex iis locis, quibus poetae his diiambi variati formis usi sunt, choriambi atque etiam magis ionici usum pro licentia habitum esse, non facile credas saepenumero has formas in una eademque stropha consociatas esse. Atque quamquam non desunt strophae, quae utrumque diiambi variati genus praebeant, tamen non similia inter se omnia haec exempla sunt, ne dicam paria. Sane nihil offensionis habent eae strophae, quarum altera pars choriambum diiambis admiscet, altera ionicis composita est. Plane alia res est, cum idem colon choriambum et ionicum mixtos exhibere dicitur.

Inspiciamus primum eas strophas, in quibus choriambici versus et ionici fortius ac dilucidius separati sunt:

Sophoclis Oedip. r. 483—497 = 498—512

δεινὰ μὲν οὖν δεινὰ ταράσσει σοφὸς οἰωνοθέτας, 483
οὔτε δοκοῦντ᾽ οὔτ᾽ ἀποφάσκονθ᾽· ὅ τι λέξω δ᾽ ἀπορῶ. 485
πέτομαι δ᾽ ἐλπίσιν οὔτ᾽ ἐνθάδ᾽ ὁρῶν οὔτ᾽ ὀπίσω.
τί γὰρ ἢ Λαβδακίδαις
ἢ τῷ Πολύβου νεῖκος ἔκειτ᾽ οὔτε πάροιθέν ποτ᾽ ἔγωγ᾽ οὔτε τανῦν πω
ἔμαθον, πρὸς ὅτου δὴ βασάνῳ

ἐπὶ τὰν ἐπίδαμον φάτιν εἰμ' Οἰδιπόδα Λαβδακίδαις
ἐπίκουρος ἀδήλων θανάτων.

– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –.

⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⊔,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⊔,
⊔ ⊔, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ ⊔, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⊔,
⏑ ⏑ ⊔, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⊔,
⏑ ⏑ ⊔, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⊔.

In hac stropha duae distinguendae esse videntur partes, quarum prior choriambicum hypermetrum efficit, ab initio usque ad *ἀπορῶ*, post quod vocabulum in stropha (non in antistropha) oratio fortius insistit; posterior pars ionicis composita esse videtur admisso saepius hoc schemate: ⏑ ⏑ ⊔. Insigne autem est ⊔ ⊔ illud v. 5 extra versus ordinem positum similiter atque Lysistr. 321, 3 = 335, 3,[1]) Aiac. 1199, 3 = 1211, 3.[2])

Ceterum possis pro versibus 4—6 hanc quoque ionicorum et choriambicorum versuum societatem constituere:

⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,

– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,

⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⊔.

Sane, nisi *Τροΐα* vox in tres syllabas dirempta et *Πηλεΐδης* vox in quattuor syllabas dirempta suspicionem moveat, Rhes. 360—369 = 370—379 hoc pacto dimetiri ausim:

ἆρά ποτ' αὖθις ἁ παλαιὰ Τροΐα τοὺς προπότας
παναμερεύσει θιάσους ἐρώτων
ψαλμοῖσι καὶ κυλίκων οἰνοπλανήτοις
ἐπιδεξίοις ἁμίλλαις,
κατὰ πόντον Ἀτρειδᾶν
Σπάρταν οἰχομένων Ἰλιάδος παρ' ἀκτᾶς;
ὦ φίλος, εἴθε μοι
σᾷ χερὶ καὶ σῷ δορὶ πράξας τάδ' ἐς οἶκον ἔλθοις·

– ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,

– – ⏑ –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,

[1]) Cf. p. 30 seq.
[2]) Cf. p. 43.

⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –,
⏑ ⏑ ⏗, ⏑ ⏑ – –,
– – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – ⏑ – –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⊼
– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – –.

De versus 3 forma cf. supra p. 76 adnot. 1; versus 4 *ἀνακλώμενος* est; de versus 6 clausula ⏑ ⏑ – ⏑ – – cf. infra p. 81; de versus 7 forma cf. supra p. 22. 27. 50 (Eurip. Helen. 1451, 3 = 1465, 3; Aristoph. Thesmoph. 957); de versu 8 cf. Christ, Metrik [1] p. 489. Alio modo primos huius strophae versus dimensi sunt cum alii tum Dindorfius. Meam mensuram primi versus si comprobaveris, in antistropha primus versus hic erit:

ἐλϑὲ, φάνηϑι, τὰν ζάχρυσον προβαλοῦ Πηλεΐδᾳ,

quem verborum ordinem codices tradunt; vulgo transponunt *Πηλείδᾳ προβαλοῦ*.

Simili modo stropha ex ionicis et choriambis inter se separatis formata videtur esse:

Bacch. 370—384 = 385—401 [1])

ΧΟ. Ὁσία, πότνα ϑεῶν,
Ὁσία δ', ἃ κατὰ γᾶν
χρύσεα σκῆπτρα φέρεις,
τάδε Πενϑέως ἀΐεις;
ἀΐεις οὐχ ὁσίαν
ὕβριν ἐς τὸν Βρόμιον,
τὸν Σεμέλας, τὸν παρὰ καλλιστεφάνοις
εὐφροσύναις δαίμονα πρῶτον μακάρων; ὃς τάδ' ἔχει,
ϑιασεύειν τε χοροῖς,
μετά τ' αὐλοῦ γελάσαι
ἀποπαῦσαί τε μερίμνας, | ὁπόταν βότρυος ἔλϑῃ | γάνος ἐν δαιτὶ ϑεῶν,
κισσοφόροις δ' ἐν ϑαλίαις ἀνδράσι κρατὴρ | ὕπνον ἀμφιβάλλῃ. |

⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗,
– – –, ⏑ ⏑ ⏗, (in antistr.: ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗)
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗,

[1]) Christ, Continuität p. 69.

– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,

⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏓,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – ⏕, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – ⏑ – –.

Separatae igitur sunt tres strophae partes ita, ut inter ionica systemata occurrant duo versus choriambici leviore interpunctione in stropha a ceteris divisi, in antistropha forti interpunctione ab ultimis versibus secreti, nulla interpunctione secreti a sex versiculis primis.

Attamen hos quoque versus, quos choriambis dimensus sum, malim pro ionicis ita habere, ut *τὸν* vocabulo in stropha, *καὶ* in antistropha ad versum praecedentem addito haec evadat metrica forma versuum 6. 7. 8:

⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗.

In fine ionicos quam choriambos statuere malui, ne iterum choriambi efficerentur.

Clausula ⏑ ⏑ – ⏑ – –, quae haud raro in fine stropharum ionicarum legitur, duobus modis explicari potest: aut tamquam ⏑ ⏑ ⏗, ⏑ – ⏗ i. e. ionicus catalecticus cum dipodia iambica syncopata catalecticave (⏑ – ⏓); aut tamquam colon logaoedicum ascendens. Ionicis magis apta est illa sententia.

In v. 3 strophae *χρύσεα σκῆπτρα* cum Elmsleio scripsi, ut molosso admisso versus accuratius respondeat antistrophae versui ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗, quam hoc metrico schemate in textum recepto – – ⏖, ⏑ ⏑ ⏗, quod Dindorfii lectione efficitur.

Aristophanes in fr. 116 aut colis choriambicis subiunxit ionicum, aut tripodias logaoedicas acatalectas descendentes et dactylo in prima sede insignes variavit admixto uno pherecrateo puro:

fr. 116 Dind. = 10 et 695 Kock [1])

Οὐκ ἐτὸς, ὦ γυναῖκες,
πᾶσι κακοῖσιν ἡμᾶς

[1]) Christ, Metrik [1] p. 95. 250.

φλῶσιν ἑκάστοϑ' ἄνδρες·
δεινὰ γὰρ ἔργα δρῶσαι
λαμβανόμεσϑ' ὑπ' αὐτῶν.
. . . . .
ὅστις ἐν ἡδυόσμοις
στρώμασι παννυχίζων
τὴν δέσποιναν ἐρείδεις.

– ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,
. . . . .
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,
– – –, ⏑ ⏑ – –.

Longe alia res est in ea Aristophanis stropha, in cuius versu altero choriambos excipere dicitur ionicus a minore intra idem colon:

Ecclesiaz. 969—972 = 973—976 [1])

ΓΡ.Α. *καὶ ταῦτα μέντοι μετρίως πρὸς τὴν ἐμὴν ἀνάγκην*
εἰρημέν' ἐστίν. σὺ δέ μοι, φίλτατον, ὢ ἱκετεύω,
ἄνοιξον, ἀσπάζου με· 971
διά τοι σὲ πόνους ἔχω.

– – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏓ – ⏑ ⏖, ⏑ – –,
⏓ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ – ⏑ – – – ⏑,
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –.

Versus 3 et 4 isdem verbis redeunt in antistropha. In fine versus 2 legitur – ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ – –, i. e. choriambus cum ionico coniunctus. Cum ex antistrophae verbis *ϑρέμμα Τρυφῆς τε πρόσωπον* particula *τε* deleta hanc usitatissimam versuum choriambicorum clausulam elicere possis: – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏓, nescio an in stropha corruptum sit *ὢ ἱκετεύω* atque Blaydesii coniectura [2]) *ὦ σ' ἱκνοῦμαι* comprobanda. Ceterum ne de versuum 3. 4 quidem metro satis constat.

[1]) Westphal, II² p. 842.
[2]) Blaydes, Aristophanis comoediae p. III (Halis 1881) p. 86.

Nunc eas strophas percenseamus, in quibus aut liberiore modo ionici versus et choriambici mixti sunt aut alicui mixti esse quodammodo videri possint; quibus eas addemus strophas, quae ob alias quasdam licentias insignes sunt:

Thesmophor. 352—357

ΧΟ. ξυνευχόμεσθα τέλεα μὲν
πόλει, τέλεα δὲ δήμῳ
τάδ' εὔγματ' ἐκγενέσθαι.
τὰ δ' ἄρισθ' ὅσαις προσήκει
νικᾶν λεγούσας· ὁπόσαι δ'
ἐξαπατῶσιν παραβαίνουσί τε τοὺς
ὅρκους τοὺς νενομισμένους κτλ.

⏑ – ⏑ –, ⏑ ⏖ ⏑ –,
⏑ – ⏑ ⏖, ⏑ – –,
⏑ – ⏑ –, ⏑ – –,
⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –,
– – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
– – – ⏑ ⏑ – ⏑ – *κτλ.*

Sequuntur glyconei inde ab *ὅρκους τοὺς κτλ.* De metro versuum 4—6 non satis constat; v. 355 aut ionicus *ἀνακλώμενος* est aut dimeter iambicus catalecticus anapaesto pro iambo in prima sede substituto insignis.

Anacreontis fragmentum 56 hoc est (cf. p. 35):

οὐδ' αὖ μ' ἐάσεις μεθύοντ' οἴκαδ' ἀπελθεῖν;
– – ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –,

cuius metrum aut tamquam – – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – aut tamquam – – ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – – explicari potest. Hunc locum laudavit scholiasta ad Aesch. Prom. 128 verbis usus his: *μηδὲν φοβηθῇς] ὁ ῥυθμὸς Ἀνακρεόντειός ἐστι κεκλασμένος πρὸς τὸ θρηνητικόν. ἐπεδήμησε γὰρ τῇ Ἀττικῇ Κριτίου ἐρῶν καὶ ἠρέσθη λίαν τοῖς μέλεσι τοῦ τραγικοῦ* (Welcker recte: *μέλεσιν αὐτοῦ ὁ τραγικός*). *ἐχρῶντο δὲ αὐτοῖς οὐκ ἐν παντὶ τόπῳ, ἀλλ' ἐν τοῖς θρηνητικοῖς, ὡς καὶ Σοφοκλῆς Τυροῖ β'. ἔστι δὲ ταῦθ' ὅμοια τῷ· οὐδ' αὖ κτλ.*[1])

[1]) Aeschyli trag. superstit. ex rec. G. Dindorfii. tom. III (Oxonii 1851) p. 15. Conradt, lyr. Verse p. 12.

Ab hoc loco progressus de nonnullis strophis agam, quae ab ⏒ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – – etc. ita incipiunt, ut et de colo ⏒ – ⏑ – – cum ionicis a minore coniuncto et de diiambis choriambo variatis cogitare possis. Mihi haec, quam posteriore loco protuli, explicatio probabilior videtur esse.

Sic igitur explicare malim

Prom. 128—135 = 144—151:[1])

ΧΟ. μηδὲν φοβηθῇς· φιλία γὰρ ἅδε τάξις πτερύγων θοαῖς
ἁμίλλαις προσέβα
τόνδε πάγον, πατρῴας
μόγις παρειποῦσα φρένας.
κραιπνοφόροι | δέ μ' ἔπεμψαν αὖραι· |
κτύπου γὰρ ἀχὼ χάλυβος διῇξεν ἄντρων μυχὸν, ἐκ δ' ἔπληξέ μου
τὰν θεμερῶπιν αἰδῶ·
σύθην δ' ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ.

– – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ – ⏑ – –
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – –,
⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –;

quamquam post ⏑ – ⏑ – – in initio interpunctio intercedit et in stropha et in antistropha.

Item Prom. 397—405 = 406—414[2]) malim sic explicare:

ΧΟ. στένω σε τᾶς οὐλομένας | τύχας, Προμηθεῦ·
δακρυσίστακτον ἀπ' ὄσσων ῥαδινῶν δ' εἰβομένα | ῥέος
παρειὰν
νοτίοις ἔτεγξα παγαῖς· ἀμέγαρτα γὰρ τάδε Ζεὺς
ἰδίοις | νόμοις κρατύνων ὑπερήφανον θεοῖς | τοῖς πάρος
ἐνδείκνυσιν αἰχμάν. |

⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,

[1]) Westphal, II² p. 833. Christ, Metrik² p. 635; Continuität p. 68. Conradt, lyr. Verse p. 8. 15. 25. Bernhardi, de tones usu p. 13.

[2]) Westphal, II² p. 833. Conradt, lyr. Verse p. 44. Christ, Continuität p. 19.

∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –, ∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –, ∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –,
∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –, ∪ – ∪ –,
– ∪ ∪ –, – – ∪ – –.

Item Sept. 720—726 = 727—733 [1]) sic descripserim:

ΧΟ. πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον θεόν, οὐ | θεοῖς ὁμοίαν
παναλα | θῆ, κακόμαντιν πατρὸς εὐκταίαν Ἐρινὺν
τελέσαι τὰς περιθύμους κατάρας | Οἰδιπόδα βλαψί-
φρονος·
παιδολέτωρ δ' ἔρις ἅδ' ὀτρύνει.

∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –, – ∪ ∪ –,
∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –,
– ∪ ∪ –, – ∪ ∪ –, ⏓ – ∪ –, – ∪ ∪ –, – ∪ ∪ –, – ∪ ∪ –,
– ∪ ∪ –, – ∪ ∪ –,
– ∪ ∪ –, ∪ ∪ – ∪ – –.

Item Soph. Electr. 1058—1069 = 1070—1081 [2]) sic dimetiar:

ΧΟ. τί τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους οἰωνοὺς
ἐσορώμενοι τροφᾶς | κηδομένους ἀφ' ὧν τε βλάστω-
σιν ἀφ' ὧν τ' ὄνασιν εὕρωσι, τάδ' οὐκ | ἐπ' ἴσας τελοῦμεν; |
[ἀλλ' οὐ τὰν Διὸς ἀστραπὰν
καὶ τὰν οὐρανίαν Θέμιν
δαρὸν οὐκ ἀπόνητοι.]
ὦ χθονία βροτοῖσι φάμα, κατά μοι | βόασον οἰκτρὰν
ὄπα τοῖς | ἔνερθ' Ἀτρείδαις, ἀχόρευτα φέρουσ' ὀνείδη·

∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –, ∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –, ∪ – ∪ –,
– ∪ ∪ –, ∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –, ∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –,
∪ ∪ – ∪ – ∪̄,
[– – – ∪ ∪ – ∪ –
– – – ∪ ∪ – ∪ –
– ∪ – ∪ ∪ – –]
– ∪ ∪ –, ∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –,
∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –,
∪ – ∪ –, – ∪ ∪ –, ∪ ∪ – ∪ – –.

Versus 4—6 glyconei sunt cum pherecrateo. Ac fortasse ex tribus ultimis quoque versibus quattuor cola logaoedica descendentia efficienda sunt.

Denique trag. fr. adesp. 100 sic describere malim:

φρονεῖτε νῦν αἰθέρος ὑψηλότερον

[1]) Westphal, I [2] p. 615. Christ, Metrik [1] p. 138.
[2]) Christ, Metrik [1] p. 530; Continuität p. 19. 20.

καὶ μεγάλων πεδίων ἀρούρας,
φρονεῖθ' ὑπερβαλλόμενοι
δόμων δόμους, ἀφροσύνᾳ
πρόσω βιοτὰν τεκμαιρόμενοι.
ὁ δ' ἀμφιβάλλει ταχύπους
κέλευθον ἔργῳ σκοτίαν,
ἄφνω δ' ἄφαντος προσέβα
μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας
θανάτῳ πολύμοχθος Ἅιδας.

⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ – ⏑ – –,
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
⏑ – ⏑ ⏑ –, ⏓ – ⏑ ⏑ –,
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –,
⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ –
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –.

Verba *φρονεῖτε—ἀρούρας* proodici instar anteposita esse probari videtur repetito *φρονεῖτε*. Ceterum metrum strophae, quod libri praebent, non satis certum est, cf. v. 5. 9. 10.

Pers. 658—664 = 665—671 [1])

[ἰωά, βαλλὴν ἀρχαῖος, βαλλὴν ἐλθ', ἱκοῦ]
τόνδ' ἐπ' ἄκρον κόρυμβον ὄχθου, |
κροκόβαπτον ποδὸς εὔμαριν ἀείρων,
βασιλείου | τιάρας φάλαρον πιφαύσκων. |
βάσκε πάτερ ἄκακε Δαριάν. |

[⏑ – ⏑ – – – – – – – – ⏑ –]
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏑ – –,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ – ⏗, ⏑ ⏑ ⏗, ⏑ – ⏗,
– ⏖ ⏑ ⏖, ⏑ – ⏑ –.

Verba *ἰωὰ—ἱκοῦ* metro strophae reliquae adaequari vix possunt; fortasse post epiphonema *ἰωὰ* duo dochmii agnoscendi sunt. Versum 2 dubitanter statui ex choriambo et iambico penthemimere constare: alias tamen explicandi vias patere consentaneum est. *τιάρας* ⏑ – ⏗ v. 4 simili

[1]) Conradt, lyr. Verse p. 20.

modo ante ionicos occurrit, atque ran. 324, 1 = 340, 1 (cf. p. 75). Ultimus versus dimeter iambicus videtur esse.

Duobis praeterea locis eodem modo, quo ran. 324, 1 = 340, 1 (cf. p. 75), ante ionicos forma ⏑ – ⊔ usurpata est:

Euripid. Phoeniss. 1539—1541

ΟΙ. τί μ', ὦ παρθένε, βακτρεύμασι τυφλοῦ ποδὸς ἐξάγαγες
ἐς φῶς 1539
λεχήρη σκοτίων ἐκ θαλάμων οἰκτροτάτοισιν δάκρυσιν,
[πολιὸν αἰθέρος ἀφανὲς εἴδωλον, ἢ νέκυν ἔνερθεν, ἢ
πτανὸν ὄνειρον;]

⏑ – ⊔, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –,
⏑ – ⊔, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ ⊔,
[⏑⏑⏑ – ⏑⏑⏑⏑⏑⏑ – – ⏑ – ⏑⏑⏑ – ⏑ –
– ⏑⏑ – ⏑]

Verba λεχήρη—δάκρυσιν non probabiliter ita divisit Dindorfius, ut syllabis οἰκτροτάτοισιν δάκρυσιν dimetrum choriambicum (ionicis versibus subiunctum) efficeret. Duo versus ultimi huc non pertinent.

Iph. Aul. 171—175 = 192—196[1])

Ἀχαιῶν στρατιὰν ὡς κατιδοίμαν
| Ἀχαιῶν τε πλάτας ναυσιπόρους
ἡμιθέων, οὓς | ἐπὶ Τροί-
αν ἐλάταις χιλιόναυσιν |
τὸν ξανθὸν Μενέλαον κτλ.

⏑ – ⊔, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –,
⏑ – ⊔, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –,
⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –, ⏑⏑ – –,
– – – ⏑⏑ – ⏓ etc.

Facillime ionici continuantur, si versus ita dividuntur ut supra lineolis significatum est. Versus inde a τὸν ξανθὸν non videntur consociandi esse cum praecedentibus.

Vix dubium est, quin Persarum stropha 648—652 = 653—657 huc non pertineat. Nam quamvis priores duo versus choriambis et ionicis compositi esse videantur, tertius idonea explicatione caret, nisi logaoedicum putes; itaque

[1]) Christ, Continuität p. 67.

ne in primis quidem versibus aliud metrum quam logaoedicum inesse erunt qui autument.

Bacch. 72—87 = 88—104 [1])

ὦ μάκαρ, ὅστις εὐδαίμων τελετὰς θεῶν εἰδὼς βιοτὰν ἁγιστεύει
καὶ θιασεύεται ψυχὰν, ἐν ὄρεσσι βακχεύων ὁσίοις καθαρμοῖσιν· 75–77
τά τε ματρὸς μεγάλας ὄργια Κυβέλας θεμιτεύων,
ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων κισσῷ τε στεφανωθεὶς 80
Διόνυσον θεραπεύει.
ἴτε βάκχαι, ἴτε βάκχαι, Βρόμιον παῖδα θεὸν θεοῦ
Διόνυσον κατάγουσαι Φρυγίων ἐξ ὀρέων 85
Ἑλλάδος εἰς εὐρυχόρους ἀγυιάς, τὸν Βρόμιον· 87

– ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏗, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏗, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – – –,
– ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏗, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏗, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – – –.

⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏖ –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, – – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –́, ⏑ ⏑ ⏗.

– ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏗, – ⏑ ⏑ ⏒.

Discernendae sunt tres partes: 1) choriambica ab initio usque ad *καθαρμοῖσιν*, in stropha et in antistropha interpunctione graviore a proximis versibus ionicis segregata. Valde inusitatus est choriambus cum ⏑ – – quater et cum ⏑ – – – bis coniunctus. ⏑ – – – quid sit nescio, nisi forte credas, ut ab Eupolide fr. 290—292 in epionicis haec forma ⏒ – – – pedibus ionicis praefixa est (cf. p. 76 sq.), ita hoc loco clausulam choriamborum Euripidi placuisse in ⏑ – – – exeuntem. 2) Altera strophae pars ex ionicis constat per – – – et ⏑ ⏑ ⏖ – variatis; dubium autem est, utrum strophae versus 4. 6. 7 tetrametri sint an in binos dimetros dispescendi. 3) Maxima difficultate obstrictus est ultimus versus, in quo choriambos inesse schemate ⏑ – ⏗ ante ultimum choriambum posito probari videtur. Sed cum in huius strophae parte choriambica etiam ⏑ – – – occurrat, hanc quoque mensuram duorum versuum ultimorum tolerari posse censeo:

⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –,
⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ – –, ⏑ ⏑ ⏗, ⏑ – – –, ⏑ ⏑ ⏗.

[1]) Christ, Metrik [1] p. 250; Continuität p. 41.

Omnino autem plurima eorum, quae hoc tertio capite exposita sunt, dubitationi obnoxia esse ingenue profiteor. Ex plurimis tamen canticis removendam esse artam choriambicorum et ionicorum versuum societatem demonstrasse mihi videor. Ceterum in tota hac commentatione versuum divisionem a me parum curatam esse haud nescio.

Cum finem fecissem imprimendis his disquisitionibus, Ludovici Tichelmanni dissertatio (Regimonti 1884) in manus meas pervenit, quae inscribitur: de versibus ionicis a minore apud poetas Graecos obviis. Quo in libello quae profert Tichelmannus de re metrica, prorsus diversa sunt ab iis quae ego protuli, ut longum sit, de tot rebus cum eo disceptare; quae de singulis versibus vel strophis dicenda erant, suo loco a me prolata sunt. Pauca addenda sunt de iis locis a Tichelmanno laudatis, quos ipse non commemoravi:

1. fr. lyric. adesp. 121 (Tich. p. 13) ut galliambum omittendum esse censui.
2. Eur. fr. 390 (Tich. p. 13) ab ionicis numeris non abhorret, tamen alia quoque mensura optimo iure admitti potest. Simili modo iudicandum est de
3. Aristoph. av. 238 (Tich. p. 15), 241 (Tich. p. 20). Qui versus petiti sunt e carmine ad avium cantum imitandum liberioribus numeris composito. Eadem igitur, quae ipse Tichelmannus p. 20 de v. 241 non pro ionico habendo dixit, p. 15 de v. 238 dicere potuit.
4. Aesch. Agam. 689. 690 = 707. 708 (Tich. p. 10) 691. 692 = 709. 710 (Tich. p. 27) 694. 695 = 711. 713 (Tich. p. 48). Stropha, cuius media pars his versibus efficitur, a versibus haud dubie descendentibus incipit; versus igitur, qui sequuntur, aeque descendentes esse eo magis probatur, quod nulla re haec mensura reicitur atque ne Tichelmannus quidem nisi nimis artificiosa explicatione usus (p. 10) versus priores 689. 690 = 707. 708 ionicis numeris attribuere potuit.

5. Anacr. fr. 65. In editione quarta poet. lyr. Graec. Bergkius hoc fragmentum 'quamvis dubitanter' Anacreonti attribuit, cum in prioribus editionibus Anacreonteis adnumerasset. Quare nimis incerta origo huius fragmenti mihi videtur esse quam quo ad comprobandam sententiam utar; cf. etiam quae Bergkius ad hunc locum dixit P. L. G. III p. 273.

CORRIGENDA.

p. 4 lin. 24 lege: His locis
p. 6 lin. 30 lege: – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏒
p. 9 lin. 25 in fine lege: – ⏑ ⏑ –, ⏑ – ⏒.
p. 31 lin. 22 lege: ⏑ – ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, – ⏑ ⏑ –, ⏑ – –
p. 36 lin. 7 lege: *αὐλοῖς*
p. 38 lin. 11 lege: sive incónexorum
p. 76 lin. 11 lege: *Τάχα*
p. 77 lin. 33 del.: Prom. 397, 3. 4 = 406, 3. 4.
p. 77 lin. 35 del.: Soph. Electr. 1058, 2 = 1070, 2.

Index locorum quos laudavi.

Locos asterisco insignes obiter commemoravi.

DE
SORANO EPHESIO
MEDICO ETYMOLOGO

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS SCHEELE

HANNOVERANUS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXIV.

Aulae Vimariensis officina typographica.

Fragmenta libri Sorani Ephesii, cuius hic circumferri solet titulus *ἐτυμολογίαι τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου*, postquam auctore Guilelmo Studemund praeceptore meo carissimo collegi et restitui, commentatio Pauli Voigt diligentia et ingenii acumine insignis, quae inscribitur 'Sorani Ephesii liber de etymologiis corporis humani quatenus restitui possit' (Gryphisw. 1882), in manus mihi incidit.

Ut nihilominus partem eorum, quae conscripseram, publici iuris facerem, duabus de causis factum est. Primum enim de nonnullis rebus ac praecipue de libri inscriptione aliter sentio atque Voigtius, tum autem sola lemmatum libri Soranei fragmentorum enumeratio, quam Voigtius disquisitioni suae addidit, ad indolem et naturam libri illius penitus cognoscendam parum sufficere mihi videbatur.

Caput I.

§ 1.

Duos quos excitat Hesychius Soranos unum eundemque esse.

Apud Suidam i. e. apud Hesychium Milesium de duobus Soranis haec exstant testimonia:

Σωρανὸς Μενάνδρου καὶ Φοίβης, Ἐφέσιος ἰατρός, διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ δὲ ἰατρεύσας ἐπὶ Τραϊανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ τῶν βασιλέων, βιβλία τε συντάξας πλεῖστα καὶ κάλλιστα.

Σωρανὸς Ἐφέσιος, ἰατρὸς νεώτερος· γυναικεῖα βιβλία δ', βίους ἰατρῶν καὶ αἱρέσεις καὶ συντάγματα βιβλία ι' καὶ ἄλλα διάφορα.

Homines docti non consentiunt fuerintne re vera duo Sorani, quos laudat Hesychius, an unus tantum statuendus sit Soranus. Nam Osannus (Quaest. Hom. III p. 12 adn. 12) Ermerinsius (Sorani Ephesii liber de muliebr. affect. p. IV sqq.) alii Soranum secundo loco ab Hesychio laudatum gravibus nisi argumentis omnino reiecerunt tamquam a solo Hesychio fictum; contra Daubius (de Suidae biographic. origine et fide p. 439 adn. 39) contendit nullam prorsus subesse causam, cur unum tantum Soranum exstitisse statueremus. Attamen probabilius est unum tantum Soranum i. e. eum quem maiorem dicit Suidas fuisse et scripta, quae Hesychius Sorano quem laudat minori tribuit, illi Sorano vindicanda esse omnia.

1. Faciamus enim re vera fuisse quendam Soranum Ephesium minorem, qui libris IV *γυναικεῖα* et *βίους ἰατρῶν καὶ αἱρέσεις καὶ συντάγματα* libris X scripserit et *ἄλλα διάφορα*: qui, quaeso, fieri potuit, ut eius memoria apud posteriores scriptores et medicos omnino evanesceret? Atque cum certissimis testimoniis (cfr. Ermerins l. l.; Voigt, Sor. Ephes. etc. p. 3; H. Haeser, de Sorano Ephesio eiusque *περὶ γυν. παθ.* libro nuper reperto, progr. Ienae 1840, p. 6) constet maiorem quoque Soranum tractatum de muliebribus affectionibus (*γυναικεῖα*) scripsisse, quem Dietzius, Ermerinsius, Valentinus Rose publici iuris fecerunt, posteriores medici et scriptores, Galenus, Oribasius, Caelius Aurelianus, Tertullianus, Orion etc., cum de altero utro Sorano verba facerent, cognomine quodam (*πρεσβύτερος* vel *νεώτερος* vel alio) eos discernere debebant; nihilominus ab omnibus qui Soranum excitant scriptoribus[1]) aut uno nomine *Σωρανός* laudatur aut *Σωρανὸς ὁ Ἐφέσιος*.

[1]) Perpauca ex multis affero exempla: Oribasius, Iuliani imperatoris aequalis (Oribasii opera, III p. 369—382 ed. Bussemaker-Daremberg), ubi duo capita e Sorani libro depromit, titulo *περὶ μήτρας καὶ αἰδοίου γυναικείου* adicit verba: *ἐκ τῶν Σωρανοῦ*. Ex utrius Sorani libro Oribasium hunc locum deprompsisse censes, quandoquidem uterque Soranus de muliebribus affectionibus scripsisse fertur?

2. Accedit quod Hesychius hac in quaestione diiudicanda non nimia dignus est fide, quippe qui non semel vitas hominum finxerit, qui nunquam fuerunt (cfr. Flach, Hesychii Milesii Onomatologi quae supersunt, p. XXII adn. 1).

3. Haec argumenta tertio eoque graviore corroborantur. Est enim valde mirum, quod Hesychius, cum de Sorani maioris vitae condicione tam bene instructum sese praestet, ut quo patre, ex qua matre ortus sit, ubi vitam degerit, quorum imperatorum aetate fuerit proferat, de scriptis eius nihil addat nisi: *βιβλία τε συντάξας πλεῖστα καὶ κάλλιστα*, quae verba nullius sunt momenti. De Sorani autem, quem laudat, minoris vita, parentibus, aetate quamquam nihil compertum habet Hesychius, opera eius aliquot ita excitat, ut totam qua insigniebantur inscriptionem indicet.

Quodsi constat Soranum maiorem tractatum de muliebribus affectionibus scripsisse, tota quaestio, utrum omnino praeter Soranum illum alter Soranus medicus fuerit necne, ea ex re pendebit, uter fuerit auctor scripti illius quod laudatur *βίοι ἰατρῶν καὶ αἱρέσεις* etc. Nam si mihi contigerit ut probem hoc quoque scriptum Sorano illi maiori vindi-

---

In Crameri Anecd. Gr. Paris. I 395, 9 e codice Paris. 2286 chartac. saec. XIV, qui continet lexicon Medicum e Galeno et Crateva et aliis, quorum nomina saepius laudantur, conflatum, haec exstant verba: *καὶ πόσοι (εἰσὶν) οἱ συστησάμενοι τὴν λογικήν; πέντε. τίνες οὗτοι; Ἱπποκράτης ὁ Κῷος, Πραξαγόρας, Φιλότιμος, Ἐρασίστρατος καὶ Ἀσκληπιάδης. καὶ πόσοι εἰσὶν οἱ συστησάμενοι τὴν μεθοδικὴν ἐπιστήμην; τρεῖς. τίνες οὗτοι; Μεθήσων ὁ Λαοδικεύς, Μονόμαχος ὁ Ἀφροδισιεύς, καὶ Σωρανὸς ὁ Ἐφέσιος —. ἐγὼ δὲ μόναχος νεόφυτος κατὰ στοιχεῖον ταῦτα συνέταξα σποράδην αὐτὰ εὑρὼν καὶ πολλὰ προσθεὶς ἀπὸ τῶν ....*

E catalogo nescio cuius bibliothecae, qui continetur codice Veronensi Capitul. CXVII (107) chartac. 4° saec. XVI Studemundus descripsit hunc libri a Niceta quodam scripti titulum, cuius manifestos librarii errores tacitus correxi: *συναγωγὴ ἐκ πολλῶν τῆς χειρουργικῆς τέχνης Νικήτου τινός, ἐκ διαφόρων παλαιῶν ἰατρῶν, οἷοί εἰσιν οὗτοι· Ἱπποκράτης, Γαληνός, Ὀρειβάσιος, Ἡλιόδωρος, Ἀρχιγένης, Ἄντυλλος, Ἀσκληπιάδης, Διοκλῆς, Ἀμύντας, Ἀπολλώνιος Κιτιεύς (καὶ τιανεὺς* cod.), *Νυμφόδωρος, Ἀπελλῆς, Ῥοῦφος, Σωρανός, Παῦλος Αἰγινήτης, Παλ⟨λ⟩άδιος.* etc. etc.

candum esse, sine ulla dubitatione Soranus Ephesius minor ab Hesychio ipso vel fonte eius fictus est.

In scholiis ad Oribasium (quae leguntur in editione Oribasii a Bussemaker-Daremberg curata III p. 680—689) ter nomen Sorani obviam fit:

	quocum conferas:
1. p. 681, 10 *ἰστέον, ὅτι ὁ μὲν Σωρανὸς ἐν τοῖς Γυναικείοις διὰ τὸ σκληρὸν καὶ δυσκίνητον μύλην ἢ μύλον ὀνομάζεσθαί φησιν.*	Soranum *περὶ γυν. παθ.* p. 251, 10 (Ermerins) *ἡ λεγομένη μύλη ἢ καθὼς ἄλλοι λέγουσι μύλος .... ὠνόμασται δὲ μύλος ἀπὸ τῆς δυσκινησίας καὶ τοῦ βάρους ....*
2. p. 681, 17 *ὁ δὲ Σωρανὸς ἐν τοῖς Γυναικείοις κεφαλαίῳ περὶ ἐμμήνων λέγει τὴν αὐτὴν τῷ Ῥούφῳ αἰτίαν, ἐπάγων· „καὶ διὰ τοῦτό τινες ἐπισυλλαμβάνουσιν."*	Inscriptio capitis (p. 19) *περὶ ἐμμήνων καθάρσεως.* Sor. p. 25, 3 ...... *καὶ διὰ τοῦτό τινες ἐπισυλλαμβάνουσιν.*

His exemplis docemur Oribasii scholiastam nomine *Σωρανός* eum significare Soranum, quem Hesychius altero laudat loco, qui de muliebribus affectionibus scripsit.

3. Tertium autem Sorani nomen apud scholiastam Oribasii legitur III 687, 1:

Ὁ Φίλων ἐν τῷ θ' Περὶ βιβλιοθήκης κτήσεως καὶ Ἕρμιππος ἐν τῷ ε' Περὶ τῶν διὰ παιδείαν σεμνηθέντων ἐνδόξων ἀνδρῶν ἰατρῶν καὶ ὁ Σωρανὸς ἐν ταῖς τῶν ἰατρῶν διαδοχαῖς φασιν ὅτι ......

Quin scriptum *βίοι ἰατρῶν καὶ αἱρέσεις* etc. idem sit atque quod hoc loco laudatur *ἐν ταῖς τῶν ἰατρῶν διαδοχαῖς*, vix quisquam dubitet (vide quae Darembergius ad hunc locum adnotat III 687 not. 4), atque cum scholiasta ad Sorani nomen tertio loco laudatum neque urbem patriam neque ullum cognomen addat, colligimus scholiastam tertio loco eundem Soranum Ephesium significare, quem ceteris locis duobus excitaverit. Quocum aetas virorum trium illorum

optime quadrat: Philo enim Byblius, cuius discipulus erat Hermippus Berytius, Traiani et Hadriani fuerunt temporibus aeque atque Soranus Ephesius.

Vidimus igitur utrumque scriptum, et *γυναικεῖα βιβλία δ'* et *βίοι ἰατρῶν καὶ αἱρέσεις* etc., Sorano minori abiudicandum, maiori tribuendum esse, unde sequitur ut Hesychium ipsum aut fontem, quo usus est in libro conscribendo, Soranum minorem finxisse statuamus. Itaque puto duos quos praebet Hesychius articulos, eis partibus quae nihili sunt resectis, ita fere in unum contexendos esse:

Σωρανὸς Μενάνδρου καὶ Φοίβης, Ἐφέσιος ἰατρός, διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ δὲ ἰατρεύσας ἐπὶ Τραϊανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ τῶν βασιλέων .... γυναικεῖα βιβλία δ', βίους ἰατρῶν καὶ αἱρέσεις καὶ συντάγματα βιβλία ι' καὶ ἄλλα διάφορα[1]).

§ 2.

De falsa Sorani apud Tzetzam memoria.

Quae cum ita sint, non possum non quosdam Tzetzae errores de Sorani Ephesii aetate corrigere. Laudat enim Tzetzes bis Soranum quendam Ephesium medicum, qui temporibus Cleopatrae Alexandriae fuerit et huic reginae medicamina ad faciem exornandam apta fabricatus sit. Ac primum quidem haec leguntur in Tzetzae prooemio ad Allegorias metro quod vocatur politico conscribillata (ed. Matranga Anecd. Gr. I p. 1; ed. Boissonade, Lutetiae 1851, p. 1):

Τῇ κραταιοτάτῃ βασιλίσσῃ καὶ ὁμηρικωτάτῃ κυρᾷ Εἰρήνῃ τῇ ἐξ Ἀλαμανῶν.

Ἐπεὶ φαιδρά, πανσέληνε, σελήνη σελασφόρε,
οὐκ ἐκ ῥοῶν Ὠκεανοῦ φαίνουσα λελουμένη,
ἀλλ' ἐκ πορφύρας τῆς κλεινῆς, ὡς ἔπεισιν εἰκάσαι,
ἀνασκιρτῶσα φεραυγὴς καὶ πλέον τοῦ φωσφόρου,
χρῄζεις ἐλαύνειν πόρρω ποι σαῖς ψυχικαῖς ἀκτῖσι

1) Vix magis dubitandum, quin Soranus ille Cous, qui bis laudatur in vita Hippocratis (Westermanni Biogr. p. 449 et p. 450), idem sit atque noster Soranus (cfr. Ermerins, Sor. de muliebr. aff. p. VI).

τὸ σκοτεινὸν τῶν λέξεων καὶ βίβλων τὴν ἑσπέραν,
οὐ κατὰ Κλεοπάτραν δὲ βασίλισσαν τὴν πάλαι
τῷ Ἐφεσίῳ ἰατρῷ τῷ Σωρανῷ χρωμένην
μετέρχῃ τὰ καλλύνοντα μορφὰς τὰς τῶν προσώπων,
οὔτε χερσοῦν τι πέλαγος βραχύτατον ἐθέλεις,
ὥσπερ ἐκείνη πρότερον ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ
τῷ Δεξιφάνει τῷ σοφῷ μηχανικῷ Κνιδίῳ
χερσώσασα τὴν θάλασσαν μέχρι τετρασταδίου,
ἐπεὶ τοιοῦτον οὐδαμῶς βούλεται σοῦ τὸ κράτος ......

Similia leguntur in Tzetzae Chiliadibus in lib. VI v. 279 (ed. Kiessling), ubi Rufus Ephesius medicus una cum Sorano laudatur:

Τῇ Κλεοπάτρᾳ τῇ σοφῇ τῇ καὶ ὡραιοτάτῃ
καὶ τοῖς λοιποῖς δὲ σύμπασι πολλῶν ὑπερφερούσῃ
πρὸς ἐπιμέλειαν τριχῶν καὶ τῶν ὀνύχων ἦσαν
Χαρμιουνὼ καὶ Τάειρα. τί δὲ δηλοῦσι τάδε;
Σύρον τὸν Τζέτζην βλέπε νῦν, Ἰσμαηλίτην ἅμα,
καὶ ταῦτα διαρθροῦντά σοι ταῖς γλώσσαις ταῖς ἐκείνων.
κατὰ Ἑβραίων γλῶσσάν τε καὶ τὴν τῶν Σύρων ἅμα
Χαρμὶ δηλοῖ τὴν ἄμπελον, Οὐνὼ περιστερὰν δέ,
τὴν ἥν φασιν οἱ Ἕλληνες περιστερὰν οἰνάδα.
κατὰ Ἰσμαηλίτας δέ, τοὺς Ἄγαρ γόνους λέγω,
περιστερὰν τὴν Τάειραν σημαίνουσάν μοι νόει.
αὗται πρὸς ἐπιμέλειαν τριχῶν καὶ τῶν ὀνύχων
τῆς Κλεοπάτρας τῆς σοφῆς ἦσαν τῆς βασιλίδος.
μηχανικοὶ καὶ ἰατροὶ καὶ γραμματεῖς δὲ ταύτης
καὶ ῥήτορες καὶ σύμβουλοι ἦσαν μυρίοι ἄλλοι,
καὶ Δεξιφάνης δὲ αὐτός, μηχανικὸς ἐκ Κνίδου,
μεθ᾽ οὗ πολλὰς λυσιτελεῖς τὰς μηχανὰς ἐποίει
καὶ θάλασσαν ἐχέρσωσε μέχρι τετρασταδίου,
αὐτὴν εἰς Ἀλεξάνδρειαν καὶ πύργον ἀνεγείρει,
φῶς ἐν νυκτὶ σωτήριον τοῖς πλέουσι δεικνύειν.
τῷ Δεξιφάνει τούτῳ μὲν εἰς μηχανὰς ἐχρῆτο,
τοῖς Ἐφεσίοις δ᾽ ἰατροῖς, τῷ Σωρανῷ καὶ Ῥούφῳ,

εἰς πάντα τὰ καλλύνοντα μορφὰς τὰς τῶν προσώπων,
εἰς πᾶν τε πάθος γυναικῶν καὶ ἰατρείας ἄλλας.

Quaenam earum Aegypti reginarum, quae Cleopatrae nomine innotuerunt, his duobus locis a Tzetza significetur, incertum esse non potest, quoniam eodem Tzetza auctore Charmiuno et Taeira fuerunt ancillae eius, quam laudat, Cleopatrae. Constat autem e Galeno aliisque fontibus[1]) eam Cleopatram, quae his utebatur ancillis, celeberrimam illam fuisse Aegypti reginam, quae post pugnam apud Actium commissam vipereo veneno sibi ipsa mortem conscivit. Hanc rem Galenus in commentatione *περὶ τῆς θηριακῆς* ad Pisonem data (Galen. ed. Kuehn XIV p. 235) ita enarrat: ... *ἐπεὶ γὰρ αὐτὴν* [scil. *Κλεοπάτραν*] *ὁ Αὔγουστος νικήσας τὸν Ἀντώνιον ζῶσαν λαβεῖν ἠβούλετο καὶ ζῆν καὶ διὰ σπουδῆς φυλάττειν, ὡς εἰκός, ἵνα δείξῃ Ῥωμαίοις ἐν τῷ θριάμβῳ τὴν οὕτω διάσημον γυναῖκα· ἡ δὲ συνεῖσα, φασί, τοῦτο καὶ ἑλομένη μᾶλλον ἔτι βασίλισσα οὖσα ἐξ ἀνθρώπων γενέσθαι ἤπερ ἰδιώτης Ῥωμαίοις φανῆναι, τότε ἐμηχανήσατο τῷ θηρίῳ τούτῳ τὸν θάνατον αὐτῆς. καὶ φασὶν αὐτὴν καλέσαι τὰς πιστοτάτας δύο γυναῖκας, αὗται δὲ ἦσαν αἱ πρὸς τὸ κάλλος αὐτῆς εἰς τὸν κόσμον τοῦ σώματος ὑπηρετεῖν ἡρμοσμέναι καὶ τοῖς ὀνόμασι λεγόμεναι Νάειρα καὶ Καρμιόνη* (scrib. *Χαρμιόνη*)[2]), *ἡ μὲν ἀναπλέκουσα τὰς τρίχας εὐπρεπῶς, ἡ δὲ ἀποτέμνουσα τὰς ὑπεροχὰς τῶν ὀνύχων εὐφυῶς· εἶτα κελεύσασα σταφυλαῖς τε καὶ σύκοις κεκρυμμένον εἰσκομισθῆναι τὸ θηρίον* ......

Quoniam igitur statuimus Tzetzam cogitasse de Cleopatra imperatoris Augusti aequali, duos Tzetzae errores eosque gravissimos agnoscamus necesse est. Primum enim

---

[1]) Cfr. Stephan. Thesaur. VIII p. 1349.

[2]) Tzetzes ea, quae de Cleopatra Aegypti regina eiusque ancillis profert, e Galeno videtur deprompsisse. Nomina autem ancillarum aut aliter atque in eis quibus nos utimur Galeni editionibus tradita fuisse in eo quo Tzetzes utebatur codice Galeni aut dedita opera a Tzetza eam ob rem paulum esse mutatas, ut etymologiam nominum illorum e lingua hebraica et syria afferre posset, nemo est quin prima intellegat specie.

Tzetzes narrat Cleopatra regnante in Pharo insula turrim illam a Dexiphane constructam esse, ex qua noctu ad regendos navium cursus ignes emicabant, deinde eandem reginam Sorano et Rufo, medicis Ephesiis, usam esse (Chil. VI 296—302).

Constat autem et turrim illam in Pharo insula non Cleopatra illa regnante, sed Ptolemaeo Lagi filio rege circa annum a. Chr. n. 290 a Sostrato, Dexiphanis Cnidii filio, ut ipsa turris inscriptio testabatur, esse aedificatam, et Soranum atque Rufum, Sorani fere aequalem, Traiani et Hadriani aetate floruisse.

Quorum errorum originem ut explicem, primo loco demonstrare conabor, quonam modo fieri potuisse suspicer, ut Cleopatrae aetate et iussu turrim illam a Dexiphane erectam esse opinaretur Tzetzes. Quod priusquam accuratius perquiramus, de tempore, quo singula Tzetzae scripta confecta sunt, pauca exponam necesse est.

Gustavus Hart in commentatione, quae inscribitur: De Tzetzarum nomine vitis scriptis (Lipsiae 1880) p. 40 sqq. ostendit:

1. Ioannis Tzetzae Chiliades nihil aliud esse quam scholia metro inclusa ad Epistolas illas eiusdem scriptoris [quas publici iuris fecit Presselius];

2. Chiliadum corpus in tres secedere pinaces, quorum primus versus continet inde a Chil. I—IV 466, alter pinax versus inde a Chil. IV 781 — V 201, tertius denique inde a Chil. V 202 usque ad finem Chiliadum. Versus autem qui leguntur inter primum et alterum pinacem, Chil. IV 467—780, nihil prorsus commune habere cum Chiliadum corpore, immo primam efficere epistolam Tzetzianam et suo loco esse motos, cum ceterae epistolae prosa oratione scriptae — sunt autem 106 — in unum volumen a Tzetza coactae essent;

3. primum Chiliadum pinacem inter annos 1144 et 1147 confectum esse;

4. Allegorias Iliadis compositas esse anno 1147;

5. alterum et tertium Chiliadum pinacem perfectos esse post annum 1158.

Quoniam primus Chiliadum pinax inter annos 1144 et 1147 conscriptus est, sequitur ut versus Chil. IV 467—780, quibus primam effici Tzetzae epistolam dixi, ante annum 1144 conditos esse concedamus.

Qua in epistola haec exstant verba (Chil. IV 472 sq. 502 sq.):

Ζαβαρειῷ τῷ Λαχανᾷ· τούτοις καὶ γὰρ ἁβρύνει
ἥπερ ὁ Κροῖσος θησαυροῖς καὶ Μίδας τῷ χρυσίῳ
. . . .
ἥπερ ἡ Κλεοπάτρα δὲ χερσώσασα τὴν Φᾶρον
τῷ Δεξιφάνει τῷ σοφῷ Κνιδόθεν ὡρμημένῳ ....

Ad hunc errorem explicandum sufficiet scholia huic epistolae adiecta evolvere. Habes enim Chil. II 16 haec:

ἡ Πτολεμαίου σύναιμος, δέσποινα Κλεοπάτρα
ἡ Αἰγυπτία, ἡ σοφὴ καὶ πανευμορφοτάτη,
ἡ πιθανὴ καὶ εὔγλωττος, ἡ ῥέουσα Σειρῆνας,
ἡ κάλλει πάντας θέλγουσα καὶ φύσιν τῶν θηρίων,
τὸν Γάϊον Ἰούλιον τὸν Καίσαρα δὲ μᾶλλον
καὶ μετ᾽ αὐτὸν Ἀντώνιον γαμβρὸν Ὀκταουΐου
. . . .
αὕτη σὺν ἀρχιτέκτονι Κυπρίῳ Δεξιφάνει
τὴν θάλασσαν χερσώσασα τὴν τῆς Ἀλεξανδρείας
ὅσον πρὸς τετραστάδιον, εἴτε μικρόν τι πλέον,
τὸν πύργον ἐξειργάσατο τὸν μέγιστον τῆς Φάρου,
ὁλκάσι φῶς σωτήριον μᾶλλον ἐν ζάλῃ φαίνειν.
μέμνηται μὲν Βιργίλιος ταύτης τῆς Κλεοπάτρας,
Λουκιανὸς καὶ Γαληνὸς καὶ Πλούταρχος σὺν τούτοις,
Διόδωρος, Γεώργιος ὁ χρονικὸς σὺν ἄλλοις,
καὶ Ἰωάννης μετ᾽ αὐτοὺς Ἀντιοχεὺς ὑστέρως.

Ipse igitur Tzetzes fontes, quos secutus est, indicat. Nullos autem horum, quos laudat, fontium ansam praebuisse, ut Tzetzes in talem incideret errorem, nisi Ioannem Malalam civem Antiochensem (p. 218 sq. ed. L. Dindorf) et Georgium *τὸν χρονικόν*, id est Georgium Cedrenum (vol. I p. 304) — apud Ioannem Antiochenum ea pars, in qua

de Cleopatra agebat, intercidit — intellexerunt Gustavus Hart et Guilelmus Studemund.

Ex his apparet Tzetzam verum a falso non accurate distinxisse. Confudit enim Tzetzes non secus atque Ioannes Malalas eum, qui exstat apud Georgium Cedrenum, nuntium de aggere ab Alexandria urbe usque ad Pharum insulam ducto cum constructione turris illius, quae in Pharo insula Strabonis aliorumque testimonio a Ptolemaeo Lagi filio aedificata est.

In alterum errorem incidit Tzetzes, cum existimaret Cleopatram medicis usam esse Sorano et Rufo Ephesiis

εἰς πάντα τὰ καλλύνοντα μορφὰς τὰς τῶν προσώπων
εἰς πᾶν τε πάθος γυναικῶν καὶ ἰατρείας ἄλλας.

Atque notandum est in Allegoriis Iliadis, quas anno 1147 conscriptas esse supra commemoravimus, solius Sorani Tzetzam mentionem facere,[1] in tertio autem Chiliadum pinace post annum 1158 confecto et Soranum et Rufum ab eo laudari.

Iam supra vidimus, quae Tzetzes de Cleopatrae ancillis profert, e Galeni scripto *περὶ τῆς θηριακῆς* (XIV 235 Kuehn) eum deprompsisse, eundemque auctorem laudat testem in versibus, quos supra descripsi, Chil. II 31:

μέμνηται μὲν Βιργίλιος ταύτης τῆς Κλεοπάτρας,
Λουκιανὸς καὶ Γαληνὸς καὶ Πλούταρχος σὺν τούτοις,

unde colligendum est Tzetzam Galeni opera sub oculis habuisse eoque fonte saepius usum esse.

Viam autem explicandi, quonam modo Tzetzes adductus sit, ut Soranum et Rufum Cleopatrae medicos fuisse existimaret, indicavit mihi Guilelmus Studemund, cum me moneret in vol. XII operum Galeni (ed. Kuehn) intra pag. 414—432 nomina et Sorani et Rufi et Cleopatrae exstare. Tzetzes igitur, quoniam in vol. XII p. 414 sqq. magnum fragmentum Sorani nomine insignitum legitur (*περὶ τῶν ὑπὸ Σωρανοῦ*

[1]) Hermannus Usener in Musei Rhenani vol. XXVIII p. 412 sq. suspicatur Tzetzae ideo Soranum Cleopatrae aequalem visum esse, quia ἡ κομμωτικὴ Κλεοπάτρας τέχνη perperam Sorani nomine insignita circumlata sit.

γεγραμμένων πρὸς ἀλωπεκίας), ea quoque, quae exstant vol. XII p. 432 sqq. (*περὶ τῶν ἐν τῷ Κλεοπάτρας κοσμητικῷ γεγραμμένων*), ad eundem Soranum auctorem redire ratus fortasse ea conscripsit, quae initio Allegoriarum Iliadis (v. 8) exhibentur, ubi solus Soranus commemoratur.

Idem nonnullis annis post cum versus Chiliadum VI 279 sqq., quo loco et Soranus et Rufus laudantur, conscriberet, ea quae olim e Galeno excerpserat, denuo inspexit et ex hoc excerpto addidit Rufi nomen, quod eodem fere loco atque Cleopatrae et Sorani nomina apud Galenum excitatur (XII 425). Praeterea cum hoc excerpto aliud coniunxit, quod e Galeno XIV 235 de Cleopatrae ancillis sibi comparaverat.

Caput II.

Quibus e fontibus Sorani liber *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* restitui possit.

Illa *ἄλλα διάφορα*, quae notantur apud Hesychium, Sorani scripta indagavit et enumeravit Ermerinsius p. XXI. Inter quae liber excitatur *ἐτυμολογίαι τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου*, quem *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* inscribendum esse tertio ostendam capite. Huius libri cum auctor se praestet in arte grammatica non mediocriter versatum, haud difficulter quispiam prima quidem specie commoveatur, ut Sorano medico scriptum abiudicandum esse putet. At si consideraveris alios quoque homines doctos, veluti M. Terentium Varronem, Cornelium Celsum, Galenum[1]), compluria amplexos esse litterarum genera, non iam nimis

[1]) cf. O. Iahn in „Berichte über die Verhandlungen der Kgl. Sächs. Gesellschaft der Wissensch. 1850" p. 263 sqq. Artem medicam et grammaticam cognatione quadam artius inter se cohaerere visam esse medicis vel labente Byzantina aetate viventibus, cum alia docent permulta tum epistola saeculo fere XII ab anonymo quodam ad medicum data (Crameri Anecd. Oxon. III p. 188 ep. XXI): *Τῷ ἰατρῷ Λειψιώτῃ. Φιλοσοφώτατέ μοι καὶ γραμματικώτατε ἰατρῶν· καὶ τὴν ἰατρῶν τέχνην ἐκμελετήσας ὡς ἄριστα .... οἶδας γὰρ καὶ τὰ τοῦ Σωρανοῦ καὶ τὰ τοῦ*

offenderis, quod Soranum medicum hunc quoque librum grammatici argumenti conscripsisse censemus.

Accedit quod in ipso Sorani scripto *περὶ γυν. παθῶν* nonnullae reperiuntur vocabulorum originationes: p. 8, 8 *μήτρα ὑστέρα δελφύς*, p. 93, 8 *χόριον ἀγγεῖον δεύτερον ὕστερον πρόῤῥηγμα*, p. 251, 13 *μύλος*, quae originationes ad verbum fere conspirant cum eis, quas aliunde novimus, unde patet auctorem illius libri grammatici esse eundem Soranum Ephesium medicum, qui librum *περὶ γυν. παθῶν* conscripsit.

Inter eos fontes, qui fragmenta e libro Sorani *περὶ φύσεως ἀνθρώπου*, qui nunc vulgo *ἐτυμολογίαι τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου* inscribitur, desumpta asservaverunt, primo loco nominandum est Etymologicum Orionis Thebani, qui grammaticus medio fere saeculo p. Chr. n. quinto lexicon e variis scriptis antiquorum grammaticorum ita consarcinavit, ut intra uniuscuiusque litterae fines non respecto litterarum ordine quae ex uno eodemque fonte decerpserat frustula deinceps in etymologico proferret. Itaque disquisitio, quaenam frustulorum in Orionis lexico exstantium Sorano deberentur, facillime esset instituenda, nisi pluribus locis ordo, qui olim inerat in etymologico, foede turbatus esset, cuius perturbationis causas accuratissime indicavit Kleistius in commentatione, quae inscribitur: De Philoxeni grammatici Alexandrini studiis etymologicis p. 25 sqq.

Deinde laudanda sunt Etymologica Magnum, Gudianum, Zonarae, quae quoniam integrius servata sunt quam Orion, saepe ad corrigenda et augenda Soranea ab Orione exhibita inserviunt.

Nec pauca frustula, quae alibi frustra quaeras, insunt in scholiis ad Rufi Ephesii[1]) medici libellum *περὶ ὀνομασίας τῶν τοῦ σώματος μορίων* adiectis, quae tantum non omnia ad Soranum auctorem redire inde elucet, quod aut

---

Ἱπποκράτους, ἐπίστασαι Γαλήνειά τε καὶ Ἡροφίλεια καὶ τὰ τοῦ Ἡρωδιανοῦ καὶ τὰ τοῦ Τρύφωνος καὶ τὰ τοῦ Ἡροδότου καὶ τὰ τοῦ Ἥρωνος .... τὰ μὲν γὰρ οἶδας ὡς ἰατρός, τὰ δὲ ὡς γραμματικός, τὰ δὲ ὡς μηχανικός .....

[1]) Oeuvres de Rufus d' Éphèse ed. Daremberg-Ruelle (Paris. 1879) pag. 237—241.

Sorani nomine ipso aut additamento *οὕτως ὁ αὐτός* (i. e. *Σωρανός*) insignita leguntur.

In scholiis Io. Tzetzae ad exegesin in Iliadem[1]) p. 126, 9. 10 Soranus inter eos excitatur, qui studiis etymologicis in Homero instituendis operam collocaverint: *πολλοὶ τῆς Ὁμηρικῆς ἐτυμολογίας ἐπεμελήθησαν· Πλάτων καὶ Ἀριστο-[τέλης] οἱ φιλόσοφοι, Σωρανός, Ἡρωδι[ανός], Φιλόξενος, Ἀριστόξενος, Ἀπ[ίων], Τυραννίων, Ἀρίσταρχος, Ζηνόδοτος κ. τ. λ.* Et profecto non pauca exstant scholia praesertim ad Iliadem, quae quin Soranum auctorem redoleant, nullo modo dubitari potest, quamquam Sorani nomen nusquam in toto scholiorum corpore reperies. Conferas e. g.:

schol. Ven. A in Il. *Ε* 306: *κοτύλην] κοτύλη τὸ κοῖλον τοῦ ὀστέου, ἔνθα ἡ κεφαλὴ τοῦ μηροῦ ἐνστρέφεται.*

Melet. 126, 27: *κοτύλαι δέ, ὅπου ἔγκεινται αἱ κεφαλαὶ τῶν μηρῶν· διὰ δὲ τὴν ἐκεῖσε κοιλότητα κοτύλη ἐκλήθη.*

schol. in Od. *ε* 231: *περὶ δὲ ζώνην βάλετ' ἰξυῖ] ῥάχει ὅλῃ· ἰξὺς δὲ τὸ ἄνω, ὀσφὺς τὸ κάτω. ἰξὺς οἷον ἄξυστις οὖσα, ἣν οὐχ οἷόν τε ξύσαι καὶ κνήσασθαι τῇ χειρί, ἣν ἀλλαχοῦ* (Od. *κ* 161) *λέγει ἄκνηστιν· καὶ ἑρμηνεύων τὴν λέξιν φησί „κατ' ἄκνηστιν μέσα νῶτα". ῥάχις δὲ καλεῖται ἡ σύμπηξις τῶν τριάκοντα τεσσάρων σπονδύλων, ὧν οἱ πρῶτοι ἑπτὰ συμπληροῦσι τὸν τράχηλον, οἱ δὲ τελευταῖοι δεκαπέντε τὴν ὀσφύν, οἱ δὲ μέσοι δώδεκα ὄντες τὸν νῶτον, ὃν νῦν ἰξὺν ἐκάλεσεν ὁ ποιητής. B. E. Q.* cfr. Or. 75, 16 et Or. 17, 11.

Melet. 91, 28: *ῥάχις: .... ὁ δὲ Ὅμηρος ἰξὺν αὐτὴν καλεῖ· ἣν οὐχ οἷόν τε κνῆσαι ἢ ξύσαι εὐκόλως τῇ ἰδίᾳ χειρί, ἀλλ' ἑτέρων δεῖσθαι εἰς τοῦτο· φησὶ γὰρ „κατ' ἄκνηστιν μέσα νῶτα πλῆξε·"* (Od. *κ* 161) *τὸν τόπον ἑρμηνεύων τοῦτο εἴρηκεν.* cui fragmento addas Mel. 91, 12: *ἔστι δὲ ὅλος ὁ τράχηλος ὀστώδης, σπονδύλους ἀπὸ τοῦ ἰνίου ἔχων, ἀπὸ μυῶν καὶ νεύρων καὶ συνδέσμων περιεχομένους· κατὰ μὲν τὸν τράχηλον ἑπτά, κατὰ δὲ τὸν νῶτον δύο καὶ δέκα, κατὰ δὲ τὴν ὀσφὺν πέντε [δεκαπέντε?], ὡς εἶναι πάντας κδ' [λδ'?].*

[1]) post Draconis Stratonicensis librum de metris poeticis ed. G. Hermann, Lips. 1812.

Plura exempla integra afferre supersedeo; sufficiat ceterarum quae in scholiis latent reliquiarum Soranearum lemmata indicare: Od. α 1 ἀνήρ, γυνή cfr. Or. 16, 18 et Or. 39, 19 || Od. α 140 εἴδατα cfr. Or. 53, 19 et Od. δ 56 || Od. ι 301 φρένες cfr. Or. 101, 13 || Od. κ 161 cfr. Or. 17, 11 || Od. κ 517 πυγούσιον cfr. Or. 130, 19 || Od. ο 343 γαστήρ cfr. Or. 39, 11 et Or. 42, 9 (adn. 52) || Od. ρ 225 ἐπιγουνίδα cfr. Or. 56, 12 et Od. σ 74 ||

Ven. A. Il. Δ 526 χολάδες cfr. Or. 163, 29; = Ven. B ib. || Il. E 73 ἰνίον cfr. Or. 76, 3; = Ven. B ib. || Il. E 146 κληῖδα cfr. Mel. 91, 8 (in Orione evanuit) || Il. E 284 κενεῶνα; = Ven. B ib. || Il. E 306 ἰσχίον cfr. Or. 76, 14; = Ven. B ib. || Il. P 136 ἐπισκύνιον cfr. Et. M. 364, 4; = Ven. B ib.

Accedunt Soranea, quae delitescunt in scholiis ad Iliadem recentioribus (σχόλια νεώτερα) quae vocantur, hausta ad unum omnia ex Etymologicis: B 142 στήθεσσι cfr. Or. 145, 23 | B 471 γλάγος τὸ γάλα cfr. Or. 39, 17 | B 479 στέρνον cfr. Or. 145, 22 | Γ 292 στόμαχος cfr. Or. 145, 10 | Γ 359 λαπάρα Or. 79, 18 | Z 467 κόλπον cfr. Or. 80, 18 | K 26 βλέφαρον cfr. Or. 34, 15; Et. M. 199, 33.

Perpauca quae Soranum sapiunt in scholiis ad alios poetas adscriptis reperiuntur, veluti in scholiis Aeschyleis ad Prometheum v. 878: σφάκελος (collato schol. ad Eurip. Hippol. 1353 vol. I p. 196) cfr. Et. M. 737, 50. Praeterea in scholiis ad Aesch. Prometh. v. 881 de φρήν vocabulo adnotationis ultima verba ἐξ αὐτοῦ καὶ μετάφρενα τὰ τῆς ῥάχεως ὄπισθεν λέγονται cum Or. 101, 13 aliquid commune habent.

Iulii Pollucis denique Onomastico breviter laudato, cuius secundus liber nonnulla continet Soranea, iam me vertam ad gravissimum fontem, ad Meletii[1]) scriptum περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς (Crameri Anecd. Oxon. III pag. 1—157).

[1]) Scripsisse Meletium inter VII. et IX. saeculum Voigtius exponit (pag. 4 sqq.).

Caput III.

Sorani librum inscriptum fuisse περὶ φύσεως ἀνθρώπου.

At priusquam accuratius examinemus, quid Meletii libellus ad Sorani scriptum restituendum praestare possit, prooemium illius libelli hic adscribamus, ut dispiciatur, quibus fontibus usus sit Meletius et quid sibi proposuerit:

§ 1. Ἡ παροῦσα σύνοψις περὶ φύσεως ἀνθρώπου ἐπονήθη καὶ συνελέγη καὶ συν⟨ε⟩τέθη παρὰ Μελετίου μοναχοῦ θέματος τοῦ Ὀψικίου Βάνδου Ἀκροκοῦ, χωρίου Τιβεριουπόλεως, μονῆς λεγομένης Τρεῖς ἤτοι τῆς ἁγίας Τριάδος· οὐχ ὡς καινόν τι ἐπινοήσαντος περὶ φύσεως ἀνθρώπου φυσιολογῆσαι, ἀλλὰ σύντομον καὶ ἀνελλιπῆ πραγματείαν ἐκθέσθαι τοῖς φιλομαθέσι καὶ φιλοπόνοις βουλομένου. § 2. Εἰ γὰρ καὶ πολλοὶ τῶν ἀρχαίων σοφῶν πολλοὺς κατὰ ἀποταγὴν ἢ ἐν συντόμῳ περὶ τῆς φύσεως ἡμῶν λόγους συνέθεντο, ἀλλ' οὐδεὶς ἀνελλιπῆ καὶ ἀνυστέρητον ταύτην ἀπήρτησεν. § 3. Ὁ μὲν γὰρ Ἱπποκράτης περὶ φύσεως παιδίου καὶ ἀνδρὸς γράψας ὀλίγα τινὰ καὶ δυσδιάγνωστα, οὐδὲν περὶ τοῦ καθόλου ἀνθρώπου ἐμνημόνευσεν ἢ τῶν ἐν αὐτῷ δυνάμεων ἢ ἐνεργειῶν ἢ τῶν τοῦ σώματος μορίων. § 4. Ὁ δὲ[1]) Γαληνὸς περὶ φύσεως μορίων μνησθεὶς καὶ περὶ κράσεων, ἐν οὐδεμιᾷ τῶν πραγματειῶν αὐτοῦ φαίνεται τοιαύτην ὁλοκλήρως ὑπόθεσιν ἀναγράψας. § 5. Σωκράτης δὲ ἐτυμολογίας μᾶλλον μορίων καὶ[2]) ὀνομάτων ἐν τῷ περὶ φύσεως ἀνθρώπου συντάγματι αὐτοῦ ὡς γραμματικὸς ἢ φιλόσοφος συνετάξατο. § 6. Οἱ δὲ ἅγιοι καὶ τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλοι, οἷον ὁ μέγας Βασίλειος, ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Γρηγόριος Νύσσης, ὁ χρυσολόγος Χρυσόστομος, καὶ ὁ παμμακάριστος Κύριλλος, καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν κατ' αὐτοὺς ἐν τοῖς λόγοις αὐτῶν τοῖς διδασκαλικοῖς σὺν τῷ θεολογικῷ φυσιολογήσαντες πολλὰ περὶ τῶν τοῦ σώματος ἡμῶν μορίων καὶ τῶν ψυχικῶν καὶ ζωτικῶν καὶ φυσικῶν δυνάμεων καὶ ἐνεργειῶν συνεφιλοσόφησαν· οὐδεὶς μέντοι γε τῶν

[1]) δὲ correxit Studemundus, codd. γάρ.

[2]) deleto καί facilius intellegi verba Meletii monet Leopoldus Cohn.

προειρημένων ἀνδρῶν ἢ τῶν ἁγίων τούτων συναγαγὼν φαίνεται τὴν ὅλην ὑπόθεσιν τοῦ μὴ τὴν πραγματείαν ἀποτελέσαι. § 7. *Τὰ οὖν διεσπαρμένως*[1]) *ἐν ταῖς τούτων βίβλοις ἐγκείμενα αὐτὸς ἐκλαβὼν τὸ παρὸν ὡς ἓν ὂν*[2]) *συνεστησάμην δὴ σύγγραμμα, τοῖς μὲν ὡς εἰκὸς ἔχειν αὐτὸ βουλομένοις ὑπόμνημα τῆς φύσεως καὶ τῆς συστάσεως τοῦ σώματος παντὸς ἐσόμενον, ἐμοὶ δὲ γυμνάσιον καὶ τῆς ἀμαθίας προφύγιον* .... Sub finem pag. 2 Meletius his verbis pergit: *ἐπειδὰν δὲ οὕτως ἡ ὑπόθεσις ἀναπληρωθῇ καὶ οἷον συνυφανθῇ, ὥσπερ ἐπανάληψιν ποιούμενος ὁ λόγος τὰ ὅλα πάλιν μόρια διῃρημένως ὑπεξέρχεται, ἐτυμολογῶν ἕκαστον καὶ τὴν φυσικὴν ⟨δύναμιν⟩*[3]) *καὶ ἐνέργειαν καὶ τὰς ὀνομασίας καὶ τοὺς ὅρους ὑποδεικνύων ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν, οὐ ταυτολογῶν, ὡς ἂν οἰηθείη τις, ἀλλὰ τὰ ἐν ἐπιτομῇ εἰρημένα καὶ συνεσταλμένως πλατυκώτερον ἐκδιδάσκων καὶ πρὸς τὸ σαφέστερον διευκρινῶν τοῖς ἀκούουσι· διὰ ταῦτα καὶ πίναξ ὑποτίθεται εἰς διάγνωσιν εὐχερῆ*...... pag. 6, 2: *ὅθεν* (i. e. propter causas in antecedente pagina a Meletio expositas) *καὶ ἡμεῖς τὸν περὶ ψυχῆς ἰδίᾳ λόγον ἀπολιπόντες τὰ περὶ τῆς καθόλου φύσεως ἀνθρώπου πονηθέντα παρὰ τῶν ἀρχαίων καὶ σποράδην κείμενα ἐν ἀνατομικαῖς καὶ ἐτυμολογικαῖς βίβλοις κατὰ τὸ ἡμῖν ἐφικτὸν ἐκλεξάμενοι εἰς ἓν κατατάξωμεν.*

Auctores igitur, quibus usus est, nominat Meletius hos: ex antiquis Hippocratem, Galenum, Socratem; ex recentioribus ac sanctis Basilium, Gregorium Nyssenum Basilii fratrem, Chrysostomum, Cyrillum. Attamen qui semel inspexerit scriptum Meletianum, statim intelleget Meletium in libro consarcinando non constanter virorum secundo loco laudatorum vestigia pressisse, sed tantum nonnullos locos ex horum scriptis ad verbum mutuatum esse et nomine eorum distincte insignitos libello suo interspersisse.

Ac ne ea quidem multa sunt, quae Meletius ex ipsis Hippocratis et Galeni, quos laudat, scriptis ita deprompsit,

---

[1]) *διεσπαρμένα ὡς* codd., correxit Studemundus.
[2]) codd. *ἐνὸν*, Studemundus correxit *ἓν ὄν*.
[3]) *δύναμιν* addidit Leopoldus Cohn.

ut distincte dici possit, quosnam locos horum medicorum significaverit (cfr. Voigt. adn. 34), eaque tam arte cum eis, quae Meletius de suo addidit, mixta et pertexta sunt, ut non facile secerni possint.

Quibus locis, cum ad quaestionem a nobis institutam nullius sint momenti, sepositis hoc unum agamus, ut quae in Meletii libello exstant Soranea investigemus; apparebit autem in Meletio magnam partem libri illius, quem Soranus de etymologiis corporis humani scripsisse traditur, integram asservatam esse [1]).

Ut iam aperiam, quo verba mea spectent, in Meletii praefationis § 5 contendo pro verbis *Σωκράτης δὲ* scribendum esse: *Σωρανὸς δέ.* Quod quibus causis nisus postulem priusquam demonstrem, paucis ea refutanda sunt, quibus Voigtius ut in diversam abiret sententiam commotus est. Cuius verba sunt haec (pag. 8):

'In etymologicis igitur ⟨Meletius⟩ auctorem adfert Socratem, de natura hominis. cui omnes etymologias corporis humani vindicabimus paucis exceptis quae a Galeno mutuari Meletius poterat. Socratis autem librum illum prorsus congruere cum Sorani de etymologiis corporis humani opusculo facile intelleget, si quis illas etymologicas apud Meletium particulas comparaverit cum glossis Orionis aliisque quae iure licet Sorano tribuere. monachus [scil. Meletius] igitur non ipso medici Ephesii libro videtur usus esse, sed Socratis cuiusdam excerpto illius operis. nam in singulis non integrum eum nobis tradidisse Sorani librum postea demonstraturus sum.' Adnotat Voigtius: 'Id si effectum erit, non opus est fingamus, quod quis possit suspicari, sicut Nemesii liber Gregorii Nysseni nomine ornatus esset, Sorani opus sub Socratis nomine esse latum.'

1. Ut igitur efficiat Meletium non Sorani ipsius libro usum esse, primum Voigtius viginti quinque enumerat glossas, quas quamquam ad Soranum auctorem redire aliis et

---

[1]) cfr. Hermanni Dielsii sententiarum controversarum quintam in commentationis de Galeni Historia Philosopha Bonnae a. 1870 inscriptae pagina 52.

certis testimoniis constat, apud Meletium frustra quaeras. At neque quisquam exspectabit neque Meletius usquam pollicetur quas apud Soranum partium corporis humani originationes repperérit ad unam omnes se decerpturum et libro suo inserturum esse. Quid mirum quod Meletius de plus quam ducentis sexaginta fragmentis Soraneis etymologici argumenti, quae ego infra congessi, fragmenta viginti quinque i. e. ne decimam quidem partem omisit?

Ceterum non pauca sunt fragmenta Soranea etymologici argumenti, quae cum in nullo lexico servata sint, apud unum Meletium exstant; sunt autem haec: *μόρια, μύες, ἴλη, μάγουλα, παρειά, οἰσοφάγος, πάτος, κῶλον, σφιγκτήρ, ἦτρον, ἐφήβαιον, βάλανος, ἐρυτρός.*

2. Deinde a Voigtio enumerantur nonnullae glossae, in quibus aut aliqua pars originationis Soraneae omissa est a Meletio aut in brevius contracta, veluti: *αἰδοῖα* Mel. 112, 13, Et. M. 30, 57; *γέλως* Mel. 44, 27, Et. M. 224, 29; *κορυφή* Mel. 54, 4, Or. 82; *ὄψις* Mel. 69, 13, Et. M. 645, 52; *πέλμα* Mel. 131, 1, Or. 129; *ὦμος* Mel. 92, 5, Or. 170; *ὦτα* Mel. 74, 28, Or. 170; *βλέφαρον* Mel. 69, 16, Or. 34, Et. M. 199, 33, Et. Gud. 109; *ἀνθερεών* Mel. 84, 17, Or. 16; *λογάδες* Mel. 69, 4, Et. M. 572, 36; *παλαιστή* Mel. 122, 5, Or. 129, Et. M. 647, 23.

At profecto licebat Meletio eas tantum vocabulorum originationes originationumve partes proferre, quae ipsi probarentur, et hanc illamve glossam decurtare, etiamsi ex ipso Sorani libro hauriret.

3. Non iniuria Voigtius Meletium vituperat, quod aliquot particulis etymologicis ex Sorani doctrina oriundis, quae apud Soranum grammaticorum nominibus (Heraclidis[1]), Apollodori, Philoxeni, aliorum, ex quorum scriptis Soranus ipse aliquot etymologias hauserat) insignitae erant, nomina auctorum non appinxit. Sane cum festinanti calamo scriberet et brevitatis studio duceretur, poterat illa nomina omittere

[1]) De Heraclide Pontico etymologiarum scriptore cf. Leopoldum Cohn in Commentationibus philologis in honorem Aug. Reifferscheidii scriptis a. 1884 Vratislaviae p. 84 sqq.

Meletius, sive Sorani ipsius scriptum sub oculis habebat sive e Socrate quodam tamquam e fonte secundario vocabulorum originationes repetebat.

4. Hoc denique Meletio crimini datur a Voigtio, quod 'contracturus fontem suum confuderit diversas originationes, conglutinaverit quae discrepant, quae congruunt disiunxerit.' At Sorani librum, cum Meletii, qui sescentis fere annis post Soranum fuisse videtur, in manus incideret, quis spondeat integrum fuisse neque eodem modo decurtatum, mutilatum, vitiis obsitum, quo ceteros antiquiorum scriptorum libros? Nec multum prodest Socratem nescio quem supponere inter Sorani et Meletii tempora scribentem, qui illa omnia peccavisse videtur Voigtio. An meliore indole praeditum ac magis religiosa cura usum esse Meletium septimo post Christum natum saeculo censes quam Socratem, quem aliquot ante Meletium saeculis fuisse fingas necesse sit?

Ex his quae diximus apparet Voigtium parum caute iudicasse, cum censeret fieri non posse, ut statueremus Meletium ex Sorani ipsius libro, quas profert, particulas etymologicas deprompsisse, si effectum esset in singulis non integrum nobis tradidisse monachum Sorani scriptum.

Quibus Voigtii argumentis refutatis ostendere conabor Meletium ex ipsius Sorani libro hausisse. Quod quo certius comprobetur, denuo inspicias prooemii Meletiani paragraphos 3—6, quas supra (pag. 17 sq.) descripsi. Vides igitur, in quorum virorum societate Socrates ille laudetur. Nonne Meletii verbis docemur 'Socratem' illum, cuius nec patris nec patriae nomen additur, fuisse illa aetate omnibus notissimum, quippe cuius nomen nullo prorsus adiecto additamento nominibus virorum non minus tum quam hodie celeberrimorum, Hippocratis, Galeni, Basilii, Gregorii Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli circumdatum legatur? Atqui de Socrate illo, qui testibus Meletii codicibus *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* scripsit, nihil omnino constat[1]).

[1]) Vnus in litterarum graecarum historia occurrit Socrates medicus (apud Nicolaum Myrepsum saeculi XIII medicum; v. Fabricii Bibl. gr. II 689 ed. Harles) et unus Socrates chirurgus (apud Caelium Aurelianum morb. chron. III 8, 151), de quibus praeter nomen nihil constat.

Accedit alterum. Constat enim Orionem Thebanum, qui medio fere p. Chr. n. saeculo quinto id est altero fere vel tertio ante Meletium saeculo ex compluribus grammaticis Etymologicum consarcinavit, Sorani ipsius libro usum esse. Nec vero scimus, quando Sorani ille liber etymologici argumenti perierit. Sane per totum medium quod dicitur aevum quam clara fuerit Sorani doctrina libris manu scriptis propagata, satis constat; cfr. e. g. epistolam monachi illius ad Leipsioten undecimo p. Chr. n. saeculo scriptam, quam supra pag. 13 sq. laudavimus. Nec vero 'Socrates' ille ab eis, qui originationes partium corporis humani proferunt, usquam laudatur: id est nec in Etymologico Magno nec in Gudiano nec a Zonara nec ab Hesychio nec a Polluce nec a Rufi scholiasta nec ab aliis.

Itaque confidenter conicio in § 5 Meletium scripsisse *Σωρανὸς*, non *Σωκράτης*, quam lectionem in codice Barocciano 131 (A) saeculo XIV ineunte scripto, ex quo Cramerus Meletii praefationem[1]) edidit, ita ortam esse suspicor, ut indoctus librarius scripturae compendium *Σωρανὸς* nominis perperam solveret, cum praesertim in § 3 praecederet *Ἱπποκράτης*, quod nomen isdem terminatur litteris quibus *Σωκράτης*[2]). Accedit quod Socratis nomen cum Cra-

[1]) Prooemium libri Meletiani in solis codicibus A et W (Vindobonensi) servatum est.

[2]) De compendio nominis *Σωρανὸς* et similium cfr. Greg. Corinthium ed. Schaefer p. 242 (in adn.). — Similiter in Etymologicis saepissime pro *Φιλόξενος* nomine multa alia reperiuntur nomina, quae omnia per librariorum neglegentiam vel inscitiam in lexica illata sunt, veluti: Et. Gud. 344, 4 *Φιλόδωρος*. Et. Gud. 334, 44: *κολῳόν, παρὰ τὸ κολοιός, ὁ δὲ Φιλόπονος, παρὰ τὸ κλῶ, κλάζω, ἀπὸ τοῦ κλῶ κατὰ παράγωγήν.* Quid quod Et. Gud. 330, 12 *Φίλον* quendam profert auctorem libelli Philoxenei *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων* s. v. *κναφεύς* : *οὕτως Φίλος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*? In Etymologico Orionis bis laudatur *Φίλων* quidam *ἐν τῷ περὶ Ἑλληνισμοῦ* (Or. 21, 25 [Et. G. 27, 51] et Koesii Excerpta e cod. Reg. Paris. 2630 apud Or. 185, 18), semel *Φιλονίδης ἐν τῷ περὶ Ἑλληνισμοῦ*, quorum nominum neutrum suo loco positum est et tribus his locis in *Φιλόξενος* mutandum. Or. 21, 25 enim *ἀκόλαστος* vocabuli originationem Philoxeni esse cum aliunde tum inde apparet, quod circumdata legitur multis frustulis Philoxeneis; quod si

tetis, Isocratis, Sosicratis, Sostrati nominibus identidem a librariis confusum esse constat.

Unum quod mihi obici possit hoc est: cum Meletius omnium, quorum vestigia secutus est, auctorum nomina ita digerere videatur, ut accurate observet cuiusque aetatis ordinem uno Socrate hoc, quem contendo esse Soranum, excepto [1]), propter id ipsum Sorani nomen hoc loco substitui non posse pro Socratis nomine; certe Meletium, si Soranum auctorem laudare voluisset, ante Galenum eum nominaturum fuisse.

Quam ad obiectionem refutandam sufficiet monere per totum medium aevum aeque atque nostra aetate Hippocratem et Galenum prae ceteris medicis omnibus summa fructos esse auctoritate, utpote qui tamquam *κατ' ἐξοχήν* medici haberentur, ita ut nomina eorum quasi columinum artis medicae plerumque coniuncta legantur. Accedit quod scriptorum quae laudantur Hippocratis et Galeni *περὶ φύσεως παιδίου καὶ ἀνδρός*, *περὶ φύσεως μορίων*, *περὶ κράσεων* idem fere est argumentum, nulla fere addita vocabuli originatione, cum Soranus teste Meletio *ἐτυμολογίας μᾶλλον*

comprobatum est, etiam locus ille apud Or. 185, 18 Philoxeno tribuendus est, nam de eodem *ἀκόλαστος* vocabulo verba facit auctor. Idem dicendum est de Or. 90, 8: *κρούειν . . . οὕτω Φιλονίδης ἐν τῷ περὶ Ἑλληνισμοῦ*. Accedit quod ipsum Etymologicum Gudianum, in quo alias nomina Philoxenus, Philon etc. plerumque confunduntur, sub voce *κρούω* distincte exhibet Philoxeni nomen: Et. Gud. 349, 42 *κρούω· ἔστι ῥῆμα κρῶ, παράγωγον κρόω καὶ πλεονασμῷ τοῦ υ κρούω . . . . οὕτω Φιλόξενος*. In Zonarae lexico duodecim insunt glossae Philonis nomine insignitae, quas ad unam omnes ad Philoxenum auctorem redire demonstrari potest. Eodem denique modo pro *Φιλόξενος περὶ ῥηματικῶν ὀνομάτων* tradita sunt cum alia tum *Φίλων εἰς τὸ ῥηματικόν*, etc. Vides igitur, quam facile confundi possint *Σωκράτης* et *Σωρανὸς* nomina, cum pro *Φιλόξενος* nomine exstent variae lectiones hae: *Φίλος*, *Φίλων*, *Φιλονίδης*, *Φιλόδωρος*, *Φιλόπονος*.

[1]) Hippocrates 460—377 a. Chr.
Galenus c. 130— post. a. 200 p. Chr.
Soranus (imperantibus Traiano et Hadriano 98—138 p. Chr.)
Basilius c. 329—379.
Gregorius Nyssenus c. 331— c. 394.
Chrysostomus c. 347—407.
Cyrillus c. 370—444.

μορίων [*καὶ*] *ὀνομάτων* protulerit. Atque hac potissimum ratione ductum Hippocratis et Galeni scripta coniunctim laudata Sorani libro opponere voluisse Meletium opinor.

Nec nimis verisimile est iam saeculo tertio Sorani librum ne decima quidem parte omnium quae inerant etymologiarum omissa ad verbum fere exscriptum esse ab excerptore idque excerptum tantopere inclaruisse, ut etiam septimo p. Chr. n. saeculo exstaret; verum Sorani ipsius librum, quem ipsum medio saeculo quinto ab Orione grammatico usurpatum esse inter omnes constat, saeculo septimo deperditum fuisse.

Quod autem Sorani nomen in ipso contextu operis Meletiani alibi nusquam laudatur, id ideo factum esse videtur, quia, si occasione data semel laudaretur, tum in una quaque pagina quater quinquiesve repeteretur necesse fuit, ne suspicio legentibus oreretur ceteras originationes, quibus nomen Sorani non adscriptum legeretur, non redire ad Soranum auctorem. Atque omnino Sorani nomen in ipso scripto laudare Meletius ea de causa supersedere poterat, quod in praefatione omnes auctores, quorum scripta in usum suum convertit, nuncupaverat. Ubi quoniam exposuit Soranum scripsisse librum, in quo inessent partium humani corporis originationes, et paulo infra (pag. 2, lin. 5 et pag. 3, lin. 1 ed. Cramer) haec verba addidit: *τὰ οὖν διεσπαρμένως ἐν ταῖς τούτων βίβλοις ἐγκείμενα αὐτὸς ἐκλαβὼν τὸ παρὸν ὡς ἓν ὂν συνεστησάμην δὴ σύγγραμμα .... ἐτυμολογῶν ἕκαστον κατὰ τὴν φυσικὴν* ⟨*δύναμιν*⟩ *καὶ ἐνέργειαν καὶ τὰς ὀνομασίας καὶ τοὺς ὅρους ὑποδεικνύων ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν*, nonne quivis facile coniciet etymologias, quas affert Meletius, ex illo Sorani libro esse depromptas?

Verum aut egregie fallor, aut ut aliter atque ego iudicaret, Voigtius maxime titulo, sub quo Sorani liber in Meletii prooemio notatur, adductus est, quoniam Orionis Thebani Etymologico nisus Sorani librum inscribere malebat: *ἐτυμολογίαι τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου.* Nimirum si in

Meletii prooemio haec verba exstarent: *Σωκράτης δὲ ..... ἐν ταῖς ἐτυμολογίαις τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου αὐτοῦ ὡς γραμματικὸς ἢ φιλόσοφος συνετάξατο*, tum certe ne Voigtius quidem dubitasset *Σωκράτης* nomen in *Σωρανὸς* mutare.

Voigtius igitur Orionis Etymologici testimonio (34, 9) fretus Sorani librum inscriptum vult: *ἐτυμολογίαι τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου*. At cum tribus omnino locis in hoc Etymologico liber ille Sorani laudetur, tribus titulis inter se diversis excitatur:

1. Or. 34, 9 *οὕτω Σωρανὸς ἐν ταῖς ἐτυμολογίαις τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου.*

2. Or. 131, 4 *οὕτω Σωρανὸς ἐν τῷ περὶ ἐτυμολογιῶν τοῦ ἀνθρώπου.*

3. Or. 159, 17 *οὕτω λέγει Σωρανὸς ἐτυμολογῶν τὸν ἄνθρωπον ὅλον.*

Itaque ne is quidem, qui primo loco positus est, titulus nimia fide dignus videtur esse. Cfr. etiam quae p. 27 de titulo *Σωρανὸς ἐν τῷ περὶ ὀνομασιῶν μονοβίβλῳ* apud Rufi scholiastam commemorato dixi.

Equidem conicio Soranum ipsum librum suum inscripsisse *περὶ φύσεως ἀνθρώπου*, quem titulum Meletius recte tradit in praefatione. Ex quo cum Orion illas sumeret vocabulorum originationes, quae ad corpus humanum spectant, veritus ne cum natura et indole Etymologici, in quo nihil nisi etymologiae exstabant, parum congrueret titulus libri alicuius disciplinam mere medicam profitentis, pro ipso Soranei libri titulo (*περὶ φύσεως ἀνθρώπου*) significavit eam quae ipsi gravissima videbatur libri partem ita, ut frustulis e Sorano desumptis modo haec adderet: *οὕτω λέγει Σωρανὸς ἐτυμολογῶν τὸν ἄνθρωπον ὅλον* (Or. 159, 17), modo haec: *ἐν τῷ περὶ ἐτυμολογιῶν τοῦ ἀνθρώπου*, modo haec: *ἐν ταῖς ἐτυμολογίαις τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου.* Atque vide mihi quam apte Orion id expresserit, quod Sorani liber prae ceterorum potissimum scriptorum de medicina libris proprium habebat. Sane simillimis verbis Meletius proprietatem huius libri indicat (Mel. 1, 21): *Σωρανὸς δὲ ἐτυμολογίας μᾶλλον μορίων*

[καὶ] ὀνομάτων ἐν τῷ περὶ φύσεως ἀνθρώπου συντάγματι αὐτοῦ ὡς γραμματικὸς ἢ φιλόσοφος συνετάξατο [1]).

Accedit aliud. Quicumque enim legerit titulum, qui ab Orione 34, 9 libro Soraneo tribuitur, ἐτυμολογίαι τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου, eius in mentem veniat necesse est, in hoc tractatu non nisi nudas enumeratas fuisse vocabulorum originationes, quales fere in Orionis Etymologico secundum ordinem litterarum digestae leguntur. Verum uberiorem fuisse Sorani librum atque has quae supersunt etymologias materiae medicae intextas fuisse recte monuit Voigtius, cum haec diceret (p. 35): 'Soranum, priusquam ad singula corporis membra describenda transiret, dixisse de generatione hominis ac de animae aliarumque interiorum corporis virium atque humorum functionibus'; cuius rei gravissima apud Meletium exstant testimonia, cum primae opusculi parti inseruerit etymologias vocum: ἄνθρωπος (Mel. 7, 2) ἔμβρυον (Mel. 7, 27) μήτρα (Mel. 8, 2) νηδύς, δελφύς, ὑστέρα (Mel. 8, 3—18) ἀδελφός (Mel. 8, 13) ὀμφαλός (Mel. 8, 20) χόριον (Mel. 8, 23) γάλα (Mel. 9, 15) μαστοί (Mel. 9, 19) μήτηρ (Mel. 9, 24) μαῖα (Mel. 10, 4) βρέφος (Mel. 10, 6) πολιοῦσθαι (senescere, canescere) (Mel. 17, 13) νοῦς (Mel. 21, 27) θυμός (Mel. 25, 21) σκελετός (Mel. 32, 8) ὑμήν (Mel. 32, 27) χυλός et χυμός (Mel.

---

[1]) Fortasse quispiam in eam inciderit cogitationem, Orionem in Etymologico suo consarcinando non integro ipsius Sorani libro περὶ φύσεως ἀνθρώπου usum esse, sed excerpto aliquo, quo solae partium corporis humani originationes comprehensae fuerint. At hoc vel ideo veri dissimile est, quod Orion multis locis non nudas exhibet vocabulorum originationes, verum etiam definitiones et appellationes diligenter expositas: veluti Or. 129, 25 παλαιστή; Or. 163, 3 χυλός et χυμός; Or. 144, 15 σῦφαρ; Or. 144, 3 σίαλος, quod fragmentum integrum quale traditum est hic perscribam, unde intellegas de excerpto quodam Soranei libelli omnino cogitari non posse: Σίαλος: τὸ λεπτὸν καὶ οἷον ὁ ὀρὸς τῶν ἄλλων ὑγρῶν, οἷον ἀποσειόμενον ἄλις καὶ ἀθροῦν. διαφέρει δὲ σίαλος καὶ πτύελον· καὶ πτύελος μὲν ὁ ἀποπτυόμενος κατὰ προαίρεσιν κατὰ τὴν τῶν χειλῶν ἐπίπτυξιν· ὁ δὲ σίαλος αὐτομάτως ῥεῖ. διὸ καὶ σιαλίζει τὰ βρέφη καὶ ὑπεργηράσαντες, οὓς καὶ ἀναισθήτους λέγομεν· πιθανὸν δὲ κἀκ τοῦ παρακολουθοῦντος ἐν τῷ πτύειν ψόφου ταύτης τυχεῖν τῆς ὀνομασίας. λέγεται δὲ σίαλος καὶ ὁ εὖ τραφεὶς σῦς παρὰ τὸ ἀφρὸν προΐεσθαι, ὃν λέγομεν σίαλον.

36, 15) *αἷμα* (Mel. 37, 5) *σκύβαλον, οὖρον, περίττωμα* (Mel. 38, 10) *ὕπνος* (Mel. 41, 25) *λύπη* (Mel. 43, 12) (cfr. *χαρά* Mel. 44, 15) *δάκρυον* (Mel. 43, 15) *γέλως* (Mel. 44, 27).

Quae cum ita sint, titulum *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* aptius cum indole et natura libri Soranei congruere arbitror· quam titulum *ἐτυμολογίαι τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου*.

Ceterum iam Ermerinsius (Sorani Ephesii liber de muliebribus affectionibus, pag. X sq.) suspicatus est hanc inscriptionem *ἐτυμολογίαι τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου* aeque atque illam quae invenitur in scholiis ad Rufi librum *ὀνομασίαι τῶν μορίων τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου* non ipsum esse titulum, verum ea inscriptione solam materiam significari. Verba Ermerinsii haec sunt: 'Eiusdem [scil. Sorani] autem opus olim circumferebatur, cuius reliquiae occurrunt in ms. Vaticano et in Etymologicis, cett. — Darembergius nuper locos eo spectantes collegit, unde tres desumam, ut de titulo vel saltem de materie libri constet. E cod. suo Vat. Darembergius dedit haec: ad vocem *ἴουλοι* adscriptum vidit: *Ὁ δὲ Σωρανὸς ἐν τῷ περὶ ὀνομασιῶν μονοβίβλῳ ἀπὸ ἰούλου τοῦ πολλὰ καὶ πυκνὰ* (*πολλοὺς καὶ πυκνοὺς* lege) *ἔχοντος πόδας ζῴου ὀνομάζεσθαι αὐτούς φησιν*. — Idem ex Etym. Orionis excerpsit: *Βρέγμα κυρίως ἐπὶ τῶν νηπίων παρὰ τὸ ὑγρὸν εἶναι καὶ ἁπαλὸν τὸ μέρος. Οὕτω Σωρανὸς ἐν ταῖς ἐτυμολογίαις τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου.* Ibidem autem in voce *παλαιστή* legis in fine loci: *οὕτω Σωρανὸς ἐν τῷ περὶ ἐτυμολογιῶν τοῦ ἀνθρώπου.* Et in voce *φλέγμα: οὕτω λέγει Σωρανὸς ἐτυμολογῶν τὸν ἄνθρωπον ὅλον.* Constat igitur opus Sorani exstitisse, quo nominum partium corporis humani etymologiam illustraverit. Num locis adlatis inscriptionem ab ipso auctore libro inditam habeamus, non certe scire nos opinor; sed parum tamen mihi videtur probabile. In indice in Dietzii editione deperditum caput 167. fert titulum: *περὶ κατασκευῆς τοῦ ἀνθρώπου καὶ ὀνομασίας πάντων τῶν μελῶν καὶ τῶν στοιχείων.* Non dubito quin in his non habeamus inscriptionem capitis, sed titulum operis ipsius, de quo agimus. Hunc autem esse titulum, quem ipse operi

suo Soranus dederit, certe scire quis potest? Fieri posse ut veram operis inscriptionem in iis habeamus, non ego negabo. De materie exemplis relictis abunde constat.'

Haec Ermerinsii verba miror quod Voigtius silentio praeteriit. Non contineri autem illis verbis: *περὶ κατασκευῆς τοῦ ἀνθρώπου καὶ ὀνομασίας πάντων τῶν μελῶν καὶ τῶν στοιχείων* titulum neque capitis deperditi 167 neque alius cuiusdam capitis libri Soranei *περὶ γυναικείων παθῶν*, verum integri libri argumentum significari certissimum est. Non enim protulisset Soranus in prioribus capitibus etymologias vocabulorum *μήτρα, ὑστέρα, δελφύς, χόριον, ἀγγεῖον, δεύτερον, ὕστερον, πρόρρηγμα, μύλος*, si in posteriore aliquo capite verba fecisset *περὶ ὀνομασίας πάντων τῶν μελῶν καὶ τῶν στοιχείων*. Significatur autem illo titulo sine ulla dubitatione idem Sorani liber, cuius Meletius mentionem facit. Quod vero hoc loco liber ille inscribitur *περὶ κατασκευῆς τοῦ ἀνθρώπου*, non *περὶ φύσεως ἀνθρώπου*, id vix quemquam offendet, qui respexerit ipsum titulum operis Meletiani modo (pag. 1, 3. 4) *περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς* modo (pag. 1, 5 et 5, 1 apud Cramerum) *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* citari [1]).

Hac ex inscriptione praeterea elucet, quomodo fieri potuerit, ut Rufi scholiasta, quippe qui materiam magis libri Soranei respiceret quam titulum, haec scriberet: *Σωρανὸς ἐν τῷ περὶ ὀνομασιῶν μονοβίβλῳ.*

Caput IV.

Meletium maioris ad Sorani librum *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* restituendum auctoritatis esse quam ceteros fontes.

Restat, ut nonnullis demonstrem exemplis scriptum Meletianum multo meliorem exhibere textum fragmentorum Soraneorum quam Etymologicum Orionis aut cetera Etymo-

---

[1]) Aliud Sorani scriptum in codicibus fertur sub titulo *περὶ γυναικείων παθῶν*, cum Hesychius, Oribasii scholiasta, alii inscriptionem *γυναικεῖα* praebeant.

logica, ita ut multis locis quae in lexicis ita exstant, ut aut nullum omnino aut depravatum praebeant sensum, lux afferatur adhibito demum Meletio, qui Sorani verba plerumque fideliter descripsit. Eam autem quaestionem, quam materiam medicam praeter etymologias continuerit Sorani liber *περὶ φύσεως ἀνθρώπου*, in praesens missam facio.

1. In Et. Or. 163, 15 exstat hoc frustulum Soraneum: *Χαλινά: τὰ ὑποκάτω τῶν γνάθων, οἷον χαιλινά τινα ὄντα, ὅτι χαίνονται δι᾽ αὐτῶν, ἡ ἔκθεσις γίνεται. Σωρανὸς οὕτως.* Quod quam foede corruptum sit, quivis prima specie intelleget. Itaque Sturzius, cum Etymologicum Orionis emendaret, locum ita sanare conatus est, ut proponeret: .... *οἷον χαινινά τινα ὄντα, ὅτι χαίνομεν δι᾽ αὐτῶν.* Quid autem *ἔκθεσις* vocabulum sibi vellet, non perspexit; coniecit enim scribendum esse: ... *οὕτως ἡ ἔκθεσις γίνεται. Σωρανός*, vel: *ἡ ἔκθεσις γίνεται Σωρανῷ οὕτως.* At Orion, ubicunque Sorani nomen frustulis adicit, aut *οὕτω Σωρανός* scribit, aut *Σωρανός*, aut *Σωρανὸς οὕτω*, aut *οὕτω λέγει Σωρανός*, aut *οὕτω Σωρανός ἐν ταῖς* etc.; itaque tale additamentum, quale est *ἡ ἔκθεσις γίνεται Σωρανῷ οὕτως*, prorsus abhorret ab Orionis genere dicendi. Ad locum persanandum neque Etymologicum Magnum neque Gudianum quicquam proficiunt. Nam Et. Magnum 805, 14 ea fere praebet verba, quae in Et. Or. 40, 4 cum originatione vocabuli *γνάθος* coniuncta leguntur: *Χαλινός: χανινός τις ὤν, παρὰ τὸ χαίνειν, ὅτι δι᾽ αὐτοῦ χαίνειν γίνεται.* Paulo propius ad veram et germanam lectionem accedit Etymologicum MS. Bibl. Reg. (s. v.): *χαλινοὶ δέ, οἷον χαινοί τινες ὄντες, ὅτι δι᾽ αὐτῶν τὸ χαίνειν γίνεται ἡ ἔνθεσις τῶν εἰσφερομένων*, quamquam haec quoque lectio mendis scatet. Corruptissimus denique exhibetur hic locus in Et. Gud. 127, 31: *Γνάθοι: οἷον χάρινοί τινες ὄντες, χαίνον τι γὰρ ἡ ἔνθεσις γίνεται τῶν εἰς φερομένων.*

Quae lectio in Sorani ipsius libro infuerit, confestim intelleges, ubi Meletium p. 76, 5 evolveris: *τὰ δὲ ὑποκάτω τοῦ ὠτὸς γνάθοι λέγονται καὶ χαλινοί. γνάθοι μὲν παρὰ ....*, *χαλινοὶ* (*χαλινὸς* ed. Cramer) *δέ, ὅτι δι᾽ αὐτῶν χαίνειν γίνεται· οἱ δέ φασι χανινούς* (*χαλινούς* ed. Cramer) *τινας εἶναι·*

χαίνοντες γὰρ αὐτοὺς τὴν αἴσθησιν ποιούμεθα τῶν εἰσφερομένων.

Ex hoc Meletii loco illud quoque cognoscitur, quomodo factum sit, ut Et. Or. 40, 4 vocabula *γνάθος* et *χαλινός*, quae, si ordinem litterarum respexeris, longe seiungenda erant, uno afferret tenore. Quae cum coniuncta in fonte suo repperisset, Orion per neglegentiam, quae secundum Etymologici indolem separanda erant, una protulit.

2. Or. 163, 18 exstant haec: *Χεῖλη: τὰ θυροῦντα τὸ στόμα, καὶ οἷον ἐχίλη, τὰ καλύπτοντα καὶ συνέχοντα τοὺς ὀδόντας· ἢ ἀπὸ τοῦ δι' αὐτῶν τὸν χιλὸν τουτέστι τὴν τροφὴν λαμβάνειν* .... Larcherus, cum de hoc loco ageret[1]), illud quidem perspexit *ἐχίλη* vocabulum corruptum esse, nec tamen intellexit, quam levi litterarum mutatione huic loco medela afferri posset, sed pro *ἐχίλη* scribendum censuit *εἴλη*. Neque ex Etymologico Magno neque ex Gudiano quicquam lucis ad hunc locum redundat. Attamen quam longe a germana lectione aberraverit Larcherus, gravissimus testis est Meletius, qui incorrupta ipsius Sorani exhibet verba p. 76, 13: *τὰ δὲ ἐπικαλύπτοντα τὸ στόμα χείλη καλοῦνται ἀπὸ τοῦ κλείω, οἱονεὶ χείλη, τὰ θυροῦντα καὶ κλείοντα τὸ στόμα καὶ τοὺς ὀδόντας* et q. sqq. Vides igitur eam ipsam notionem *κλείω*, cuius auxilio Soranus originem vocabuli *χείλη* aperire conatus erat, itemque participium *κλείοντα*, quod hoc loco maximi est momenti, apud Orionem prorsus evanuisse.

Praeterea his duobus, quae attuli, exemplis optime demonstrari potest, quomodo Orion e contextu libri Soranei lemmata sua decerpserit, decerptis originationem adiunxerit. Meletium enim his locis Sorani verba, qualia in ipso Sorani libro exstabant, perscripsisse omni exemptum est dubitatione.

Soranus igitur scripserat:	Orion autem fere haec (163,15 sqq.):
... *τὰ δὲ ὑποκάτω τοῦ ὠτὸς γνάθοι λέγονται καὶ χαλι-*	*Χαλινά: τὰ ὑποκάτω τῶν γνάθων, οἷον χανινά τινα ὄντα,*

[1]) Et. Or. p. 163 adn. 9.

νοί .... χαλινοὶ δέ, ὅτι δι' αὐτῶν χαίνειν γίνεται [1]). οἱ δέ φασι χανινούς τινας εἶναι· χαίνοντες γὰρ etc.

et: τὰ δὲ ἐπικαλύπτοντα τὸ στόμα χείλη καλοῦνται ἀπὸ τοῦ κλείω, οἱονεὶ χείλη, τὰ θυροῦντα καὶ κλείοντα τὸ στόμα etc.

ὅτι χαίνοντι δι' αὐτῶν ἡ αἴσθησις γίνεται ⟨τῶν εἰσφερομένων⟩

Χείλη: τὰ θυροῦντα τὸ στόμα [ἀπὸ τοῦ κλείω deest] οἱονεὶ χείλη, τὰ καλύπτοντα καὶ συνέχοντα τοὺς ὀδόντας et q. seq.

3. Aliud fragmentum maximopere decurtatum, mutilatum, corruptum in pag. 131, 6 lexici Orionei legitur:

Πλευραί: οἷον πλήρεις καὶ ἀμύχωτοι, ἢ οἷον πλευμονωροὶ οὖσαι, αἳ φυλάττουσι τὸν πνεύμονα· ἢ οἷον πέλυροι, ὡς πλατεῖαι. Eundem locum Etymologicum Magnum p. 674, 53 aeque corruptum atque Orion exhibet sic:

Πλευραί: οἷον αἱ πλήρεις οὖσαι καὶ ἀμύχωτοι· ἢ πλεωραί τινες οὖσαι, αἱ φυλάττουσαι τὸν πνεύμονα· ἢ πολύευραί τινες οὖσαι, ὡς πλατεῖαι.

Ac primum quidem cum ἀμύχωτοι vocabulum quid significaret nesciret, Larcherus legendum coniecit ἀμύωτοι 'sine musculis' [2]). At si πλευραί dicuntur ob eam rem ita nominari, quod sunt refertae et sine musculis, hoc additamentum 'sine musculis' cum originatione vocabuli πλευραί nihil commune habet. In Etymologico Magno Gaisfordius ἀμύχωτοι lectionem servavit. At vocabulum ἀμύχωτοι in litteris graecis omnino non obviam fit. Est autem scribendum cum Meletio ἀναμύχωτοι: de ἀμυχή et cognatis vocabulis cfr. Stephani Thesaur. vol. I, 2 pag. 168. 172. 173. 182—184. 186. 187.[3]) Vide Mel. 93, 27: εἴρηνται δὲ πλευραί, ὅτι πλήρεις

---

[1]) cfr. Or. 40, 4.

[2]) Et. Or. p. 131 adn. 19.

[3]) Praeter locos in Steph.Thes. congestos cfr. e. g. hos: ad v. ἀμυκτέον Oribasii collect. VII 22 | ad v. ἄμυξις Archigenem apud Galen. VIII 154 | ad v. ἀμύττω Galen. X 822, XII 4; Herodoti gloss. Hippocrat. p. 604; Galen. gloss. p. 574 σχάσαι· ἀμύξαι | ad v. ἀμυχή Oribasii collect. VII 21; Galen. VIII 151. 155, X 964; X 982; XI 119. 136; Theophanem Nonnum tom. II p. 246; Fischerum ad Aeschin. Axioch. p. 123.

εἰσὶ μυελῶν ⟨καὶ⟩ ἀναμύχωτοι. Deinde pro *πέλυροι*, quod exhibet Orion, cum Etymologico Magno et Meletio scribendum videtur *πολυευραί* (*πολύ* et *εὖρος*) = *πλατεῖαι*. Ac ne *πλευμονωροί* quidem vocabulum, quod ad hunc locum optime quadrare videtur, recte traditum esse suspicor collato Meletii loco, quem supra excitavi (93, 29): *ἢ πολυωραὶ οὖσαι, ὡς φυλάττουσαι καὶ περιέχουσαι τὸν πνεύμονα, τὴν καρδίαν καὶ τὴν γαστέρα.* Vera igitur et germana lectio videtur *πολυωραί* 'multas partes custodientes'; nam, ut Meletius diserte exponit, costae custodiunt amplectunturque et pulmonem et cor et ventrem; ac proclivis est coniectura apud Orionem, priusquam decurtaretur, eandem exstitisse lectionem. In cuius lexico postquam vocabula *τὴν καρδίαν καὶ τὴν γαστέρα* perierunt, librarium quendam sane haud indoctum, cum nullo modo ferri posse censeret lectionem *πλευραί, οἷον πολυωραὶ οὖσαι, ὡς φυλάττουσαι καὶ περιέχουσαι τὸν πνεύμονα*, quia de sola voce *πνεύμων* quaestio esset, non illepide *πολυωραί* commutavit in *πλευμονωροί*. Quae leguntur in Et. M. 674, 54 *ἢ πλεωραί τινες οὖσαι*, ad eundem modum sunt corrigenda.

4. Simile vitium inest in Et. Or. 81, 20: *Κράτα: τὴν κεφαλήν, ἀπὸ τοῦ κράτος, ὡς ἐνταῦθα τοῦ ἡγεμονικοῦ τυγχάνοντος· ⟨ἢ⟩ παρὰ τὸ κραίνειν καὶ βασιλεύειν τοῦ ὅλου σώματος· ὅθεν ⟨καὶ⟩ κρανίον καὶ κέρατα, τὰ ἐκ τοῦ κρανίου φυόμενα. Σωρανός*: quod fragmentum ad verbum cum Et. Magno 535, 3 conspirat. Passus autem est hic locus mutationem et transpositionem verborum; nam *κράς* a solo *κράτος* derivandum est, *κρανίον* autem a *κραίνειν* verbo et cum *κρανίον* artius coniunctum est *κέρατα*. Scribemus igitur cum Meletio p. 52, 14: *οἱ δὲ κάραν λέγουσιν, οἷον κέρα ἀπὸ τοῦ τετριχῶσθαι· κέρας γὰρ ἡ θρίξ· ἢ κράτα ἀπὸ τοῦ κράτος, ὡς ἐνταῦθα τοῦ ἡγεμονικοῦ τυγχάνοντος· ἢ κρανίον παρὰ τὸ κραίνειν καὶ βασιλεύειν τοῦ ἄλλου σώματος· ἢ διὰ τὸ κρέμασθαι ἐκεῖ τὸν ἐγκέφαλον.*

5. Or. 145, 4 haec leguntur: *Σιαγόνες: ὅτι σείονται περιαγόμεναι καὶ συνάγονται, αἵ εἰσιν ὑποκάτω τῆς γένυος· οἱ δὲ παρὰ τὸ σιγᾶν, αἷς ἔστι σιγᾶν καὶ λέγειν ἀνοιγομέναις*

et q. seq.; eadem fere exstant verba in Et. M. 711, 54: .... ἢ παρὰ τὸ σιγᾶν, αἷς ἐστι σιγᾶν καὶ λέγειν ἀνοιγομέναις. Gaisfordius sensui perverso, quem verba, qualia tradita sunt, praebent, ita medelam afferre conatus est, ut interpunctione inter σιγᾶν et καὶ uteretur. Quem mendum, quod latet, parum sanasse docet Meletius, qui 74, 11: τοῦτο τὸ μέρος, inquit, καὶ σιαγόνες λέγονται, ὅτι σείονται περιαγόμεναι καὶ συνάγονται ἐν τῷ ἐσθίειν ἡμᾶς ἢ ὁμιλεῖν· ἢ ὅτι σιγῶμεν ἡμεῖς αὐτῶν κεκλεισμένων ὄντων. His verbis docemur in Orione et Etymologico Magno inter σιγᾶν et καί in textum recipiendum esse vocabulum κεκλεισμέναις, ita ut legatur: αἷς ἐστι σιγᾶν κεκλεισμέναις καὶ λέγειν ἀνοιγομέναις.

6. Ex ceteris, quae investigavi, frustulis in Etymologicis corruptis, quibus e solo Meletio medela afferri potest, sufficiet nonnulla hoc loco obiter excitare: Or. 129, 4 περίττωμα, Et. M. 665, 15 cl. Mel. 38, 12 || Or. 129, 25 παλαιστή, fragmentum corruptissimum, Et. M. 647, 23 cl. Mel. 122, 4 || Or. 142, 22 σπέρμα, Et. M. 723, 14 Σπέρμα: παρὰ τὸ συνεσπαρμένην ἔχειν ἐν ἑαυτῷ τὴν δύναμιν τῆς τελειότητος, cuiusnam tandem τελειότητος? Mel. 113, 21: τὴν τῆς δυνάμεως τελειότητα τοῦ γενέσθαι τοιόνδε τὸ ζῶον, ἐξ ὧν καὶ ἀπεκρίθη || Or. 145, 23 στῆθος, Et. M. 727, 21 cl. Mel. 89, 15 || Et. M. 702, 43 ῥάχις (apud Orionem evanuit) cl. Mel. 91, 28 || In Or. 100, 16 μυελός, cl. Et. M. 593, 35, non, quod Larcherus coniecit, cum Etymologico Magno ἀσφαλίζεσθαι legendum est, quasi esset nova originatio vocis μυελός, sed restituendum est cum Mel. 52, 28: μυελός, οἷον μυχελός, ἀπὸ τοῦ ἐν μυχῷ εἰλῆσθαι, ὅ ἐστιν αὐλίζεσθαι.

7. Unum denique locum, qui exstat in Et. Or. 141, 17, accuratius inspiciamus: Στεῦται : παρὰ τὸ στῆθος, οἷον ἐν τοῖς στήθεσι διανοεῖται· ἐκεῖ γὰρ τὸ λογιστικὸν καθ' Ὅμηρον

„στῆθος δὲ πλήξας κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ“ (Od. υ 17).

Φιλόξενος δὲ et q. sqq. Numquis suspicetur hoc fragmentum, quo de στεῦται forma verbi agitur, Sorano esse vindicandum? Atqui ad Soranum auctorem redit, quod patet ex Mel. 89, 13: τὸ στῆθος λέγεται καὶ στέρνον καὶ θώραξ .... ἄλλοι δέ, ὅτι ἐν αὐτῷ τὸ ἡγεμονικὸν ἕστηκεν· ἐξ οὗ καὶ

στεῦταί τις λωβῆσαί σε,
οἷον ἐν τοῖς στήθεσι διανοεῖταί τις ἀδικῆσαι ἢ βλάψαι σε·
ὡς καὶ παρ' Ὁμήρῳ
„στῆθος δὲ πλήξας κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ" (Od. υ 17).

Vides igitur, quam neglegenter Orion Sorani librum excerpserit, cum occasione data primam quamque verbi alicuius formam ex contextu libri Soranei desumeret, desumptam neque accurate neque suo loco in Etymologicum suum transcriberet eique aliam Philoxeni originationem adiungeret. Id quoque frustulum, quod apud Orionem 141, 13 praecedit illud, de quo agimus, *σκαιά* vocabuli originationem dico, Sorano debetur et suo loco motum est aeque atque insequenti pagina (Or. 142, 22) *σπέρμα* vocabulum. Idem prorsus de voce *κοτυλήρρυτον* (Or. 80, 19) monendum est. Etenim Soranus (cfr. Mel. 122, 12) in explicandis singulis manus partibus de *κοτύλη* vocabulo haec verba fecerat: *κοιλαινομένη δὲ κατὰ βάθος ἡ παλαιστὴ κοτύλη ὠνόμασται· ὅθεν καὶ τὸ*
„κοτυλήρρυτον αἷμα" (Il. Ψ 34)[1])
διὰ τὸ ἐν τῷ κοίλῳ τῆς χειρὸς ἀρύεσθαι. Qua ex explicatione Orion ultimam tantum partem eamque mutilatam ideoque idoneo sensu carentem Etymologico suo inseruit: Or. 80, 19 *κοτυλήρρυτον, τὸ δύνασθαι τῷ κοίλῳ τῆς χειρὸς ἀρύεσθαι.*

Caput V.

De poetis et grammaticis a Sorano ad librum *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* conscribendum adhibitis.

1. Sorani liber multis versibus cum ex aliorum poetarum carminibus tum ex Homero desumptis exornatus erat, quorum nonnulli in Etymologicis, permulti apud Meletium asservati sunt. At quoniam suspicari possis versus, quos exhibet Meletius, non in Sorani libro infuisse, sed a Meletio ipso esse adiectos — insunt enim multi in Meletio,

1) Apud Homerum legitur *κοτυλήρυτον ἔρρεεν αἷμα.*

qui num re vera iam in Sorani libro lecti sint necne, ex Etymologicis non satis patet — paucis ostendam omnes fere versus, quos nunc apud Meletium omissis saepe poetarum nominibus reperimus, iam in ipsius Sorani libro infuisse.

Versuum, quos Meletius profert, fere quinquaginta id est plus quam dimidiam partem iam in Sorani libro exstitisse testes sunt Etymologica Orionis, Magnum, Gudianum, M. S. Bibliothecae Parisinae (Regiae), quorum primum ex Sorano ipso sua hausit, cetera ex Orione. Etenim aut omnia quae enumeravi Etymologica hos versus exhibent aut unum alterumve, veluti: Mel. 10, 3 : Et. M. || Mel. 22, 5 : Et. Gud. 411, 45 || Mel. 22, 3 : Et. M. et Et. Gud. || Mel. 37, 9 : Et. Or. Et. M. Et. Gud. || Mel. 54, 10 : Et. M. || Mel. 63, 5 : Et. Gud. 253, 29 || Mel. 69, 5 et 7 : Et. M. 572, 38 || Mel. 69, 19 : Et. M. 747, 9 || Mel. 83, 4 : Et. Gud. 113, 29 et Et. M. 641, 1 || Mel. 83, 12 : Or. 162, 22 || Mel. 84, 4 : Et. Or. || Mel. 84,8 : Et. M. 788, 32 || Mel. 89, 17 et 20 : Et. Or. et Et. M. || Mel. 89, 30 et Mel. 90, 3 : Et. M. 460, 39 et 45 || Mel. 92, 3 : Et. Or. || Mel. 92, 9 : Et. Or. || Mel. 94, 3 : Et. Or. || Mel. 108, 20 : Et. Or. || Mel. 108, 23 : Et. M. || Mel. 109, 15 : Et. Or. || Mel. 111, 22 : Et. M. 642, 7 || Mel. 112, 3 : Et. M. 816, 25 || Mel. 118, 11 : Et. Or. || Mel. 122, 14 : Et. Or. || Mel. 122, 29 : Et. Or. || Mel. 129, 3 : Et. Or. || Mel. 130, 31 : Et. M. Praeterea quinque versus exstant apud Meletium, qui ea de causa neque apud Orionem neque in ceteris Etymologicis reperiuntur, quod lemmata, quibus in Sorani libro adiecta erant, aut in Orionis codicibus exciderunt aut omnino non ab Orione in lexicon recepta sunt: Mel. 77, 15 et 18 et 20 (s. v. *παρειά*) || Mel. 93, 22 (s. v. *πάτος*) || Mel. 109, 13 (s. v. *ἐφήβαιον*). Itaque si consideraveris et plerosque omnes, quos laudat Meletius, versus non in ipso contextu verborum a Meletio fictorum legi, sed vocabulorum originationibus ex Sorano desumptis esse adiectos, et Orionem in frustulis ex Sorani libello decerpendis certe non omnes, qui exstabant apud Soranum, versus in Etymologicum suum transcripsisse, multos denique versus, qui olim in germano et integro Orione legebantur, sine dubio postea excidisse — Orionis enim

Etymologicum per medium aevum quantopere corruptum, perturbatum, mutilatum sit[1]), quantas passum sit lacunas, inter omnes constat — facile concedes eos quoque versus, quos Soraneos esse certo testimonio non potest evinci, Meletium non de suo addidisse, sed ex Sorano transcripsisse. Versus autem Soranus profert horum potissimum poetarum:

Homeri: No. 5. 46 (quater). 59. 61 (bis). 64. 69. 87 (quater). 92. 153 (bis). 173 (sexies). 185 (bis). 190. 198 (ter). 214 (quinquies). 225 (bis). 226 (quater). 227 (bis). 237 (quater). 247. 250. 256. 268;

Hesiodi: No. 69. 70. 185;

Pindari: No. 225;

Sophronis: No. 173. 228;

Callimachi: No. 72. 173. 185. 226 (bis);

Lycophronis: No. 59. 226;

Apollonii Rhodii: No. 213;

Orphei: No. 256;

Aristophanis: [εἰρήνῃ] No. 18;

Antiphanis (?) [ἱππεῦσι] No. 226;

Empedoclis: No. 6.

Epicharmi: No. 46.

Euphorionis: No. 226.

---

[1]) Quantopere multis locis mutilatus sit et corruptus Orion, unum pro multis demonstret exemplum: De *λογάδες* vocabulo

Or. 92, 7 tradit haec:	Et. M. 572, 36 haec:
λογάδες: τὰ λευκὰ τῶν ὀφθαλμῶν. εἴρηται δὲ οἷον λοχάδες, ἐν αἷς αἱ κόραι λοχῶσι καὶ οἷον λέχος εἰσὶν αὐταῖς.	*λογάδες: ἐπὶ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ λευκά. Καλλίμαχος* (fr. 132 Schneider) *„ὅστις ἀλιτροὺς αὐγάζειν καθαραῖς οὐ δύναται λογάσιν“. εἴρηται δὲ οἷον λοχάδες, ἐν αἷς αἱ κόραι λοχῶσι καὶ οἷον λέχος εἰσὶν αὐταῖς· ἢ οἷον λευκάδες, κατὰ συγγένειαν τοῦ κ̄ πρὸς τὸ γ̄· ἢ ὅτι λοξοῦνται ἐν τῷ βλέπειν κατὰ τὰς ἐπιστροφάς. Σώφρων ἐν Θυννοθήραις· „λοξῶν τὰς λογάδας“. οὕτως Σωρανός.*

Exciderunt igitur apud Orionem poetarum non tantum nomina, sed etiam versus.

2. Porro videndum est, quos grammaticos in usum suum converterit Soranus. Qui enim vel obiter Etymologicum Orionis inspexerit, eum non fugiet, quam saepe Soranus ipse in originationibus vocabulorum effingendis alios grammaticos ita laudaverit, ut eorum etymologias aut integras in librum suum reciperet, aut, si minus ipsi placerent, novas de suo adderet. His autem frustulis ex antiquiorum grammaticorum scriniis depromptis nomen auctoris constanter adiecisse Soranum patet ex Orione. Sunt vero, quos laudat Soranus, grammatici hi:

Apion: Et. M. 541, 21; Et. Gud. 333, 36.

Apollodorus: Or. 81, 12; Or. 116, 22 : Mel. 111, 5; Or. 129, 12; Or. 163, 26; Or. 170, 3 cl. Or. 168, 23; Et. M. 541, 20; 702, 42.

Aristarchus: Or. 52, 17 : Mel. 108, 19.

Aristonicus: Or. 119, 27 (= 188, 6) : Mel. 68, 24; Or. 94, 19 : Mel. 84, 20.

Philoxenus[1]): Or. 81, 8 : Mel. 75, 17; Or. 155, 4 (= 190, 20) [nisi potius Philoxeni etymologia ab Orione addita neque ex Sorano deprompta est] : Mel. 76, 31; [Or. 187, 14 cl. Or. 104, 15 : Mel. 119, 9].

---

[1]) De Philoxeno optime egit H. Kleist in commentatione, quae inscribitur: De Philoxeni grammatici Alexandrini studiis etymologicis (Gryphisw. 1865). Qui cum Philoxeni reliquias publici iuris faciendas sibi sumpsisset, paulo post intellexit fragmentorum Philoxeneorum multo maiorem exstare copiam, quam quae angusto, quod commentationi academicae conceditur, spatio recipi posset. Accedit quod, priusquam omnia Philoxeni scripta edantur, nonnullae quaestiones singulares attingendae et absolvendae sunt, quae cum Philoxeni scriptis artissime sunt coniunctae: quaestiones dico de Epimerismis (quibus ex fontibus hausti et cuinam aetati vindicandi sint), de frustulis Philoxenianis (quaenam frustula ad ipsum Philoxenum redeant auctorem, quae secundum doctrinam de radicibus monosyllabis, quam Philoxenus in libro *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων* et *περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ* diserte exposuerat, a grammaticis posterioris aetatis sint formatae). Philoxenea igitur ea nomino frustula, quae ipsi Philoxeno deberi facile perspicias. Tantopere autem nova eius neque inepta de monosyllabis radicibus doctrina posterioribus temporibus culta est, ut insequentis aetatis vocabulorum originationes pleraeque hac doctrina sint imbutae,

Praeter hos grammaticos excitat Soranus **Hippocratem** medicum (Aphorism.) : Or. 82, 4 : Mel. 83, 20; Or. 21, 19: Mel. 101, 7;

---

cuius rei nonnulla afferam exempla: In Et. Gud. 576, 20 legimus : *ψῶ σημαίνει ζ' : τὸ κόπτω εἰς μικρά, ἐξ οὗ καὶ ψωμός· ψῶ τὸ προσεγγίζω, ἐξ οὗ καὶ ψώρα, παρὰ τὸ ἅπτεσθαι ἐν τῷ κνήθειν τὰ πεπονθότα μέρη τοῦ σώματος· ψῶ τὸ λεπτύνω, ἐξ οὗ καὶ ψιλὸν στρατιώτην λέγομεν τὸν ἄοπλον καὶ γυμνόν· ψῶ τὸ ψαύω, ἐξ οὗ καὶ ψοιά· ψῶ ψίω τὸ ἐμβρωματίζω· ψῶ τὸ καίω, ἐξ οὗ καὶ ψολόεις κεραυνός, ὁ καυστικός· ψῶ τὸ τρίβω, ἐξ οὗ καὶ ψώγοντες ταῖς χερσίν, ἤγουν τρίβοντες.*

Et. Gud. 329, 47 : *κλῶ σημαίνει ϛ' : τὸ καλῶ, ἐξ οὗ καὶ κλῆρος· τὸ ἐπαινῶ, ἐξ οὗ καὶ κλύω τὸ ἐπαινῶ· τὸ κλάω, ἐξ οὗ καὶ τὸ κλαίω, παρὰ τὸ κεκλάσθαι τὴν φωνὴν ἐν τῷ κλαίειν· τὸ φωνῶ καὶ τὸ ἀκούω, ἐξ οὗ καὶ κατὰ παραγωγὴν κλύω· κλῶ τὸ ἐμποδίζω, ἐξ οὗ καὶ κλᾶν τὸ ἐμποδίζειν· καὶ κλῶ τὸ φονεύω, ἤτοι τὸ ποντίζω· καὶ εἰς τὸ εὐκλόνητον καὶ ἐπίκλημα καὶ κλαίω καὶ κλῆμα.*

Et. Gud. 572, 7: *χῶ σημαίνει ζ' : χῶ τὸ χαίρω, χῶ τὸ χωρῶ, χῶ τὸ ὑπάρχω, χῶ τὸ ὑποχωρῶ, χῶ τὸ ὀργίζομαι, χῶ τὸ χέω, ἀπὸ τοῦ χέω χῶ τὸ χώσω, χῶ τὸ χάζω.*

Et. Gud. 520, 38: *σῶ σημαίνει ϛ' : σῶ τὸ κινῶ, σῶ τὸ ἕλκω, σῶ τὸ ὑγιαίνω, σῶ τὸ σείω, σῶ τὸ σεύω, σεύονται, σῶ σῶος.*

Eodem modo in Et. Gud. 508, 8 *σπῶ* formae tribuuntur septem diversae significationes, Et. Gud. 537, 30 *τρῶ* quinque, in Anecd. Paris. Crameri IV pp. 262, 263, 264 *χρῶ* quinque, *ἕω* sex, *δρῶ* quattuor, *λῶ* quattuor, *φῶ* quattuor. At iam satis exemplorum, quorum numerus facile augeri potest. Puto enim me id evicisse, Philoxeni rationem vocabulorum ad originem revocandorum a grammaticis posterioris aetatis et medii aevi adoptatam et, quod maximi est momenti in Philoxeni reliquiis etymologicis colligendis et aestimandis, multifariam auctam esse. Itaque ea, quae Philoxeneo modo expressa nec tamen ipsi Philoxeno vindicanda sunt, **Philoxeniana** dico frustula.

Quibus difficultatibus respectis si quis corpus reliquiarum Philoxeni Alexandrini confecerit, is optime de litteris merebitur. Nam cui edendo tandem aliquando alter Lentzius existat, Philoxenus inprimis dignus est, quippe qui omnia fere studiorum grammaticorum genera, quibus illis temporibus potissimum opera navabatur, amplexus sit, atque cui quodammodo prae Herodiano palma sit tribuenda. Quanta enim fecundidate fuerit Philoxenus, luculenter apparebit, si scripta eius in diversas classes digesta adscripsero. Egit autem:

1. de rebus mere grammaticis:
   a) *περὶ συγκριτικῶν*
   b) *περὶ συζυγιῶν*
   c) *περὶ τῶν εἰς μι ληγόντων ῥημάτων*

Platonem (Cratyl.) Or. 16, 10; Or. 144, 24;

Aristotelem (hist. anim.) Or. 116, 21. [(de part. anim. 662^b 19) Or. 129, 16 (*πρόσωπον*)].

Heraclides (Ponticus): Or. 100, 30 (= 187, 14 exc. e cod. Par.): Mel. 119, 11; Or. 156, 12 (= 190, 17): Mel. 32, 27; Or. 170, 7 : Mel. 74, 28; Or. 147, 13 : Mel. 132, 16; Or. 129, 18 (Et. M. 654, 2) : Mel. 85, 15.

Chrysippus: Or. 130, 7 (= 188, 26); Or. 17, 9.

Horum igitur auctorum nomina eis locis, ubi apud Meletium exciderunt, quoad fieri potest aliorum fontium auxilio singulis fragmentis addenda sunt.[1])

d) *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων* (*περὶ περισπωμένων ῥημάτων* Et. G. 467, 20)
e) *περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ*
f) *περὶ παραγώγων*
g) *ῥηματικόν*,

2. de arte metrica, de prosodia:
a) *περὶ μέτρων*
b) *περὶ προσῳδιῶν*,

3. de notis criticis:
περὶ σημείων τῶν ἐν τῇ Ἰλιάδι,

4. de exegesi:
a) *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ γλωσσῶν*
b) *ὑπόμνημα εἰς Ὀδύσσειαν*,

5. de dialectis:
a) *περὶ τῆς τῶν Συρακοσίων διαλέκτου*
b) *περὶ τῆς τῶν Λακώνων διαλέκτου*
c) *περὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων διαλέκτου*
d) *περὶ τῆς Ἰάδος διαλέκτου καὶ τῶν λοιπῶν*
e) *περὶ ἑλληνισμοῦ ς'*.

Herodianum quoque ipsum Philoxeni vestigia pressisse eiusque doctrinam adoptasse evincitur Et. Gud. p. 571, 55: *ψάλλειν ἐπὶ τῶν χορδῶν· παρὰ τὸ ψῶ, οὗ τὸ παράγωγον ψαύω καὶ ψάλλω, παρὰ τὸ διὰ δακτύλων ἐπιψαῦσαι αὐτῶν. οὕτως Ἡρωδιανός.*

[1]) Nescio an qua aetate Soranus librum *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* conscripserit, ex eis, quae adhuc exposuimus, erui possit. Etenim Soranus in tractatu *περὶ γυναικείων παθῶν*, quotiens quaestionem aliquam attingit, quam in alio libro iam antea accuratius pertractaverat, remittere solet lectores data occasione ad illud scriptum. Veluti *π. γ. π.* I 14 (ed. Rose): *καταψεύδονται δὲ τῆς ἀνατομῆς· οὐχ εὑρίσκονται γὰρ αἱ κοτυληδόνες καὶ ἀφύσικός ἐστιν ὁ περὶ αὐτῶν εἰσαγόμενος λόγος, ὡς ἐν τοῖς περὶ ζῳογονίας ὑπομνήμασιν ἀποδέδεικται* (cfr. I 45). Idem fit I 12:

Caput VI.

Sorani *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* quae supersunt fragmenta etymologici argumenti.

Qua usus sim ratione in ordinandis eis Sorani fragmentis, quibus verborum originationes continentur — ceteras enim Soranei libri reliquias, quae in Meletii scripto latent, omitto —, paucis exponam.

Quoniam de ordine quem observaverit Soranus in explicandis corporis partibus in libro *περὶ φύσεως ἀνθρώπου*, hodie nihil certi scimus, duae patent viae ei, qui fragmenta huius libri reconstruenda susceperit. Aut enim *ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν* (Mel. 3, 3) ea enumerari possunt, aut, quod vulgo fieri solet, secundum ordinem litterarum: quam viam nos ingressi sumus. Hoc unum certo constat, Soranum non singula seorsim frustula protulisse, verum originationes unius eiusdemque membri partium, quae artiore quodam continentur vinculo, coniunxisse, quod optime evincitur articulo *παλαιστή* (Or. 129, 25), ubi *παλαιστή*, *δοχμή*, *σπιθαμή*, *ὀργυιά κ. τ. λ.* coniuncta leguntur, et articulo *κεφαλή* (Or. 81, 10—23), ubi uno enarrantur tenore *κεφαλή*, *κελύφη*, *κάρα*, *κράτα*, *κρανίον*.

περὶ οὗ διελάβομεν ἐν τῷ περὶ σπέρματος λόγῳ. I 29: *ὡς ἐν τῷ β̄ περὶ κοινοτήτων ἐπελογίσθη.* II 57: *ἐν τῷ περὶ νοσημάτων τόπῳ.* I 32: *καθάπερ ἐν τῷ ὑγιεινῷ διὰ πλειόνων ἀποδέδεικται*, (cfr. I 40). II 28: *ὧν ἁπάντων τὴν ἐπιδέξιον χρῆσιν ἐν τοῖς περὶ βοηθημάτων ὑπομνήμασιν ἐφωδεύκαμεν.* II 25: *καὶ διὰ τοῦτο ἐν τοῖς ὀξέσι τὸν πολὺν περὶ αὐτῆς λόγον ἐφωδεύκαμεν* (cfr. II 58); alibi. Quamquam autem tribus locis (p. 8. 19. 93 ed. Ermerins) etymologias profert Soranus, tamen nusquam illius libri *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* mentionem facit, in quo omnes corporis humani partium originationes collegit. Ex quo tuo iure suspiceris eo tempore, quo *περὶ γυναικείων παθῶν* scripsit Soranus, *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* librum nondum fuisse conscriptum. Qui cum iam ante quam tractatum *περὶ γυναικείων παθῶν* publici iuris faceret, octo minimum scripta, quae in libro *π. γ. π.* laudantur, elaboraverit, videtur librum *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* provectiore demum aetate conscripsisse. Quocum bene illud quadrat, quod tot scripta antiquorum grammaticorum novit et in litteris graecis non mediocriter versatum sese praestat. Quodsi hariolari liceat, possit quispiam ad eam adduci opinionem, Soranum sub finem vitae medici officiis postpositis totum se arti grammaticae dedisse.

Conglutinavi igitur, quae in lexicis aliisque fontibus dirempta exstant, fragmenta, Meletium potissimum auctorem secutus neque anxie curans formam verborum Soraneorum; simul autem ad maiores, quos hoc modo effeceram, articulos lectores revocavi in singulis quae explicantur vocabulis ex ordine alphabetico enumeratis. In nonnullis longioribus paragraphis capitulisve lectorum commodo ita studui, ut minutis numeris additis, apud quem (praeter Meletium) grammaticum singulae paragraphi capitulive particulae legantur, significarem. — Amplissimae autem gratiae agendae mihi sunt Leopoldo Cohn, qui de multis locis quid iudicandum esset liberalissime me docere voluit.

---

1 ἀγγεῖον: v. ἔμβρυον.

2 ἀγκών: v. δάκτυλοι.

Amph. 743 *égone abs te* ‖ 747 *Égone ístúc* ‖ Asin. 899 *egone íllam?* ‖ Aul. 690 *Egone út* (*Egon* Nonius) ‖ Bacch. 375 *Égone ut* ‖ 489 *égone* ⟨*ut*⟩ *íllam* ‖ 806 *égone istúc dixí*[1] ‖ Capt. 135 *Egone íllum* ‖ Cas. II 3, 27 *égone in* ‖ V 4, 13 *égone?* § *haut méntire* ‖ Curc. 664 *égone? ut sémper* ‖ Epid. 574 *egone ósculum* ‖ Men. 162 *egone? íd* ‖ 198 *égone an* ‖ 559 *Egone híc* ‖ Merc. 761 *égone istúc* ‖ Mil. 685 *egone eám* ‖ 936 *egone hóc* (*ego ne* B, *ego nec* CD; cf. M. Warren l. l. p. 50) ‖ 962 *Égone ut* ‖ 1139 *egone árchitéctus* ‖ Most. 301 *Égone id* ‖ 1014 *Egone? át quidém* ‖ Poen. 149 *Egone ístuc* ‖ 333 *égone? in aédem* ‖ 428 *Egone, égone si ístuc*[2] ‖ Pseud. 1327 *egone eám* ‖ Rud. 1244 *Egone út* ‖ Trin. 378 *Égone indótatám* (A, *Ego* BCD) ‖ Truc. 312 *égone haec* (sic AB, *egone hic* CD) ‖ 441 *Egone íllam* ‖ 441 *égone íllí* ‖ Pers. 721 *Tíbine ego* ‖ Bacch. 477 *Ítane opórtet* ‖ Mil. 66 *Itane aíbant* (*Itane aiebant* A*, *Itane aleuat* D, *Itanea leuat* BC) ‖ 1278 *itane?* § *íta pol* ‖ Poen. 660 *Itane ílle* ‖ Rud. 747 *itane ínpudéns* ‖ Trin. 306 *itane ésse* ‖ Truc. 292 *Ítane erúbuistí.*

Bacch. 248 *Benene úsque*[3] ‖ 681 *ómnene?* § *óppidó* ‖

---

[1]) Hermann hunc uersum propter hiatum ita correxit: *Per súcophántiam?* § *égone dixi istúc?* § *itá*; sed cf. Amph. 747 *Égone istúc dixí?* ‖ Merc. 761 *égone istúc dixí tibi?* ‖ Poen. 149 *Egone ístuc aúsim fácere praésertím tibí?*

[2]) Sic codices secuti M. Warren l. l. p. 3 sq. et Goetz; nescio an tales uersus magis placeant: *Egone út non, si ístuc lépide ecféxis,* § *í modó.* § *Ut nón ego te hódie* § *abí modo.* § *émittám manú?* §

[3]) Dubito num Ritschl opusc. II 560 recte constituerit formas *benine, omnine, maline, uaenirine, iurine.* Nam alia ratio in *haece-ne*, alia e. g. in

Capt. 709 *málene id* ‖ Epid. 129 *Bénene usqué* ‖ Merc. 452 *uaenirene eám* ‖ Rud. 1069 *iúrene ánne* (*iure ne* B, *iure* CD) ‖ Truc. 369 *Benene ámbulátumst* (A, *Benen* BCD) ‖ Epid. 30 *ármane?* § *átque* ‖ Poen. 109 *cáptane. án.*

b) In solis anapaestis *hancíne* bis dimensus est Plautus ita, ut sequente uocali ante *-ne* particulam praecederet uocalis correpta, quae ictu rhythmico aucta est, Rud. 187 et 188, quos uersus Guilelmus Studemund sic constituit in scholis: 186[b] + 187[a]: *Me hoc órnatu órnatam in incertás regiónes tímidam eiéctam?* 187[b] + 188[a]: *Hancíne ego ad rém natám miserám memorábo? hancíne ego pártem* 188[b]: *Capio ób pietátem praécipuám?* Spengel „Reformvorschlaege" p. 328, quanquam alios constituit uersus, eundem ictum *hancíne* seruauit.

Plena igitur *-ne* restituenda est paucis locis: Asin. 884 *égon⟨e⟩ ut* ‖ Bacch. 196 *Egon⟨e⟩ út* ‖ 1190 *Egon⟨e⟩ úbi* ‖ Curc. 10 *Egon⟨e⟩ ápiculárum* ‖ 494 *egon⟨e⟩ áb* ‖ Merc. 154 *Égon⟨e⟩ ausím* ‖ Mil. 345 *egon⟨e⟩ íd* (*egon* A, *ego* BCD) ‖ 1276 *Egon⟨e⟩ ád* ‖ Most. 924 *Égon⟨e⟩ abs* ‖ Pseud. 516 *Egon⟨e⟩ út* ‖ Truc. 898 *égon⟨e⟩ atque* ‖ Curc. 422 *míhin⟨e⟩?* § *itá* ‖ Men. 868 *Míhin⟨e⟩ equís.*

Mil. 290 *tútin⟨e⟩?* § *égomet.*

Curc. 616 *Méan⟨e⟩ ancílla* ‖ Epid. 649 *sánan⟨e⟩ haéc* (*sanan* [*n* alt. ex *m* ras.] E) ‖ Men. 776 *sáluan⟨e⟩ árcessí* (*saluen* BCD) ‖ Truc. 285 *Núllan⟨e⟩ ístic múlier* (*Nullan mulier istic* A, *Nullã istinc mulier* B, *nulla istinc Mulier* CD).

Most. 925 *Quid? tibi únquam quícquam, póstquam túus sum, uérborúm dedi?* (*tibi numquam* B[2], *tibi umquam* B[1] CD), cum ex addito *quid?* interrogationis genus satis appareat, particula *-ne* omnino non desideratur. Merc. 323, quem uersum Ritschl ita restituit: *Hoc fácto dúcas?* § *égon te? ah, né di*

---

bene-ne est; *haece* sequente consona non inuenitur sed *haec*; *bene* et uocali sequente et consona dicitur, nusquam *ben* forma exstat; *haece* et *ne* artissime in unum uocabulum coniuncta sunt ita ut fiat *haecine*; in *benene* particula *-ne* affigitur uocabulo ei, quod accentum habet logicum ut sescenties. De *usquene* uide supra p. 12 sq., de *facilin* et *seruirin* cf. Corssen „Aussprache" I 323.

siuerint (*egone athene desiuerint* BD et nisi quod *dessiuerint* C), de uocabulo, quod post *egone* sequebatur, nihil certi statui potest.

Ex iis, quae supra de *egŏn* dicta sunt, apparet probabilius esse Asin. 810 *Sequere hác: egone haéc* ⟨*ut*⟩ *pátiar aút taceam? émori* cum Fleckeiseno *ut* inserere post *haec* quam Ussingium sequi, qui in adnotatione *egóne* ⟨*ut*⟩ *haec* proposuit.

B. Praecedente syllaba conclusa.

§ 1.

Ex permultis illis syllabis conclusis, quibus *-ne* particula affigitur, eae separatim tractandae sunt, quae desinunt in *-s* litteram. Nam cum satis constet *-s* litteram in fine uocabulorum post breuem uocalem positam, ubi syllaba ultima ictu rhythmico careret, tam debilem fuisse, ut saepe ne 'positionem' quidem efficeret, illud facile apparebit, multum interesse discriminis inter has syllabas, quae in *-s* desinebant, et eas, quarum finis quauis alia consona praeditus erat, quae euanescere non posset. Atque ut incipiamus ab iis uocabulis, in quibus *-s* littera sequitur

I.

uocalem natura longam,

ubi *-ne* affixa est, ex tali compositione prodiit:

1. forma simpliciter in *-n* desinens remotis *-s-* et *-e* litteris in uersibus his:

a) Formae uerbales (2. pers. singularis praesentis indicatiui) ictu in syllaba ultima destitutae sequente consona:

Cénsen Asin. 887 (*Cénsē* E, *Censen* J) || *hában* Trin. 964 || *iúben* Mil. 315 || *iuben* Amph. 929 || *spónden* Capt. 898, Trin. 1162 || *uíden* Capt. 557, 593, Epid. 221, Men. 828, Mil. 990, Most. 817, 829, 832 (cf. Studemundi Stud. I 275 sq.), Poen. 314, Rud. 1093 (cf. Studemund l. l.), Stich. 636 (*V(ide)n* A[s], *Vides* BCD), 637 (*Viden* A[s], *Vides* BCD) || *uidĕn* Mil. 1045 || *aúdin* Asin. 884, Capt. 592, 602, Epid. 400, Men. 909, 920, Merc. 953, Most. 821, Pers.

655, Poen. 408, 999, Pseud. 193, 330 || **scin** Amph. 356, 671, 1082, Aul. 47, Cas. II 8, 54, Men. 530, Mil. 398, 1162[1]), Most. 642 (*sint* B[1], *scin* B[2], *in* CD), Pers. 139, 154, Poen. 376, 438, 441, 1318, Pseud. 276, 1178, Rud. 382, 797 || **uin**[2]) Asin. 647, Cas. II 3, 54, II 8, 61, Merc. 722, 769 (*Vein* A, *Vin* BCD), Mil. 535, Pers. 666, Poen. 159, 161, Rud. 1328, Trin. 59.

Sequente uocali: **cénsen** Rud. 1269 || **iúben** Asin. 939, Capt. 846, Vid. fr. XX' || **spónden** Aul. 256 || **tácen** Pers. 533, Rud. 1399 || **uíden** Asin. 148, Bacch. 492, Curc. 188, 311 (*uiden ut* in *uide ut* correxit Pylades), Men. 646 (*uident* B[1]CD), Mil. 219 (*uident* B[1]CD[1]), Most. 1173, Trin. 847 || **uiden** Bacch. 1161, Curc. 93, 160, Pers. 812[3]), Poen. 979, Rud. 170 || **ábin** Amph. 518[4]), 857, Bacch. 1168, Cas. II 4, 23, Most. 850, Pers. 671 (*abisne* BCD), Trin. 989 (*Abhinc* BCD pro *Abin hinc*) || **abin** Aul. 660, Bacch. 1176, Trin. 457 || **aúdin** Amph. 755, Asin. 109, 750, Cas. III 5, 63, Poen. 406 (*audi* C), Pseud. 665,

---

[1]) Mil. 1162 Brix suo iure e contextu remouet pronomen *tu* codicibus traditum ita, ut fiat uersus talis: *Vólo § uolúptatém mecástor mi imperás. § scin quem ád modúm?* nam nusquam inuenitur *tu* post *scin*, ubi pendet ex uerbo sciendi pronomen aut aduerbium aut particula interrogatiua; cf. Amph. 356, 671, Aul. 47, Cas. II 8, 54, Men. 530, Most. 642, Pers. 139, 154, Poen. 376, 438, 441, 1318, Pseud. 276, 1178, Rud. 797; Bacch. 594, 1179, Men. 207, 677, Poen. 1167, Pseud. 538, 657, Rud. 773, 1216, Trin. 350; Aul. 307, Asin. 703; *scin* cum interrogatiuo pronomine sequente in unum tanquam compositum coaluisse uidetur simili modo ac *nescio quis,* de quo cf. Becker in Studemundi Stud. I 229. Alia est condicio Trin. 373, ubi propter accusatiuum interpositum: *Scín tu illúm quo génere gnátus sit?* pronomen *tu* admissum uidetur esse. cf. Studemundi Stud. I 283.

[2]) Hoc loco formam *uin* ex *uis-ne* addere liceat, quam longam *i* uocalem habere infra demonstrabo; quanquam homines docti de huius formae origine certa opinione uti non uidentur; cf. Corssen „Aussprache" II 247 adn.

[3]) Restituo codicum lectionem ita, ut fiat dimeter iambicus *Viden út tuis díctis páreó?* cf. Studemund de cant. Plaut. p. 40; Stud. I 273.

[4]) Codices praebent haec: *Cárnufex, non égo te nóui? ábin e cónspectú meó?* Mueller, ut hiatum uitaret, post *abin* adiecit *hinc.*

Trúc. 331 || *in* Bacch. 1185 (*in* CD, *isne in* B) || *rédin* Truc. 755 || *scin* Aul. 307 || *uin* Men. 614, Poen. 1115, 1226, Pseud. 522, Stich. 397, 486.

b) Formae uerbales ictu in syllaba ultima auctae sequente consona: *Censén* Aul. 309, 315, Merc. 461 || *habén* Mil. 72, Trin. 89, Truc. 680 (*habent* BCD) || *praebén* Pers. 792 [1]) || *ualén* Trin. 50 || *uidén* Bacch. 834, 1130, Capt. 304, Rud. 157, 869 || *abín* Merc. 756 || *audín* Asin. 116, 447, Bacch. 861, Men. 254, 310, Mil. 1057, 1222, 1313, Most. 622, Pers. 676, Poen. 1006 (*Audin* A[s], *Audi* BCD), 1155, Trin. 799 || *scín* Bacch. 594, 1178, Cas. II 6, 68, Epid. 207, Men. 207, 677, 947, Mil. 339, 1034, Poen. 879, 1167, Pseud. 538, 641, 657, Rud. 773, 1216, Trin. 350 (*scin* A, *scis* BCD), 373 || *uín* Amph. 769, Capt. 360, Cas. III 2, 14, Men. 141, Merc. 150, 462, 490, Mil. 335, 458, 978, 979, Most. 846, Pers. 587, 657, 803, Poen. 163, 308, 439, 1415, Rud. 1035, Truc. 924 || *possín* Merc. 518.

Sequente uocali: *audín* Asin. 598 (cf. Studemundi Stud. I 271 adn. 3) || *scín* Asin. 703 || *uín* Asin. 646, Curc. 313, Men. 653, Most. 309, Poen. 990, Pseud. 324, Stich. 736, Truc. 502.

2. Plenae in *-sne* formae rarius leguntur:

a) Formas ictu in syllaba paenultima destitutae sequente consona ne semel quidem occurrere consentaneum est. Sequente uocali: *stasne* Cas. III 6, 20 [2]) || *spóndesne* Poen. 1157 [3]) || *ualuíssesne* Amph. 715 ||

---

[1]) Ritschl scripsit *Lócus hic túus est: hic accúmbe. fér aquam pédibus. praében púere?* sed libri exhibent *ferte* et *praeben tu*; quare cum nusquam alibi Plautus in simili argumento dixerit de pedibus lauandis, sed de manibus (Most. 308, Pers. 769, Truc. 481), uersus ita restituendus est: *Lócus hic túus est, hic accúmbe. férte aquám. praebén tu, púere?*

[2]) *Stasne étiam? i sis. ego hic hábeo* i. e. dimeter anapaesticus catalecticus; sic fere A teste Studemundo.

[3]) *Spondesne? § spondeo* formula sollemnis uidetur fuisse similiter ac *spondes? § spondeo* (cf. Varro de l. l. VI 70; Dirksen, Manuale lat. font. iur. Rom., Berol. 1837; Trin. 502, 573, 575). *Spondes?* non inueni apud Plautum, sed praeter formulam sollemnem *spondesne* formulam quodammodo uulgarem *sponden* usurpabat poeta, quam supra quater enotaui.

formae nominales *séntisne* Capt. 188 || *díuesne* Bacch. 331 [1]).

b) Formae ictu in syllaba paenultima auctae: sequente consona: in clausula senarii iambici *déridésne* Curc. 18, 392 || in formulis sollemnibus *spondésne* Curc. 674, *ésne* Men. 1109 (*estne* B [1]), Pers. 581 (*estne* ABCD), Pseud. 616 || in enuntiatis interrogatiuis disiunctiuis, ita ut *-ne necne* usurpetur *sísne* Bacch. 400, *possísne* Cas. I 7, *emítterésne* Capt. 713 || formae nominales *bonísne* Trin. 1065, *uósne* Stich. 135. Sequente uocali: *negásne* Poen. 777 || *rogásne* Amph. 571 (cf. Spengel „Reformvorschlaege" p. 336) || in cantico *uidésne* Rud. 253 [2]) || in fine enuntiati sequente hiatu *habésne* Asin. 579 [3]) || formae nominales *másne* Rud. 104 || *Philolachésne* Most. 972 || *deísne* Pers. 26 || *publicísne* Trin. 331 || *hostísne* Trin. 102 || *meósne* Curc. 357, Truc. 925 || *eósne* Trin. 1020 || *uósne* Stich. 132.

Ex his autem, quos modo enumeraui, uersibus de syllabis longis in *-s* exeuntibus, quibus *-ne* affigitur, constitui possunt haec:

a) Ubi *-ne* adnexa est formis nominalibus, semper particula plena [4]) seruata est, sed saepius sequitur uocalis, rarius consona.

---

[1]) Hunc senarium Ritschl ita constituit: *Sed istíc Theotímus díuesnést? § etiám rogás?*, quae coniectura codicibus non comprobatur (*diuesne est istic theotimus* BCD); immo legendum uidetur esse paucis mutatis *Sed díuesne ístic Théotimúst? § etiám rogás?*; de accentibus *Théotimúst* cf. Bacch. 326, 335, 776. Nisi forte uocabulo *diues* tanquam monosyllabo uti licet (cf. Neue II 12; Mueller, Plaut. Pros. 308).

[2]) Rud. 253 Studemund codices secutus ita restituit, ut fiat tetrameter creticus acatalectus, quem excipit penthemimeres iambicum: *Séd quid hoc, óbsecrost? uíden, amabó, quid est, Fanúm uidésne hoc?*

[3]) Asin. 579 *Argénti uigintí minás habésne? § háriolàre;* de *-ne* in fine enuntiati posita cf. *rettulitne?* Asin. 444, *ueneritne?* Poen. 731, *uiuitne?* Capt. 282; de formula sollemni cf. Gai Instit. III 169 *habesne acceptum*, Digest. XLVI 4, 18 *haberetne a se acceptum.*

[4]) Quid quod forma in *-n* ne Stich. 135 quidem admissa est, quanquam hoc loco sine dubio non *uósne latrónes* sed *uón latrónes* audiebatur?

b) Ubi *-ne* accedit ad formas uerbales satis tritas, i. e. ad alteram personam singularis indicatiui actiui II aut IV coniugationis, ad formam *uis,* ad formam *possis,* 1. plerumque litterae *s* et *e* abiciuntur, 2. rarius plena in *-sne* forma seruatur, ubi ex metro aut ex consuetudine sermonis magis conueniebat (in clausula senarii iambici, in formulis sollemnibus, in enuntiatis interrogatiuis, disiunctiuis, ubi post *-ne* sequitur *necne,* ubi *-ne* in fine enuntiati posita est).

c) Quotiens *-ne* subsequitur alias formas uerbales, semper plena in *-sne* forma usurpabatur [1]), sed rarius sequente consona, saepius sequente uocali.

d) In formis illis breuibus uocalem ictu praeditam longam fuisse apparet ex uersibus Asin. 598 *Audīn hunc ópera ut lárgus ést* (cf. Studemund Stud. I 271 adn. 3) || Asin. 703 *scīn ut dícam* || Asin. 646 *uīn erúm delúdi?* || Curc. 313 *Vīn aquám?* || Men. 653 *uīn adférri nóctuám* || Most. 309 *uīn unguénta?* || Poen. 990 *uīn appéllem hunc Púnicé?* || Stich. 736 *Vīn amícam huc éuocémus?*

e) Valde dubitandum est de forma *uísne,* quae ter legitur sequente uocali Merc. 486, Most. 322, Trin. 1091; nam non est cur uerbi adeo triti in lingua Plautina, cuius formam *uin* tricies octies enotauimus, in tribus uersibus nulla sermonis aut rhythmi lege cogente seruauerit plenam formam *uisne*; accedit quod in his uersibus post *uisne* sequitur uocalis, ita ut nullo negotio *uisne* et *uin* inter se commutari possint; quin etiam Curc. 313 *uín aquám?,* Trin. 1091 *uísne aquám?* legimus; cf. Mueller „Nachtraege“ p. 100.

---

[1]) Pers. 42 *Qui ípsus sítiat. § sícine hoc té mihi fácere? § quid faciám? § rogás?* neglegentia scribae in codicem B[1] irrepsit forma *rogan* iam correcta in B[2], ubi aeque atque in reliquis codicibus recte *rogas* legitur; nam *rogan* abhorret ab usu Plautino; cf. Seyffert in Philologo XXIX p. 385 sqq.

Pseud. 1315 Studemund *auferen* in codice Ambrosiano legisse sibi uisus est, ubi uerba inuenit fere haec: *Quid hoc auferen pseudolum mihi abs tuo ero § luben|tissimo corde atque animo*; in B (atque item fere in CD) haec extant: *Quid hoc auferre nonpseudole apstuo ero. Lubentissimo corde atque animo.* Sed totus locus corruptior est, quam de quo certi quicquam constitui possit; cf. Lorenzii adn. crit. ad hunc uersum.

f) Ubi ictus aberat, illud constitui potest, certo correptam fuisse uocalem posterioris syllabae in formis iambicis *haben, iuben, uiden, abin, redin* (cf. Iahn in annal. philol. 1851, LXI 39, 40; Ritschl. Proleg. p. 165, 166; Lorenz adn. ad Most. 262), ita ut sequente consona collaqueatio adhiberetur, sequente uocali pro pyrrhichiis iis Plautus uteretur. Iure igitur Ritschl et Lorenz Pseud. 1163 *háben* pro *hábesne* scripserunt *Mílite ésset. § háben argéntum ab hómine? § rógitas quód uidés?* (*habes nergentum* B, *habesne argentum* CD).

g) Cum in lingua latina alibi nusquam *-s* littera euanuerit in fine syllabarum longarum — nam aliter intellegendae sunt *mirimodis*, *multimodis*, similes formae, cf. *omnimodis* — formas tales, qualis est *censen*, ita explicauerim: Cum *-ne* praecedente syllaba longa moram in schemate metrico explere uix posset (cf. supra A § 1 I p. 4 sqq.), usus cottidianus in sermone uulgari *cénsesne* e. g. ita mutilauit, ut fieret *cénsesn* et postea *cénsen*; quam formam *cénsen* cum in promptu haberet poeta, non dubitauit etiam *censén* sibi permittere, ubi metro conueniebat, interdum autem numeris coactus plenam in *-sne* formam restituit.

II.

Ubi *-ne* sequitur syllabam in *-s* exeuntem, quae habet uocalem natura correptam, 1) forma breuis in *-n* desinens legitur in uersibus his:

a) Syllaba ultima ictu destituta est et sequitur consona: *Cognóscin* Amph. 822, Poen. 1130 || *crédin* Capt. 961, Poen. 441 [1]) || *míttin* Truc. 756 || *pérdormíscin* Men. 928 || *pérgin* Capt. 591, Merc. 998, Poen. 433 (*pergin͘c* cum puncto supra *c* a manu prima A[s]), Pseud. 1300, Truc. 265 || *audítin* Pseud. 172 || *datin* Truc. 631 || *pérgitin* Pseud. 1249 || *scítin* Men. 1154 || *uidétin* Asin. 636.

Sequitur uocalis: *accípin* Pers. 412 || *dícin* Truc. 825 || *fúgin* Aul. 660 || *pérgin* Amph. 349 (*pergam* J), Cist.

---

1) *Lúdin* Pseud. 24. Ritschl in A *ludin me* legisse sibi uisus est (*ludis me* BCD), sed teste Studemundo *ludis iam* praebet Ambrosianus.

IV 1, 14, Curc. 196, Mil. 300, Poen. 434 || *réddin* Curc. 566 || *fatérin*[1]) Capt. 314 || *patiérin*[1]) Epid. 148 || *dátin* Curc. 311 || *habétin* Bacch. 269 || *properátin* Curc. 312 || *státin* Pseud. 1246 || *aliénun* Truc. 665 (*alienum* C) || *sánun* Bacch. 566, Cas. II 3, 16, Men. 818, Merc. 292, 489, Rud. 633, 1005, Truc. 364 || *abitúrun* Poen. 432 (sic A^s, *abiturusne* BCD) || *exspectátun* Amph. 679 (*expectatun* B, *expectastim* E, *expectatum* J, *expectatŭ ne* [*ne* eras.] D) || *missúrun* Cas. III 4, 20 (*missurunne*[2]) A^s, *missurus ne* BEJ) || *uísun* Merc. 202 (*uisunt* B, *uisum* CD) || *in*[3]) Merc. 598.

b) Syllaba ultima ictum habet sequente consona: *pergín* Asin. 477, Mil. 380 || *rerín*[1]) Bacch. 1127 || *dabín* Bacch. 883, Pseud. 536, 1078. Sequente uocali nullas huiusmodi formas inueni.

2. Plenae in *-sne* formae a) sine ictu in syllaba paenultima; sequitur consona: *Ópusne* Mil. 464 || *príusne* Mil. 1005, Truc. 694 || *tríbusne* 1017. Sequitur uocalis: *benígnusne* Truc. 34 || *cáptusne* Pers. 644 || *relíctusne* Truc. 418 || *málusne* Pers. 371 || *rátusne* Mil. 558 || *ípsusne* Trin. 987, 988 || *loquitátusne* Bacch. 803 || *ópusne* Mil. 663, Pers. 584 || *séruosne* Amph. 343[4]) (*seruusne* BDEJ), Capt. 270, Pseud. 610 || *cíuisne* Merc. 635 || *túusne* (BCD) Rud. 1052 et 1361[5]).

b) cum ictu in syllaba paenultima; sequitur consona: *moléstusne* Truc. 720 in metro bacchiaco. sequitur uocalis: *dabísne* Pseud. 117 || *datísne* Asin. 712 ||

---

[1]) Formas *fatérin, patiérin, rérin* ex *fatéris-ne, patiéris-ne, réris-ne* ortas esse, non ex *fatére-ne, patiére-ne, rére-ne* apparet ex A § 1 II; nam ex forma *rére-ne* e. g. exspectatur *rérene* uel *rérine* non *rérin*; cf. *úsquene*.

[2]) In codice archetypo formae in *-n* exeunti saepius *-ne* particula superscripta uidetur fuisse; cf. *satinne* Pseud. 1321 A, *potine ne* Men. 466 CD^1, *potinne* D^3, *potinne* Merc. 441 B, *tibin egon* Trin. 515 A.

[3]) *ĭn* i. e. *ĭsne* Merc. 598 *Séd in est, quém curréntem uídeo* (*Sed inest* BC, *sedi nē* D).

[4]) Amph. 343 Ussing et Goetz scripserunt *Séruos ⟨és⟩ne an liber?*, sed ex Pseud. 610 apparet legendum esse *Séruosne ⟨és⟩ an liber?*

[5]) Rud. 1054 *Túus hic* legitur in BCD; *Tuun hic* Fleckeisen.

edísne Trin. 473 || *uiuísne* Rud. 243 [1]) || *uoltísne* Curc. 90 || *ísne* Capt. 987 || *Díniarchúsne* Truc. 122.

Hi uersus docent Plautum etiam, ubi syllabis breuibus in -*s* desinentibus -*ne* particulam affigeret, certis legibus usum esse his:

a) Quotiens ad formam uerbalem in -*ĭs* exeuntem aut ad pronomen *is* accessit uocula -*ne* 1. ubi syllaba ultima ictu caret, semper *s* et *e* abiciuntur; tres repugnant uersus, in quibus breuem formam restituendam esse censeo Aul. 643 *Fácin iniúriám mihi án non?* (*Facisne* BDEJ; cf. Mueller Pros. Plaut. p. 111), Most. 660 *dícin hóc quod té rogó?* (*dicisne* BCD), Stich. 612 *Íbin ad cenám forás?* (*Ibisne* ABCD); 2. ubi syllaba ultima ictum habet, *α*) sequente uocali plena in -*sne* forma seruatur [2]), *β*) sequente consona breuis forma praestat; *dicín* igitur scribendum est admissa forma bisyllaba *mihi* Pers. 281 *Dicín mihi úbi sit Tóxilús?* (*Dicisne mihi* ABCD).

b) Quotiens -*ne* affigitur ad syllabam -*us* alterius quae uocatur declinationis, utraque forma locum uidetur habuisse, illud tamen monendum est, sequente consona unam in -*usne* formam extare *moléstusne* in bacchiaco metro.

c) Reliqua nomina omnia semper plena -*sne* forma insignia sunt; atque adeo *ópusne léni* scribitur, quanquam certo *ópune léni* audiebatur.

d) Rarissime -*ne* legitur sequente consona, saepius ante uocales.

e) Nunquam inuenies e. g. *credine*, sed *credin*. Itaque constat -*s* non potuisse euanescere, priusquam *e* esset abiecta; nam si ex *crédisne* prodiisset *crédine*, certo *e* littera

---

1) Rud. 243 *Díc, uiuísne? óbsecrò § Studemund* in scholis codices secutus.

2) Trin. 952 legitur in codicibus *Nouerisne hominem? § ne tu me edepol arbritrare beluam*; Ritschl, ut numeris satisfaceret, *edepol me* scripsit pro *me edepol*. Nescio an rectius seruato uocabulorum ordine scribatur *Nórin hóminem? § né tu me édepol árbitráre béluám?*; cf. *norit* pro *nouerit* Poen. 874, Pers. 132; Neue II 509, 532.

non remota esset (cf. A § 1 II). Immo ex *crédisne* ortum est *crédisn,* ex *crédisn* deinceps *crédin.*

f) Quamuis hoc certum sit, tamen nusquam suppletoria syllabarum productio inuenitur talibus in formis, sed contra syllabam ultimam correptam esse ueri est simillimum; cf. *Accĭpĭn argéntum* Pers. 412, *Fŭgĭn hinc* Aul. 652; in clausula senarii iambici *sánŭn és* Merc. 292, Truc. 364, *abitúrŭn és* Poen. 432; in clausula septenarii trochaici *sánŭn és* Rud. 1005. Idem apparet ex eo, quod tam debiles erant hae syllabae, ut sequente uocali ictum ferre non possent, sed tantum sequente consona positione productae[1]).

III.
ain et *dan.*

1. Cum *ais* deriuandum sit ab *aio* (siue *aiio*), *aiis, aiit,* illa *i* uocalis in *ais* et *ain* natura potius longa quam breuis Plauti aetate uidetur fuisse, qua de re ex metro nihil certi concludi potest. Separatim igitur de *ain* forma agam. Quam semper monosyllabam fuisse censeo, cum Amph. 284 et 344 aliquid intercidisse ueri sit simile collatis ceteris locis omnibus. Saepius in codicibus *ain* scriptum est pro *an*; cf. Langen „Beitraege" pag. 119. Recte *ain* legitur in uersibus his: a) sequente consona: *aín* Most. 974; *aín tu* Asin. 485, 851, Aul. 186, Cas. II 6, 45, Curc. 323[2]), Epid. 699, 717, Most. 964, Pers. 29, Poen. 961, Truc. 194; *aín tu uéro* Truc. 306; (*aín* ⟨*tu*⟩ *uéro* Amph. 344; *aín* ⟨*tu*⟩ *uéro uérberó* Amph. 284); *aín tu tándem* Trin. 987 || *ain tú* Most. 383, 642; *ain uéro* Asin. 722; *ain uéro uérbereúm capút* Pers. 184; *ain tándem* Asin. 901, Aul. 299, Truc. 608. b) sequente uocali: *aín* Amph. 799, Pers. 491 (cf. Spengel „Reformvorschlaege" p. 389), Rud. 1095; *ain* Aul. 538.

2. Dubitari uix potest quin forma *dán* (ex *dasne*) referenda sit ad ea uerba, quae ante *-s* in syllaba ultima breuem habent uocalem; sane uerbi *do, dĕdi, dătum, dăre*

---

[1]) Pseud. 238 *pérgin* ipsum finem septenarii anapaestici explet; sed spurius est uersus; cf. Lorenz adnot. crit. et Philol. XXXV p. 161.

[2]) cf. infra pag. 40.

perfectum, supinum, infinitiuus demonstrant hanc *a* litteram in prisca latinitate breuem fuisse.

Dan legitur in uersibus tribus Asin. 671 *dán quod óro?* (*dant* BDE, *da nunc* J); Truc. 940 *Dán tu mihi* || Truc. 373 *Dan sáuiúm?* (*Da* A, *Dant* BCD).

§ 2.

Satin et *potin*.

Sequitur ut de *satin* et *potin* formis uerba faciam. Quae quanquam eodem modo ex *satisne* et *potisne* ortae uidentur esse atque illae, quas pag. 25 sqq. enumeraui, aptius ab iis separabuntur, quoniam latissime patet *satin* et *potin* formarum usus apud Plautum; et profecto sunt loci perpauci, ubi formae *satine* et *potine*, cum codicibus commendentur, prima specie iis repugnare uidentur, quae supra exposita sunt. Qua ratione formae *satine* et *potine* explicari possint, infra dicetur in fine huius paragraphi.

I. Formae *satin* et *potin*

(non addita -*e*) leguntur in uersibus his:

a) sequente consona, 1. sine ictu in syllaba altera: Cas. II 2, 34 *Satin sána's?* (cf. A. Spengel „Reformvorschlaege" p. 355) || V 2, 19 *satin mórigerást?* (cf. A. Spengel l. l. p. 363) || V 2, 23 *satin lépide aditást uobís manus?* (cf. Aul. 378, Poen. 457, 462, Pers. 796), quanquam de metro parum constat || Men. 510 *Satin sánus és?* || Merc. 337 *Satin quicquid est quám rem agere óccepi* (cf. A. Spengel l. l. p. 376) || Pers. 23 *Satin tu úsque uáluisti?* (*Satin* AB CD et Seruius) || Truc. 553 *Satin sí quis amát* (cf. Rud. 1193) || Curc. 246 *Potin cóniectúram fácere* || Pers. 175 *potin né moneás?*

Amph. 579 *sátin disérte* || Mil. 1173 *sátin praecéptumst?* || Most. 254 *sátin conpósitust* (*satin* Nonius, *satis* BCD; cf. Becker in Studemundi Stud. I 168) || 282 *sátin sic* ⟨*mé*⟩ *deceát* (sic Studemund l. l. I 167, *haec deceat* BCD) || Pseud. 194 *sátin magníficus tibi uidétur?* (*satin* ABCD) || Poen. 1089 *§ pótin tu fieri súbdolús?*

2. Rarius syllaba altera ictu insignis est: Amph. 604 *satín tu sánus és?* || 633 § *Satín parua rés est* || Cas. III 4, 8 *Satín proptér te péreo* (*Satin* ABEJ) || Merc. 682 § *Satín tu sána's, óbsecró?* || Rud. 1193 *Satín si quoi hómini* || Trin. 454 *Satín tu sánu's* (*Satin* ABCD²).

b) sequente uocali (sine ictu in syllaba altera): Bacch. 1198 *satin óffirmátum* || 1202 § *Satin égo istuc hábeo offirmatúm?* || Cas. II 4, 24 *satin ómnes rés sunt* || II 8, 52 *Satin ástu?* || Men. 602 *satin aúdis* || Mil. 393 § *Satin éadem* (*Satin* ABCD) || 481 § *Satin ábiit ílle* (*Satin* ABC) || Most. 76 § *Satin ábiit* || Pers. 305 *Satin éa tenés?* § (*Satin ea* BCD, *Satíne* uix recte A, cf. infra p. 32) || Pseud. 1321 *satin últro et argéntum aufért et me ínridét?* (sic ABCD teste Studemundo, nisi quod A pro *satin* aut *sati(nme)* habere uidetur aut *sati(nne)*, et quod BCD *statim* exhibent; cf. A. Spengel l. l. p. 407) || Stich. 271 *Satin út facéte* (*Satin* BCD, *Stat* A) || Cas. III 6, 10 § *potin á me abeás?* (*potin* ABEJ) || Epid. 63 § *Potin út moléstus né siés?* || Pers. 175 *Potin út taceás?* (*Potin* ABCD) || 287 *Potin út moléstus né siés?* (*Potin* ABCD) || 297 *potin ábeas?* (*potin* ABCD) || Pseud. 235 *potin áliam rem út curés?* || 264 § *Potin út semél modo* (*Potin* ABCD) || 940 § *Potin út taceás?* (*Potin* ABCD).

Amph. 509 § *Sátin habés si féminárum* || 579 *Sátin hoc pláne* || Bacch. 491 *Sátin ut quém tu habeás fidélem tíbi aut quoi crédas nésciás?* [in A aut *Sati(ne uti) q(uem) tu* aut *Sati(sne ut) q(uem) tu* uidetur exstitisse] || Capt. 446 *Sátin habés mandáta quaé sunt* (*Satin* BDEJ) || 638 *Sátin istúc mihi éxquisítum* (*Satin istuc* B, *Satin* **istuc*? E litteris *ati* in rasura scriptis, *Satine* [omisso *istuc*] J) || Cist. II 1, 33 *Sátin istúc tibi in córde cértumst?* (*Satin istuc tibi* ABJ, *Satin tibi* (haec uox erasa est) *istuc tibi* E) || Epid. 634 *Sátin ego óculis* (*Satin* ex *Satim* potius quam ex *Satine* per rasuram in B effectum uidebatur Studemundo) || Men. 181 *Sắtin ut ócc⟨a⟩ecátus⟨t⟩* || 319 § *sátin hoc quód uides* || 621 et 655 *sátin hoc ést tibi?* || 945 *Sátin haec pró sanó maledícta* || Mil. 999 § *sátin haec quóque* || Most. 389 *Sátin habés si ego* || 650 *sátin intéllegis?* || 831 § *Sátin habés?*

(*Satin* AB^2CD) || Pers. 18 *Sátin ergo éx senténtiá?* (*Satin* ABCD) || 183 § *Sátin haec tíbi sunt* (*Satin* ABCD) || 183 *sátin haec méministi* (*satin* ABCD) || 549 *Sátin Athénae tíbi sunt uísae* (sic A, *sunt* om. BCD) || 658 *Sátin ut méminit* (*Satin* ABCD) || Poen. 171 *sátin intéllegis?* (*satin* BCD) || 1299 *Sátin ego óculis cérno?* (sic BCD, nisi quod *Statin* D; *Satin oculis ego cerno* uerbis transpositis A; cf. infra Trin. 1071) || Pseud. 166 *sátin audís?* (cf. A. Spengel l. l. p. 397) || Trin. 925 § *Sátin intér labra* || 1013 *sátin in thérmipólió* (*satin* B, *sat* CD) || 1071 *Sátin ego óculis pláne uídeo* (sic fere BCD; A *Satin oculis ego plane*, cf. supra Poen. 1299) || Amph. 903 *pótin ut ábstineás manúm?* (*potin es ut* B, *potine·st ut* D, *potin est ut* J, *potui est ut* E) || Bacch. 751 *pótin ut cúres te* || Men. 606 *Pótin ut míhi moléstus né sis?* || Merc. 495 *pótin ut áliud cúres?* (*potin* ABCD; ceterum pro *aliud* [ita BCD] A habet *aliquid*, quae lectio nescio an praeferenda sit) || 890 *Pótin ut ánimo sís tranquíllo?* || Most. 396 *Pótin ut ánimo sís quiéto* (*Potin animo ut sis* perperam BCD) || Poen. 916 *Pótin ut táceas?* || Pseud. 393 *pótin ut ábeas?* (*potin ut habeas* ABCD) || Rud. 425 *pótin ut me ábstineás manum* (sic BCD) || Trin. 628 *Pótin ut me íre* || Truc. 897 *Pótin ut míhi molestus né sis?* (*Potin es ut* BCD; at cf. Men. 606, Epid. 63, Pers. 287).

Apparet debiliorem fuisse uocabulorum *satin* et *potin* syllabam alteram, quam quae sequente uocali ictum rhythmicum ferre posset; quid quod *potin* ne tum quidem, ubi consona sequitur, ictu feritur in syllaba altera. Neque magis illud casui tribuerim, quod et *satin* et *potin* multo saepius obuiam fiunt ante uocabula, quae incipiunt a uocali, quam ante consonas (56 : 20).

II. Formae *satine* et *potine*

codicum consensu commendantur in uersibus his:

a) sequente consona: Most. 1109 *probe Mé⟨d⟩ emúnxti.* § *uíde sis, sátine récte: núm mucci fluónt?* (*emunxit* B[1]; *emu^n xit* C, *emuncxit* D, *emunxisti* B^2; *sis satin erecte* B,

si satin erecte CD) || Poen. 919 *Sátine prius quam unúmst iniéctum télum, iam instat álterúm* (sic A; *unum si inlectum* BCD, *tam* BCD, *iterum* BCD) || cf. etiam, quae pag. 30 de codicis J lectione ad Capt. 638 et de codicis A lectione ad Pers. 305 adnotauimus.

b) sequente uocali: Mil. 574 *Ita fácere cértumst. séd satine óratú's? § abi §* (*certum est sed satine oratus* A, *certum esset satine oratus* B¹CD¹, *certum est satine oratus* B²D³, *certumst. satin e⟨x⟩oratu's* Ritschl) || 1134 *Satine út Commóditas úsque quáque me ádiuuát?* (*Satine* ABCD).

Bacch. 509 *Sed sátine ego ánimum ménte sincerá geró* (*satine* ABCD¹, *satin* D³) || Epid. 666 *Sátine illic homo* (*satine* BEJ; utram formam A habuerit, dici nequit) || Men. 522 *sátine* (sic BCD teste Studemundo) *ut quémque cónspicór.*

Men. 466 *Potine út quiéscas* (*P otine////ut* B, in rasura uidetur *ut* fuisse, *Potin ne ut* D³, *otine neut* CD¹) || Merc. 779 *Potine út moléstus né sis?* (*potine* ABCD).

Merc. 441 *Pótine ut né licitére* (*Potine* CD, *Potinne* B) || Mil. 926 *§ pótine ut hóminem Mihi dés?* (*potine* BCD) || Cf. etiam quae supra pag. 31 ad Amph. 903 et ad Truc. 897 adnotauimus.

Quodsi comparaueris magnam illam formarum *satin* et *potin* copiam cum exiguo numero (11) eorum uersuum, in quibus *satine* exstat uel *potine*, num uersus Most. 1109 et Poen. 919 recte traditi sint dubitabis; nouem illos uersus, in quibus *satine* uel *potine* uocalem praecedit, minoris ac paene nullius momenti esse consentaneum est. At Most. 1109 si quis haec temptet: *Mé⟨d⟩ emúnxisti. § uide sís, satin récte: núm mucci fluont?* (collatis de forma *emunxisti* iis, quae tradita sunt in codicibus Most. 1110), numeros Plautinos uitiet; atque *sátin⟨e⟩ récte?* legitur apud Terentium Andr. 804.

Ac ne Poen. 919 quidem mensuram *Sátin priús quam unúmst iniéctum* commendauerim, siquidem *prius* apud Plautum bisyllabum non est nisi in clausula senarii iambici aut

septenarii trochaici (et semel in pede quarto senarii iambici in prologi parte Pseudo-Plautina)[1]).

Itaque plerumque quidem *satin* et *potin* formis usus est Plautus, quae ex *satisne potisne, satisn potisn* ortae uidentur esse; rarissime idem *satine potine* formis usus uidetur esse, quae ex *sat(e)-ne pote-ne* non secus oriri potuerunt quam illae, de quibus supra p. 10 sqq. egimus; cf. etiam Dziatzko ad Terent. Phorm. 210. Illud tamen cauendum esse sequitur, ne inuitis codicibus forma *satine* fabulis Plautinis obtrudatur.

Itaque recte nuper Brix Capt. 653 Fr. Schmidtium secutus edidit: *Sátin me illi⟨sce⟩ hodié scelésti cápti céperúnt doló?* (*Sátin⟨e⟩ me ílli* Brix olim; *Santin* B, *Satin* EJ).

Cist. I 3, 2 ipsum metrum flagitat formam *satin*, non *satine* (sic BEJ): *Satin uix relíquit deó quod lóqueretúr loci?*

Proceleusmaticum Ritschl ut remoueret, Stich. 517, qui in ABCD talis est: *Ín hunc diém. sed sátin ego técum pácificátus sum, Ántiphó?* § (inter *SED* et *SATIN* in A[s] una littera antiquitus expuncta extat, quae *I* potius quam *T* uidetur fuisse) scripsit: *Ín diem húnc. sed sátin ⟨e⟩ técum pácificátus sum, Ántiphó?* § Ac de *satin ego* dubitari posse

---

[1]) *prius* bisyllabum est in fine senarii iambici: Aul. 115, 336, Cas. II 8, 12, Cist. II 3, 4. 43, Bacch. 221, Men. 43, 873, Merc. 297, 299, Mil. 96, Most. 539, 611, 1006, Pseud. 119, 524, 896, Rud. 455, 460, Stich. 417; in pede quarto senarii iambici: Poen. prol. 93; in fine septenarii trochaici: Asin. 213, 360, Epid. 537, Men. 681, Pers. 240, Pseud. 331, Rud. 1055, 1063, Trin. 854, 1141, Truc. 780.

Restituendi igitur sunt Hermanni accentus contra Ritschelii opinionem Bacch. 382 *Núnc prius quám malum ístoc áddis.* Item restituenda est codicis B lectio Poen. 790 *Prius quam hínc optórtó cóllo ad praétorém trahór?* (ubi *hinc* cum CD uulgo omittitur). Item seruanda est uerborum collocatio quae extat in codicibus Asin. 141 *Quaé prius quam ístam adii átque amáns ego ánimum méum isti dé⟨di⟩di.* Sane peior est Fleckeiseni lectio haec: *Quaé priús quam ego ádii istam átque amáns meum ánimum istí dedí.* Neque multo magis placet mihi Langeni coniectura scribentis (ex parte cum Fleckeiseno) *Quaé priús quam ad ístam adii átque amáns* etc. — Incerta est memoria tetrametri bacchiaci ab Hermanno Most. 867 sic conficti: *Malám rem priús quam ut meúm ⟨tergum ⏑́ –⟩.*

concedo, *hunc* autem ante *diem* collocandum esse supra demonstraui pag. 9, ita ut *Ín hunc diém* per collaqueationis artificium pronuntiandum esse constet.

Pers. 465 nescio an *estis* glossemate aliud expulsum sit uocabulum, ueluti *intus*, ita ut uersus fuerit talis: *Sed sátin intús meditáti? § trágici et cómici* (*Set sátin⟨e⟩ méditati éstis?* Ritschl, *Sed sátin estís meditáti* BCD): cf. Mil. 612 *quod intus meditati sumus;* de ictu in *intús* posito cf. Men. 218, 352, Mil. 1256.

Pseud. 935 in cantico scribendum uidetur inusitata uerborum collocatione: *Séd uide ornátus hic mé satin cóndecet?* (*me sa*(*tin con*)*decet* probabilius paulo est in A[s] fuisse quam *me sa*(*tis con*)*decet*; *me satis condecet* BCD, *satin⟨e⟩ me condecet* Ritschl).

Unus Trin. 1177 nunc feliciter emendatus circumferri uidetur: *Béneuoléns tuos átque amícus. § sátine sáluae? díc mihí* (*amicus est* B, *amicumst* CD; *satinst salue* B, *satin est salue* CD, *satin salue* Donatus, *satin saluae* Camerarius, *satine salue* Gruterus).

Sane quidem Terentius in Eunucho 978 scripsit: *sátine sáluae? díc mihí* (*satine* ABD, *satin* CEFP et Donatus).

§ 3.

Restat ut dicam de *-ne* particulae prosodia, ubi affigitur syllabis, quae desinunt in consonas *c, d, l, m, r, t, x.*

In his formis propter linguae latinae leges fieri omnino non potuit, quin plena *-ne* particula seruaretur.

I. Itaque *-ne* pronuntiatur sequente consona: *necne* Cas. I 7, Epid. 322, 462, Mil. 1051 (*sit nec ne sit* CD, *si nec sit* B; scribendum fortasse *sit nec sit*), Pers. 78, Pseud. 451, Trin. 850 ‖ *idne* Epid. 107 ‖ *quodne* Curc. 705, Mil. 614 ‖ *nilne* Amph. fragm. VIII, Asin. 933, Pers. 424 (*nihilne* A, *nihil ni* BCD), Pseud. 308 (*nihilne* ABCD) ‖ *etiamne* Pseud. 1178 (sic BCD; A[s] perperam habet: *Scilicet § e*(*ti*)*am fa*(*cere soli*)*tunst § scin quid loquar*) ‖ *iamne* Cas. II 6, 64 ‖ *sumne* Pers. 474 ‖ *caruitne* Curc. 17 ‖ *fertne* Bacch. 322 ‖ *habuitne* Trin. 330 ‖ *licetne* Mil.

521, Vid. III 2 || *paenitetne* Truc. 533 || *rettulitne* Asin. 444 || *sitne* Epid. 322, Pers. 33 || *ueneritne* Poen. 731 || *uenitne* Bacch. 247 || *tenaxne* Capt. 289.

II. *-ne* scribitur et *-e* hauritur sequente uocali: *necne* Bacch. 400, Capt. 283, 713, Merc. 457, Trin. 850 (testibus Palatinis) || *quodne* Merc. 573, Rud. 1231 || *nilne* Bacch. 315, Pseud. 78, Truc. 542 (*nihilne* CD, *nihil nec* B) || *ausimne* Merc. 301 (*aussimne* A)[1]) || *certumne* Capt. 732, Merc. 461, Poen. 496 (*certumnest* A), Stich. 141, 482 (A), 613 (*certumnest* A) || *eademne* Bacch. 421 || *eamne* Epid. 518 || *Epidicumne* Epid. 4 || *erumne* Aul. 812 || *etiamne* Asin. 40, Aul. 304, Bacch. 567, Cas. III 5, 50, V 4, 8, Men. 697, 710, Merc. 751, Most. 272, 522, 937 (A), 938, Poen. 281, 431, Rud. 467, 846, 1275, 1277 || *iamne* Amph. 485, Aul. 819, Bacch. 203, Cas. II 8, 67, III 3, 15. 16, IV 2, 15, IV 4, 13, Curc. 50, 132, 214, Men. 333, 441, 550, 876, Merc. 791, Mil. 1400, Most. 991, Pers. 50, Poen. 116, 678, 1410, Pseud. 380, 1064, 1126, Rud. 584, Stich. 251, 456, 632, Truc. 634 || *illamne* Merc. 203 || *ingenuamne* Mil. 784 || *itidemne* Stich. 350 (*eademne* [non *itidemne*] *censes esse* A^{s}, *itidem esse censes* BCD; *itidemne esse censes* Ritschl) || *meamne* Bacch. 842, Mil. 488 (A) || *meretricemne* Bacch. 839 || *nostramne* Trin. 512 || *nullumne* Capt. 154 || *numquamne* Asin. 169 || *parumne* Merc. 692 || *quamne* Bacch. 257, Cist. IV 2, 6, Epid. 719 || *quemne* Mil. 13, Rud. 1019 || *sodalemne* Bacch. 501 || *soleamne* Men. 919 || *Spemne* Pseud. 709 || *strictimne* Capt. 268 || *sumne* Bacch. 91, 623, Cas. II 4, 24, Men. 852, Merc. 588, Mil. 1345, Most. 362, Pers. 75, Pseud. 908, Rud. 865, 1184 || *uirginemne* Stich. 119 (A) || *blanditerne* Pseud. 1290 || *reddeturne* Most. 580 || *accepitne* Bacch. 250 || *amatne* Epid. 6 || *conueniebatne* Pseud. 1181 || *doletne* Pseud. 154 || *egetne* Trin. 330 || *essetne* Capt. 714, Trin. 178 || *estne* Amph.

---

[1]) Ceteris locis (Most. 923, 924, Poen. 1358) Studemund me docuit *ausim*, non *aussim* in A scriptum esse, itemque spatium in A sufficere Bacch. 697 ad *ausit* formam capessendam.

780, Asin. 54, 585, Bacch. 534 bis, 986, 1023, Capt 74, 788, Cist. II 1, 15, Curc. 230, 275, Epid. 471, 538, 622, Merc. 866, Mil. 169 (A), 416, Most. 310, Pers. 225, Poen. 797, 1299, Rud. 334 bis, 1130, Trin. 404, 432, 1071, Truc. 189, 309 || *facitne* Amph. 526 || *foetetne* Asin. 928 || *fuitne* Capt. 633, Trin. 106 || *licetne* Pseud. 16 (*Licet me id scire* BCD, *Licet me scire* A[s]), 254, Cas. II 8, 20, Curc. 401, Mil. 501 || *peperitne* Truc. 504 || *scitne* Pseud. 745 || *sitne* Aul. 65 (*estne* BDEJ, *sitne* Pylades, cf. Becker in Studemundi Stud. I 195), 800 || *suntne* Capt. 281, Rud. 719 || *ualeatne* Curc. 19 || *ualetne* Truc. 190 || *uelintne* Most. 681 || *ueneritne* Poen. 181 || *uenitne* Pseud. 1067, Truc. 931 || *uiuitne* Capt. 989.

Aul. 430 scribendum esse *quid tú, malúm, cúras, Utrúm crudúm⟨ne⟩ an cóctum edím, nisi tú mihi's tútor?*, non cum Guyeto *Utrúm ⟨ne⟩ crúdum an*, intellexit Studemund de cant. Plaut. pag. 32. Etenim nusquam apud Plautum forma *utrumne* legitur [1]; cf. Bacch. 75, 500, Capt. 268, Mil. 345, Most. 681, Poen. 1416, Pseud. 709, Rud. 104, Stich. 703, Trin. 306.

Neque magis *utramne*, quod ex Bothii prodiit coniectura, tolerari uidetur posse Bacch. 588, sed ad fidem codicum BCD cum hiatu scribendum esse puto: *Bacchidem § utram érgo? § níl sció nisi Bácchidém.* Etenim in *utramne* duo interrogationum genera coniungerentur, interrogatio nominalis *utram* cum interrogatione uerbali *-ne*; quod quantopere abhorreat ab usu Plautino, intellegitur cum ipsa ea re, quod nunquam inuenitur *utrumne* sed *utrum .... -ne*, tum haec exempla docent: Men. 1119, Stich. 118 sq. (A), Trin. 228 sqq.

Efficitur autem ex iis, quos modo enumeraui, locis idem, quod supra apparuit, Plautum aliquatenus cauisse, ne particula *-ne* praecedente syllaba longa moram in uersu expleret. Nam si comparauerimus initia uocabulorum Plau-

---

[1]) Cf. Lorenz ad Most. 666, Brix ad Capt. 256, Holtze Synt. II 271, Draeger Synt. I 347, Hand Turs. IV 80, Hellmuth Act. Erlang. I 134.

tinorum, ut intellegamus, qualis sit inter uocales et consonas litteras condicio, inuenimus haec:

E. g. in Epidici actu I initium capiunt			*-ne* supra enotauimus		
ex uocabulis	a consona	a uocali	locis	ante consonas	ante uocales
1338	854	484	200	33	167
100	64	36	100	16	84
	3 : 2			1 : 4	

C. De apostropho et de aphaeresi.

Restat, priusquam de particulae *-ne* prosodia disputationis finem faciam, ut addam nonnulla de apostropho, qua quin ualde abusi sint Plauti editores dubitari non potest. Iam uero consentio cum eis, quae Ritschl docuit prol. ad Trin. CVII, nullius omnino momenti esse notas grammaticorum Diomedis, Prisciani, Donati, Maximi Victorini, qui apostrophum constituerunt ad Vergilii uerba Aen. X 668: *tanton' me crimine dignum.* Vergilii enim aetate particula *-ne,* cuius forma plena apud Plautum et in lingua uulgari debilis et rarius usitata erat sequente consona, postea in ea latinitate, quam auream et argenteam nos uocare solemus, ita aucta et firmata est, ut et apud prosae orationis scriptores et apud poetas plena *-ne* forma aeque usurparetur sequente consona ac sequente uocali. Quo magis Vergilii licentia, qui *tanton* pro *tantone* scriberet, grammaticis digna uideri poterat, quae ipsa apostropho significaretur; cf. Kuehner „Ausfuehrl. Gramm.“ I (1877) pag. 86.

Quae nota in priscorum scriptorum operibus, ubi agitur de particula *-ne,* prorsus omittenda uidetur esse.

Neque de aphaeresi uocularum *es* et *est* praecedente particula *-ne,* quam proposuit Ritschl prol. ad Trin. CVII, cogitari potest. Nam ueri non est simile *e* litteram uocularum *es* et *est* excidisse ita ut *-e* particulae *-ne* ictu feriretur, quia hoc *-e* tam tenuiter sonabat, ut praecedente syllaba longa moram in uersu explere uix posset. Itaque minime scribendum est e. g. *Tuné's adiútor*, sed *Tun és adiútor.*

Ubicunque autem praecedit ante *es* aut *est* syllaba breuis, plenam et in *-ne* exeuntem formam commendauerim, nisi quis duo uocabula in unum coniungere maluerit, e. g. *hicinest* pro *hicine est*. Contra ubi post *satin* aut *potin* sequitur *es* aut *est*, ipsis codicibus breuis forma sine *-e* postulatur. Qua de causa in contextum recipienda sunt haec: 1. *tun és* Asin. 57, Pseud. 1010 || *tún es* Capt. 1021, Pseud. 607, 978, Rud. 1055 || *dómin est* Merc. 130. 2. *sánane és* Amph. 929, Cist. IV 1, 14, Curc. 654, Men. 394, 733 || *éane est* Mil. 532, 534 || *uísane ést* Mil. 462 || *núptane ést* Mil. 965 || *ítane est* Pers. 220 bis || *hícine est* Pers. 830, 845, 846 || *hicine ést* Epid. 541, *hicine* ⟨*ést*⟩ Pers. 544 || *haécine ést* Epid. 621, Rud. 1143 || *hócine ést* Merc. 356 || *istúcine ést* Merc. 620 || *íllicine ést* Pseud. 954. 3. *sátin est* Mil. 1173 || *satin ést* Bacch. 911, Pseud. 112 || *potin ést* Trin. 759.

Mira legitur forma Poen. 309 (ABCD) *Potesne mihi auscultare? § possum § abi domum ac suspende te*, ubi homines docti alii *Pótine mi aúscultáre,* alii *Pótine es aúscultáre mihi,* alii *Pótin es mi aúscultáre* proposuerunt. Nescio an hoc quoque loco illud *-ne* superscriptum fuerit et postea in contextum illapsum sit (cf. supra pag. 26 adn. 2); nam haud ita raro, ubi idem saepius interrogat, in primo enuntiato solo Plautus particula *-ne* utitur.

Caput II.
De particula *ANNE*.

Quoniam exposui, quae fuerit particulae *-ne* apud Plautum prosodia, et quam raro is plenam *-ne* formam admiserit sequente consona, si praecedat syllaba uel natura uel positione producta, transeo ad *anne* particulae pro *an* positae usum, quem obiter tetigerunt homines docti[1]) neque priscae

[1]) Veluti Haase (Reisig-Haase § 277) nihil fere praecipit de *anne* nisi haec: „*-ne* wird selbst an fragende Partikeln oder Ausdrücke gehängt; da es seinen Accent inclinirt auf das vorhergehende Wort,

latinitatis rationem habuerunt. Itaque non inutile esse puto, omnes, quibus apud scaenicos poetas priscos *anne* particula legitur, locos colligere.

Anne particula nusquam ponitur nisi sequente uocali:

I. *ánne.*

Plauti Amph. 173 *Nec aéquom ànne iníquom ìmperét, cògitábìt* || Bacch. 31 *cupídon té confécit ánne amór?* (*te conficit* Seruius, *tecum saeuis* Nonii codices) || 576 *Utrum aúrum réddat ánne eát* || Cas. III 1, 1 *Núnc amíci⟨ne⟩ ánne inimíci sís imágo, Alcésimé, Míhi sciám.* (sic Acidalius; *anne* BEJ, *an* Guyetus Geppert Holtze. [II pag. 273]; de *ne anne* in enuntiatis interrogatiuis cf. Plauti Bacch. 31, Rud. 1069, Terentii Hec. 122, Enn. trag. 232) || Cist. II 1, 42 *Ánne etiám quid cónsultúra sís sciám? § perge éloquí.* (*Anne etiam quid consultura es* [omisso *sciam*] A^s, *Anne ut etiam quid consultura sis sciam* BE^3J [*si scias* E^1]; cf. Studemundi Stud. I 253) || Rud. 1069 *Quó modo hábeas, íllud réfert, iúrene ánne iniúriá.* (*iure ne* B, *iure* CD, ceterum cf. Ritschl opusc. II 560 et quae supra pag. 18 adnotaui) || Truc. 666 *Qui nón extémplo intro íeris. § ánne opórtuít?*

---

so wird dadurch der fragende Ausdruck selbst durch die Stimme hervorgehoben, der Ton der Frage also nachdrücklicher." — Similem Hand (Tursellin. uol. I pag. 356) profert sententiam: „*Anne* ponitur pro *an*, cui adhaeret uocula *-ne* interrogatiua siue dubitatiua, non mutata ipsa significatione, sed ubi intendenda uel acuenda uidetur uis interrogationis." — idem infra: „Erant, qui particulae *-ne* uim tribuerent negatiuam, quasi *anne* diceretur pro *annon*. Hermannus in Ephem. Lips. 1819 pag. 976 *anne* existimauit poni, ubi dubitationi admixta esset aliqua probabilitas: quod non constat usu." — Handii uerba ad priscam de qua sola agit latinitatem transtulit Holtze synt. uol. II pag. 283. — Krueger autem (gr. lat. § 516, 4) de *anne* docet haec: „Zur Verstärkung der Frage findet sich auch *-ne* angehängt, *anne*, oder es folgt *uero*". Denique Draeger (hist. synt. I pag. 351) de *anne* affert haec: „Die Verbindung der Enklitika *-ne* mit *an* zu *anne* ändert nichts in der Bedeutung der Frage; sie findet sich in directen und indirecten Sätzen aller Perioden der Sprache und mag hie und da den Ton der Frage etwas dringender gemacht haben."

Terent. Andr. 851 *Cúm tuo gnáto una. § ánne est intus Pámphilús?* || Eun. 556 *rogitando .... quid mihi quaérum, sánus sim ánne insániám!* || 733 *Sed Tháïs múlto(n) ánte uénit? § ánne abiit iam a mílité?* (*an* A, *anne* reliqui) || Heaut. 999 *Etiam haúd scio, ánne uxórem dúcat ác Syró nihil grátiaé.* (*an* A, *anne* reliqui) || Hec. 122 *Pudórin ánne amóri obséqueretúr magís.* (*pudoreinane* A, *anne* reliqui et Donatus bis in lemm.).

Enn. trag. 232 *Domúm patérnamne ánne ad Péliae fíliás?* Prodiit *anne* ex coniectura Plaut. Rud. 1140 *ánne habébit háriolá?* (*in me* BCD).

II. anne.

Plaut. Pseud. 124 § *Utrúm óculum anne aúrém? § at hóc peruólgatúmst nimis.* (cf. Brix in annal. philol. 1870 p. 773; *Utr(uma)nina(ur)em* A[s], *Oculum utrum anne in aurem* BCD; de praua Loewei coniectura *Utrumne in aurem?* cf. pag. 36) || Terent. Phorm. 235 § *Anne hóc dicét mihí!* (*an* A, *anne* reliqui; *dicet* A, *dicent* reliqui).

Anne particula falso in codices BCD irrepsit Truc. 695 *Eu édepol hóminem níhili. § ánne autem út solés?*, ubi *iamne* restituit Acidalius. Neque enim inuenitur in fabulis Plautinis *an* uel *anne* coniunctum cum uocabulo *autem*. Accedit quod uerba *iamne autem ut soles?* tanquam formula usurpantur: Aul. 819, Bacch. 203, Poen. 1410 (cf. pag. 35).

Terent. Andr. 784 Fl. *Auscúlta. § audíui iam ómnia. § ánne haec tu ómniá? § Audíui, inquam, á principió. § audístin?* (*anne haec tu* B et Fleckeisen et Wagner, *an haec tu* CEP, *an tu haec* G et Umpfenbach, *aha nec dū* D). Enuntiatum interrogatiuum *anne haec tu omnia?*, postquam alter dixit *audiui iam omnia*, sensu recto omnino caret; quod ab hominibus doctis iam Donati aetate intellectum esse demonstrant ipsius Donati uerba, qui praeter *anne* etiam *ah ne* legi significat. Collatis Curc. 323 *Pérnam, (cállum), abdómen, súmen, glándiúm. § aín tu ómnia haéc? İn carnárió fortásse dícis?* (*aín tu haec ómniá?* Mueller) et Aul. 538 *Nimiúm lubénter édi sérmonem tuóm. § Aín aúdiuistí? § úsque a*

príncipio ómniá (*ain* Gruterus, *a||||n* B, *an* D J) suspicor genuinam fuisse lectionem in codicum Calliopianorum archetypo *aín haec tu ómniá?*, sed euanuisse nescio quo casu litteram *i* ex uocabulo *ain;* atque cum lectio *án haec tu ómniá* metro repugnaret, medelam allatam esse in codice B ita, ut *an* in *anne* mutaretur, in G ita, ut pro *án haec tu* scriberetur *án tu haec.* Illud autem dolendum est, quod in codice Bembino hic uersus periit; nam nescio an potius *ain tu haec omnia* quam *ain haec tu omnia* ab ipso Terentio scriptum sit: cf. *ain tu* apud Plautum supra pag. 28, et apud Terentium Eun. 392, 567, Heaut. 242, 890, 1016, Phorm. 970.

Quoniam demonstraui *anne* formam non inueniri in prisca latinitate nisi sequente uocali, constitui possunt haec:

1. Particula *-ne* interrogatiua cum admodum tenuis ac debilis esset in prisco sermone latino, sequente consona cum *an* ita coniungi non poterat, ut arsin in uersu expleret. Idem igitur de *anne*[1]) statuendum est, quod supra e. g. de *tune* docuimus. Illud unum interest, quod sequente consona *tun* scribitur abiecta *-e* littera, cum *an* scribatur abiecta tota *-ne* particula et mutata uocabuli prosodia.

2. Quanquam multo rarius exstat *anne* forma quam *an* sequente uocali[2]), tamen nullo modo dubitari potest, quin

---

[1]) *anne* tanquam unum uocabulum, non tanquam ex duobus *an* et *ne* compositum uisum esse primo post Christum natum saeculo grammaticis docet Probus de litteris singularibus § 4, 7 (*Q·I·I·T·C·P·A·F·A· quando in iure te conspicio, postulo anne † far auctor*), ubi *anne* per notam *A·* (non per *A·N·*) exprimitur; cf. Theodorus Bergk „Beiträge zur lateinischen grammatik" I Halis 1870 pag. 29. Nam quod Theodorus Mommsen in Keilii grammat. latin. uol. IV pag. 274 *anne* post postulandi uocabulum a grammaticis non satis defendi posse opinatur, fallitur uir doctissimus: cf. formulam apud Gaium IV 16 traditam: POSTVLO ANNE DICAS QVA EX CAVSA VINDICAVERIS.

[2]) Cf. e. g. Amph. 457 *Án egomet,* 661 *án ille,* 964 *Án id,* Asin. 505 *Án ita,* Bacch. 1162 *Án amas,* Men. 962 *Án illi,* Mil. 346 *Án illic,* 431 *án aliéni,* 448 *Án ista,* Pseud. 872 *eho án etiám,* 1172 *Án etiam,* Stich. 549 et 552 *án ille,* Trin. 307 *Án ita,* 371 *Án eo,* 637 *Án id est,* 934 et

anne praeter *an* in prisca latinitate in usu fuerit, id quod maximi momenti fore puto, ubi diiudicandum erit de formis *non* et *nonne* in enuntiatis interrogatiuis, ad quas iam transeundum est.

Capvt III.

De particula *NONNE*.

Particulam *nonne* inuitis libris manu scriptis ex prisca latinitate ita remouere conatus est Andreas Spengel („Die Partikel *nonne* im Altlateinischen", progr. gymn. Monac. 1867), ut omnibus locis *non* pro *nonne* scribi iuberet. Qui cum recte perspexisset *nonne* apud priscos poetas fere non legi nisi ita, ut sequeretur uocalis, et interrogatiua enuntiata nullo prorsus intercedente discrimine modo a *non* modo a *nonne* incipere: „Wenn die alte Latinität", inquit, „durch *non* geben konnte, was später mit *nonne* erscheint, wird dann nicht die Existenz des *nonne* für jene Zeit überhaupt überflüssig und in seiner inneren Bildung unwahrscheinlich?" e. q. s. Quodsi eae, quae superuacaneae sunt, formae omnes ex prisca latinitate expellendae sunt, sane ne *anne* quidem praeter *an* tolerari potest; attamen utramque harum formarum Plautinam esse demonstraui[1]). Sicut *anne* non legitur nisi sequente uocali, ita ne *nonne* quidem ante consonam suam habet sedem, quia particulam *-ne* uix satis ualuisse ad explendam in uersibus iambicis trochaicisue arsin supra monui. Neque mutatur interrogationis uis, siue *non* usurpatur siue *nonne*[2]). Atque ut ad singula transeamus, *nonne* exstat sequente uocali in uersibus his:

---

942 *Eho Án etiam*, 954 *Án ille*, Truc. 272 *Án eo.* || Bacch. 199 *Eho an ínuenisti*, 1168 *an ego éxperiór*, Cist. II 3, 22 *an amábo*, Mil. 840 *Eho an úmquam*, Poen. 1136 *Eho an húius*, Stich. 246 *Eho an aúdiuisti.*

[1]) cf. Warren l. l. pag. 26.

[2]) Unum statuendum uidetur discrimen: etenim *non* particula, nusquam *nonne*, propria est earum interrogationum, in quibus is, qui cum

I. *nónne.*

Plauti Amph. 403—407:

Quíd malúm non súm ego séruos Ámphitruónis Sósiá?
Nónne hac nóctu nóstra náuis (húc) ex pórtu. Pérsicó
Vénit, quaé me aduéxit? nónne huc mé(d) erús misit meús?
Nónne ego núnc sto ánte aédes nóstras? nón mist lá(n)-
terna ín manú?
Nón loquór, non uígilo? nónne hic módo me púgnis cóntudit?

(405 *nonne me huc* libri, *non me(d) huc* Loewe et Goetz, *non me (nunc) huc* Spengel; de *huc me* cf. Amph. 20. 989). Hoc loco optime comprobantur quae supra dicta sunt de *non* et *nonne* formarum discrimine.

Amph. 452 *Nónne eraé meae núntiáre, quód erus méus iussit, licét?* || 539 *nónne ego póssum, fúrcifér, te pérderé?* || 625 *quaéso, nónne intéllegis?* || Curc. 552 *nónne eis crédeérem?* (*non ne* BE, *non* J) || Merc. 879 (Ritschl[1]) *nónne ex áduorsó uidés Núbis átrae ut ímber instet?* (*non ne* B, *non ne* CD; *instat* libri, *instet* Becker in Studemundi Stud. I 268) || Trin. 1046 *Nónne hac públice ánimum aduórti?* (*Nonne* ABCD).

Terent. Adelph. 660 *Eho nónne haec iústa tíbi uidétur pósceré?* (*nonne* libri cum A et Donato) || Andr. 238 *nónne opórtuít Praescísse me ánte?* || Eun. 834 *Eho nónne hoc mónstri símilest?* || 736 *Eho nónne id sát erat?* || Hec. 552 *Sí modéste ac ráro haec fécit, nónne ea díssimuláre nós Mágis humánumst* etc.? (*haec fecit* D[1]E[1], *haec facit* D[2]E[2]CFP, *hoc facit* B, *fecit haec* A; *ea* AD[1], om. D[2]BCEFP; fortasse *haec* delendum est, sane *ea* delere non licet) || Phorm. 768 *nónne id sát erat* etc.?

Pacuu. trag. 129 *Nónne officium fúngar uólgi* etc.? || Acc. trag. 288 *Eho nónne Argíuos frémere béllum et uélle uím uolgúm uidés?* (*Et* codices; *Eho* ego proposui: cf. Terent. Adelph. 660, Eun. 334. 736).

---

indignatione uel admiratione interrogat, ea repetit uerba, quae ab altero antea pronuntiata sunt: cf. e. g. Asin. 480 *Nón eó. § Non is?* || Poen. 404 *Nón sum iráta. § nón es?* || Stich. 398 (A) *non. § nón adést?* ||

23

II. *nonne*.

Plauti Amph. 165 in uersu antiquitus, ut plerisque uidetur, interpolato *Nonne idem hoc luci me mittere potuit?* || Pers. 747 *Nonne ántestáris?* || Pseud. 1317 *Nonne aúdes, quaésso, aliquám partém mihi grátiam fácere hinc de árgentó?* (sic Studemund cum A[s] in scholis [cf. Cas. II 6, 20; Most. 1130; Trin. 293], *hic argenti* BCD [de genetiuo cf. Rud. 1414 sq.]) || Trin. 789 *Nonne árbitrare súi aduléscentem ánuli Patérni signum nó⟨ui⟩sse?* (sic Brix[3], nisi quod *Non* maluit; *Nonne arbitraris eum adulescentem* libri Palatini).

Terent. Eun. 165 *Nonne, úbi mi díxti cúpere te éx Aethíopiá Ancíllulám, ... Quaesíui?* (*Nonne* codices et Donatus ad I 2, 100) || Heaut. 545 *Nonne ád senem áliquam fábricam fíngit?* || 922 *Nonne íd flagítiumst* (*non* D[2] solus)?

Pacuu. trag. 16 *Nonne hínc uos própere ⟨a⟩ stábulis ámolímini?*

Praeterea *nonne* formam sequente uocali et libri manu scripti exhibent et commendat Warren l. l. pag. 26 in enuntiatis, quae interrogationem non exprimunt, his: Merc. 61 sqq.: *Sese éxtemplo éx ephébis póstquam excésserít, Nonne út ego, ⟨a⟩móri néque desídiae in ótió Operám dedísse.* (*None* D), ubi dudum *Non* pro *Nonne* correctum est.

Terent. Phorm. 969 *Nonne hércle ex re ístius me ínstigásti Démiphó.* (*Nonne* A), ubi cum codicibus Calliopianis dudum scriptum est *Non hercle.*

Dubitari potest de Phorm. 978 *Non hóc publícitus scélus hinc ásportáriér In sólas térras!* (*Nonne* BCP, *Non* A et reliqui; cf. Phorm. 232).

Truc. 257 Schoell artificiosius quam probabilius edidit: *Égo sum: réspice ád me! § quíd „ego"? nón inuídeo té tibí* (*quidegononneuideortibi* A, *quid ego nonne ego uideor tibi* BCD). Nescio an tale quid dederit Plautus: *Égo sum: réspice ád me! § quíd „ego"? § nónne „ego" uídeor? § uaé tibí.*

Venio nunc ad paucos illos uersus, in quibus particulam *nonne* ante consonam falso legi adsentior Spengelio, praesertim cum facilis in promptu sit medela:

1. Plauti Mil. 318 § *Nón tu tíbi istam praétruncári línguam lárgiloquám iubés?* (totum uersum omisit C; *Noui & ibi* B[1], *uel num tute tibi* B[2] in marg., *Nonuu&ibi* D[1], *Non me tibi* D[3], *Nonne tibi* FZ; *Non tu tibi* Bentley et Ritschl).

2. Terent. Andr. 239 legendum est: *Praescísse me ánte? nón priús commúnicátum opórtuit?* (*nonne prius* libri Calliopiani; *nonne* fortasse irrepsit in contextum ex uersus proxime praecedentis clausula: *nonne oportuit*).

3. Andr. 647, ubi interrogationi locus non est, Umpfenbach obsecutus codicibus DG edidit: *Fálsu's.* § *nónne tíbi esse sátis hoc sólidum uísumst gaúdiúm* (*falsus es* libri, *falsus* Donatus; *satis esse hoc uisum solidum est* BCEP). Debebat saltem initium hoc statuere: *Fálsu's.* § *nón tibi ésse sátis etc.*; ceterum cf. Bentleii lectionem.

4. Andr. 869 *Pietátem gnáti! nónne té miserét mei?* (*nonne* BCEGP et Priscianus, *non* D et editio princeps Donati in Hec. II 1, 25) Spengel probabiliter correxit: *nón te mísere⟨scí⟩t mei?* collato Heaut. 1026 *núnc te míserescát mei*; cf. etiam Plauti Trin. 343 *Út ita te áliorúm miseréscat, né tis álios misereát* et Epid. 526.

Restat ut de quattuor agam uersibus, in quibus cum nulli omnino codices *nonne* praebeant, homines docti falsa coniectura usi hanc formam statuerunt:

1. Cas. IV 4, 25 Geppertum, dum codicem rescriptum A excutit, oculi fefellerunt ita ut scriberet: § *Át mihí, quí bélle hanc trácto, nónne líce⟨a⟩t tángeré?* Etenim cum codices BEJ propter labem, quam Palatinorum archetypus contraxerat, post *non* nihil amplius exhibeant, in A neque *ne licet tangere* neque NELICETTACE legitur, sed teste Studemundo *bellum facit* (aut *uallum facit*). Neque quin his uerbis apte concludatur totius uersus sententia dubitari potest. Iambicos autem senarios constituendos esse docuit iam Studemund de canticis Plautinis pag. 24. Versus 24. 25 igitur tales fuerunt auctore Studemundo:

Quid tu érgo hanc, quaéso, tráctas tám durá manú?
At míhi, quí bélle hanc trácto, nón bellúm 'facít.

2. Stich. 606 non solum in codicibus Palatinis, sed teste Studemundo (Stud. II 287) etiam in Ambrosiano legitur hic septenarius trochaicus (Ritschl male testatus erat in A legi: *Nonne scis quam*)

Nón tu scis quam éfflicténtur hómines nóctu hic in uiá?

Ad hiatum euitandum Guyetus *ut* substituit pro *quam*, *qua⟨ntu⟩m* Kampmann, *quam⟨de⟩* Koch in annal. philol. 1872 pag. 241. Possis etiam de *quot* pro *quam* restituendo cogitare. Item legitur *Nón tu scis?*: Men. 911, Mil. 1150, Amph. 703, Asin. 177, 215; item *Non tú scis?*: Men. 714 et Merc. 729; item *Non scís?*: Men. 302 et Poen. 173. Cur autem in *efflictentur* uerbo haeserint homines docti, non intellego.

3. Com. fr. inc. inc. fab. 46 non cum Keilio *non⟨ne⟩* scribendum, sed ante *non* aliquid intercidisse suspicor:

⏑⏑ *non tú scis? sí quas aédes ígnis cépit ácritér,*

e. g. ⟨*Eho*⟩, quam interiectionem ante *nonne* collocatam supra (pag. 43) ter enotaui. Legitur hic uersus apud Charisium p. 195, 21 K, ubi plura ante *non* excidisse intellexit Carolus Lange.

4. Com. 53 fr. inc. inc. fab. Ribbeck perperam scripsit:

Domuíque cólumen, nón⟨ne tibi⟩ sic díceret?

non ⟨putas⟩ Spengel, *non⟨ne haec tibi⟩* Keil; possis etiam *nón ⟨tibí⟩* uel similia temptare.

Suffectura esse haec, quae exposui, spero ad intellegendum, quo modo prisci poetae, cum praeter *non* etiam *nonne* forma uterentur in enuntiatis interrogatiuis, non secus atque *anne* praeter *an*, uariauerint linguam latinam, quae illis temporibus nondum certis syntaxeos regulis circumscripta erat. Cur autem *nonne* particula non usurpata sit nisi ante uocales, elucet ex uniuersa quam exposui particulae *-ne* condicione.

DISSERTATIONES PHILOLOGICAE

ARGENTORATENSES

SELECTAE

VOLVMEN IX.

ARGENTORATI
APVD CAROLVM I. TRVEBNER.
MDCCCLXXXV.

Darmstadii typis G. Otto.

Hoc nono volumine continentur hi libelli:

Commentationis a W. FELDMANN scriptae solae paginae 97—156 continentur eis exemplaribus, quae auspiciis amplissimi philosophorum ordinis academiae Wilhelmae Argentinensis prodierunt.

DE

TERENTII

MEMORIA APVD NONIVM SERVATA.

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ENNO BARTELS

FRISIVS.

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER.

MDCCCLXXXIIII.

Darmstadtii typis G. Otto.

MATRI MEAE

S.

Eorum quibus hodie uti licet subsidiorum ad Terentii fabulas emendandas constat non pauca redire ad saeculum p. Chr. n. quartum. Nam ut taceam codicem Terentii Bembinum (A) omnium quotquot innotuerunt antiquissimum, qui quarto quintoue saeculo exaratus uidetur esse: et Aelii Donati commentum uariis fatis deprauatum et uberrima uersuum Terentianorum memoria apud Nonium Marcellum[1], Marium Victorinum, Charisium, Diomedem, Arusianum Messium, alios seruata ad illud saeculum pertinet.

Ex quibus quae apud *Nonium* in *libris de compendiosa doctrina per litteras ad filium* conscriptis exstant, accuratius ita perlustrabo, ut priore capite agam de condicione et fatis, posteriore de auctoritate memoriae Terentianae apud Nonium seruatae.

Guilelmo autem Studemundo praeceptori carissimo quantum in hoc opusculo conficiendo debeam, quin grato animo palam profitear, praetermittere non possum.

CAPUT I.

§ 1.

Quod cum aliorum priscorum poetarum tum Plauti uersus multo plures a Nonio rarissima quaeque et inusitata uocabula captante laudati sunt quam Terentii, uix mirum

---

[1] Nonium eiusdem esse saeculi et dudum credebatur et nuper Mommsenus (C. I. L. VIII 4878 = Hermae XIII 559) nisus titulo Thubursici Numidarum reperto, qui a Nonio Marcello Herculeo anno 323 dedicatus est, probabiliter coniecit.

uidebitur, si reputaueris, quam longe progressus sit Terentius Scipionum sodalis in latinitate excolenda et a prisco squalore promouenda. In uno capite quarto, quo Nonius *de uaria significatione sermonum* agit, cuius indoles a ceteris capitibus longius distat, frequens est Terentiana memoria, cuius poetae, si recesseris a quibusdam uersibus plus uno loco laudatis, non multo plus ducenta testimonia apud Nonium exstant: in his ex Andria fere quinquaginta, ex Eunucho fere quadraginta, ex Phormione fere quadraginta, ex Adelphis fere quadraginta, ex Heautontimorumeno fere triginta, ex Hecyra septemdecim. Videntur igitur duae, quas ultimo loco commemoraui, fabulae olim in scholis minore studio explicatae esse quam Andria, Eunuchus, Phormio, Adelphoe. Sane cum in scholis initia fabularum accuratissime enarrarentur, mirum non est, quod cum a ceteris grammaticis latinis tum a Nonio saepius citata sunt fabularum initia quam ceterae partes: uelut Andriae initii locis uiginti quinque apud Nonium mentio fit; qua cum re illud egregie congruit, quod scholiorum copia uberrima et in codice Bembino et in Donati commento adscripta est ad ipsa fabularum initia.

§ 2.

Terentiana Nonius plerumque ita introducit, ut praemittat aut *Terentius in Andria*, *Terentius in Eunucho*, *Terentius in Formione*,[1] *Terentius in Hecyra*, *Terentius in Adelfis* aut *Terentius Andria, Terentius Eunucho*, *Terentius Formione, Terentius Hecyra, Terentius Adelfis*. Vbi Heautontimorumenos laudanda est, fere ubique *Terentius Heautontimorumeno,* non plus quinquies *Terentius in Heautontimorumeno* praemittit: qui quinque loci etsi in uno quarto capite legantur (p. 264,31.[2] 278,23. 278,32. 285,14. 373,14), casu id factum esse credere malim, quam Nonium ex commentario aliquo

[1] Dignum est quod notetur auctorem recensionis, quam ex optimo huius ordinis codice Victoriano (D) appellare liceat Victorianam, cum fabularum ordinem secundum litteras statutum introduceret, litteram f pro ph scribi voluisse. cf. Leo in Mus. Rhen. uol. XXXVIII (1883) p. 319. M. Hoffmann, Index grammaticus ad Africae etc. titulos latinos in Diss. Philol. Argent. sel. uol. I. (1879) p. 293.

[2] Editio Merceriana, Parisiis 1614 (= Lipsiae 1826).

Ciceronis aut Vergilii, quibus cum scriptoribus coniuncta sunt, haec testimonia transtulisse. Adeo autem constans sibi fuit Nonius in praemittendo praeter *Terentii* nomen titulo fabulae,[1] ut, ubicunque bini loci Terentiani commemorandi erant, singulis locis et poetae et fabulae nomina praemitteret. Itaque cum abundent codices Noniani cum omni mendorum genere tum lacunis, nemo dubitabit, quin eis locis, qui omisso fabulae titulo solum nomen *Terentii* exhibent, lacunae sint statuendae. Quod cum iam Mercerus in adnotationibus ad p. 499, 20 recte monuisset, Quicheratus[2] his qui sequuntur locis fabularum nomina suo iure suppleuit:

36, 19 *emungi*] *Terentius* ⟨*Formione*⟩,

172, 15 *satias*] *Terentius* ⟨*Eunucho*⟩,

223, 11 *salis*] *Terentius* ⟨*Eunucho*⟩,

393, 10 *statim*] *Terentius* ⟨*Formione*⟩,

409, 20 *triste*] *Terentius* ⟨*Andria*⟩, quo loco lacuna non modo titulum fabulae sed simul etiam adiectiuum *tristis* haustum esse docet lemma,

426, 20 *faustum*] *Et Terentius* ⟨*Andria*⟩,

499, 19 *Datiuus pro Accusatiuo*] *Terentius* ⟨*Adelfis*⟩, qui locus foede corruptus num re uera ad Terentium (Adelph. III 4, 45) pertineat, dubitare possis.[3]

Vbicunque Nonius e prologis comoediarum Plautinarum Terentianarumue exempla deprompsit, solum fabulae nomen praemisit; cf. de Terentio hos locos:

39, 15 *Ter. in Andria* (prol. 8) *et in sequentibus* (prol. 15). — 291, 2 *Ter. in Andria* (prol. 27). — 519, 4 *Ter. in Eunucho* (prol. 1 sq.). — 278, 32 *Ter. in Heaut.* (prol. 10). — 495, 18 *Ter. Hecyra* (prol. II, 14).

Singulare illud est, quod bis uersum ex primae comoediae prologo citauit addita prologi notione: 59, 16 *propitium*] *ut apud eundem Terentium in Prologo Andriae* (22 sq.). —

[1] Alia est condicio duorum locorum (48,5 s. l. *silicernium* et 222,7 s. l. *Rastros genere masculino dicimus, ut apud Vergilium et Terentium*), ubi Nonius glossarium quoddam fortasse secutus omisso testimonio solum Terentii nomen exhibet.

[2] Editio Quicheratiana, Parisiis 1872.

[3] cf. pag. 15.

402,21 *spectare*] *Terentius Prologo Andriae* (27), quem eundem versum sub eiusdem quarti capitis lemmate *exigere*] 291,2 citat prologi mentione omissa.

§ 3.

Nunc ea percensebo testimonia, quae cum binis ternisue locis laudentur, maximi sunt momenti ad indolem et naturam eorum codicum Terentianorum, ad quos memoria Terentiana apud Nonium redit, recte aestimandam.

Heaut. (V 1, 77—78)

7, 23 *depexum*]	299,15 *exornare*]
Egone si uiuo adeo exornatum dabo Adeo depexum, ut dum uiuat meminerit semper mei.	iidem uersus.
ego si uiuo codd. ***DMp***.[1]	

Andr. (prol. 27)

291, 2 *exigere*]	402, 21 *spectare*]
Spectandae an exigendae sint uobis prius.	*Spectandae an exigendae sint uobis prius.*
	spectandi an exigendi ***H***[2] ***W***, *spectandae an exigendi a e* ***P***; *sunt* ***HP***.

---

[1] Notis Nonii librorum usus sum isdem, quibus Quicheratus:

Editiones: A = Aldina 1513. J = Hadriani Iunii 1565. M = Merceri 1614 (= 1826).

Codices: Bern = Bernensis. C = Colbertinus. D = Petri Danielis codex. G = Geneuensis. H = Harleianus. L = Leidensis. Mp = Montepessulanus. O = Parisinus n. 7577. P = Parisinus n. 7667. W = Guelferbytanus.

Codicum Nonianorum notas, quo facilius a Terentianis discernas, crassioribus litteris describam. Codicis *H* lectiones enotabo ex libro *Anecdota Oxoniensia. Classical Series.* Vol. I. Part. II. *Nonius Marcellus, Harleian Ms.* 2719 *collated by J. H. Onions, M. A., Oxford* 1882.

Andr. (I 1,12)

317, 25 *habere*]
Quod habui summum pretium persolui tibi.
persolui tibiis uel *tibus* ***P.***

366, 6 *pretium*]
idem uersus.

Eun. (III 1,9—11)

223, 11 *sal*] (codd. *salis*)
Labore alieno magno partam gloriam
Verbis saepe in se transmouet qui habet salem
Quod in te est.
magnam ***AJ.***

318, 8 *habere*]
Labore alieno magno partam gloriam
Verbo in se transmouet qui habet salem
Quod in te est.
magnam ***AJ;*** *uerbis saepe in se* ***AJM.***

Eun. (IV 4, 13—14)

256, 4 *comparare*]
Aut
Ne comparandus hic quidem ad illum est.
aut me ***LGP***, *hau ne* Edd.

496, 10 *Accusatiuus pro Datiuo*]
Aut
Ne comparandus hic quidem ad illum est.
au ne ***AJM.***

Eun. (IV 7, 18—19)

296, 3 *experiri*]
Omnia prius experiri quam armis sapientem decet.
experiri consilio quam ***Bern*** ut Edd. Non.

349, 28 *manere*]
Quam mox irruimus? — Mane:
Omnia prius experiri quam armis sapientem condecet.
consilio quam armis Edd. ante ***M;*** *decet* ***H*[1]*AJM.***

Phorm. (I 2,56)

198,17 *capillus*] *Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida.*	370, 13 *passum*] idem uersus.

Phorm. (IV 4,1)

36, 19 *emungi*] *Emunxi argento senem.* *semen* ***P.***	103, 22 *emungere*] (codd: *emulgere, emungere* ***H*** [1] et ***H*** [3]) *Emunxi argento senem.*

Phorm. (V 3,6—7)

254, 4 *capere*] *Nam ex his praedis latent argenti moeniae nam statim capiebat.* *nam ex his praediis talenta argenti bina statim capiebat* Edd.	393, 10 *statim*] *Bina talenta Capiebam statim.*

Adelph. (I 1,6)

59, 14 *propitium*] *Quam ea quae parentis propitiat.* *propitia ut certe* ***CD*** pro *propitii* ⟨*aut certe ...*⟩	463, 11 *propitius*] *Quam ut ea quae parentes propitii.*

Adelph. (V 9,28)

373, 16 *proluuies*] *Quod proluuium haec subito largitas.*	493, 16 *largitas*] *Quod proluuium quae ista haec subita est largitas.*

Eun. (II 2,3—4)

270, 29 *conuenire*] *Conueni hodie adueniens mei loci quendam atque ordinis Hominem*	324, 17 *impurus*] *Mei loci atque ordinis Hominem haud impurum* *atque ordinem* ***P.***	359, 9 *offendere*] [1] *Offendi adueniens quendam mei loci atque ordinis Hominem*

[1] **Quod sub lemmate *offendere*] 359, 9 Nonius affert Terentianum (Eun. II 2, 3) *Offendi adueniens quendam mei loci atque ordinis***

Phorm. (I 1, 9—10)

31, 9 *defrudare*]	117, 29 *genium*]	525, 5 *demensum*] *Quod ille unciatim uix demenso suo*
Suum defrudans genium conspersit miser	*Suum defrudans genium conspersit. miser*	*Suum defrudans genium conpersit miser*
defraudans ingenium confersit ***H*[1] *L*.**	*defraudans* ***L*.**	*defraudans* ***H***; *comperssit* ***P*.**

Quibus in testimoniis, quae promiscue per totum librum Nonianum sparsa sunt, quod nullum legitur exemplum ex Hecyra sumptum, unum ex Heautontimorumeno, id bene quadrat ad ea, quae supra p. 6 dixi.

Quod autem nonnulla testimonia ita repetita exstant, ut pleniora sint altero loco, breuiora altero, id Nonii in citando breuitati et leuitati condonandum est. Sane longe plurima testimonia, quae bis terue exstant, omnino inter se consentiunt, atque sicubi dissentiunt, librariorum culpa dissentiunt, excepto uno alteroue exemplo tamquam subseciuo (de quo exemplorum genere infra erit disserendum), quod ex antiquioris grammatici commentario a Nonio depromptum uidetur esse.

§ 4.

Librariorum culpa quam male habitus sit contextus Nonii, cum alia docent tum haec:

Duobus locis in exemplis e Terentio laudatis errores iam antea ab hominibus doctis animaduersi sunt: Sub lemmate *habere*] 318,19 cum libri manuscripti *Ter. Heautontimorumeno* pro *Ter. Hecyra* exhibeant, iam Mercerus quid uerum sit intellexit. Cui similem librariorum errorem statuendum esse Rothius[1] perspexit sub lemmate *confidentia*] *Hominem*, cum libris Terentianis *Conueni hodie adueniens* (cf. Nonium 270,29 s. l. *conuenire*]) minime consociari posse iam Mercerus adnotauit. Videtur igitur Nonius, qua erat leuitate, locum qui exstat in Phorm. (V 1,31): *Offendi adueniens. Quocum uolebam* sqq. in animo habuisse.

[1] Nonius Marcellus, ed. Gerlach et Roth. Basiliae 1842.

262,13, ubi quae tamquam Terentiana citantur, apud Terentium non exstant. Atque cum plerique codices[1] *idem Terentius,* Leidensis et Geneuensis *idem heterentius, H*[1] *terentius*, sed in margine *G heteranamq., H hetera quidnam* praebeant et exemplum ex Turpilii Leucadia sumptum proxime praecedat, dubium non est quin auctore Rothio cum Ribbeckio[2] et Quicherato scribendum sit: *Idem* (scil. Turpilius) *Hetaera.*

Eodem redeunt loci quidam, in quibus scribendis oculi librarii aberrauisse uidentur ad posteriorem: uelut 165,8 legimus: *Riscus*] *Ter. Eunucho* (IV 6,16) *In risco odiosa cessas* || *reciproca animum in quam odiose.* Terentianum testimonium in uerbum *cessas* exit. Ante *reciproca* autem intercidisse lemma *reciprocare*] una cum scriptoris nomine iam Hadrianus Iunius animaduertit. Verba *rĕcĭprŏca animum in quam odiose*[3] cui scriptori sint uindicanda, certo erui non potest. Rothius solus, quod sciam, in add. et corr. ad p. 112,19 illa uerba Luciliana uideri coniecit collatis duobus uersibus, qui apud Nonium 164,32 et 279,20 seruati in Lucilii editionibus (ed. Luc. Mueller III. 52 et 66; ed. Lachmann 100 et 102) leguntur: *Exhalas tum acidos ex pectore ructus* et *expirans animam pulmonibus aeger agebat.* Attamen cum uerba tradita cum dactylico numero nullo modo consociari possint et uocabulum *odiose* uix tragicum redoleat sermonem, uidetur aut de Plauto cogitandum esse aut de Turpilio aut de Laberio, quos Nonius in altero, cuius sunt illa uerba, capite ante Enniana testimonia, quale uerba *reciproca* etc. subsequitur, citare solet. Frequentior autem quam Turpilii aut Laberii apud Nonium est Plauti memoria, cuius fabulae Varronianae, Cornicularia, Medicus, Neruolaria in altero Nonii capite citantur. Atque si ad fabularum Plauti Varronianarum condicionem spectas, certe inprimis ratio est habenda Amphitruonis, cuius fabulae longe plurima, quae supersunt, actus quarti fragmenta apud Nonium passim seruata exstare

[1] AJ: *Ter. Heaut.*

[2] Fragmenta scaen. Rom. poesis uol. II p. 95 (V).

[3] Duentzerus (Zeitschr. für Alterthumsw. 1848 p. 485) uocabulum *odiose* tanquam dittographiam delendum esse iudicat.

constat. Itaque cum illa uerba *reciproca* etc. optime ad actus quarti scaenam alteram quadrent neque metrum obstet, ueri non nimis dissimile esse censeam nouum in illis uerbis latere Amphitruonis fragmentum hoc fere modo legendum:

Réciproca ánimum, inquam, ódio es, ⟨—∪—∪—∪—∪—⟩.

Similem in Nonio emendando rationem Fleckeisenus[1] secutus est, qui, cum Mercerus lacunam exstare coniecisset, 296, 32 sub lemmate *expedire*] unum Terentianum, quod legimus, in Terentii testimonium et in Ciceronis testimonium diuisit. Exhibent autem libri Noniani haec: *Expedire, liberare*] *Ter. Hec.* (V 1,29) *Teque hoc crimine expedi* || *re se uult induat* (***Bern***: *si se uult*). Cuius exempli in altera parte inde a uerbi *expedire* exitu Ciceronianum latere Fleckeisenus perspexit, quod legimus in Verrem act. II 2 § 106: ⟨*Videte, ut, dum expedi*⟩*re sese uult, induat.*

Eiusdem Terentii bini uersus librariorum neglegentia confusi his locis uidentur exstare:

Testimonium, quod hodie in Nonii editionibus legitur in capite VII (*De contrariis generibus uerborum*) 481, 25 *Potior illam rem pro illa re potior*] *Terentius Adelphis Mille potior gaudia,* una cum eiusdem capitis lemmatis *Libertatem uti*] — *Callet illam rem*] manifestum est errore aliunde huc translatum esse. Similia autem inuenies in capite IX (*De numeris et casibus*), ubi 498, 21 *Genitiuus positus pro Ablatiuo*] Nonii codices haec praebent: *Plautus Captiuis Ille alter potitus hostis est.* Quamquam in Plautinis libris manuscriptis uersus ille (I 1,24) ita traditur: *Nam postquam meus rex est potitus hostium.* Quae cum ita sint, confluxisse existimo testimonium ex duobus exemplis, altero Terentiano [Adelph. (V 4, 17) *ille alter sine labore patria potitur commoda*], altero Plautino [Capt. (I 1,24) *Nam postquam meus rex est potitus hostium*].

Neque dissimili casu mihi compositum uidetur testimonium illud in capite VII *Mille potior gaudia* ex duobus testimoniis: Adelph. (V 4, 17) '*Ille* ⟨*alter sine labore patria*

[1] Annal. philol. 1856 p. 682.

potitur commoda'. *Et in sequentibus* (u. 22) *'hic⟩ potitur gaudia'*, cum optimus codex *W* et ed. 1476 uerbis *Terentius Adelphis mille* omissis *hic potior gaudia* exhibeant et idem lemma iidemque uersus apud Arusianum Messium[1] et Priscianum[2] redeant.

Neque errare uideor, si (255, 10) *crepare*] *Ter. Phorm.* (V 5, 12) *'Sed hostium concrepuit nihil· ad te'* huic loco adiungo, quod editores Nonii e libris Terentianis in *concrepuit abs te* correxerunt. Collatis enim uersibus Andr. IV 1, 58 et 59 (*Sed mane: crepuit* [codd. Ter.: *concrepuit*] *a Glycerio ostium. — Nihil ad te.*) concedes ob homoeoteleuton uerbis quibusdam omissis apud Nonium exstare duo Terentiana haec:

Ter. Phorm. (V 5, 12) *'Sed hostium concrepuit ⟨abs te'.*

Idem in Andria (IV 1, 58 et 59) *'Sed mane concrepuit a Glycerio hostium. —⟩ Nihil ad te'.*

Eodem erroris genere deprauatum esse lemma *postulare*] 375, 14 Duentzerus l. c. suspicatus est. Attamen hoc loco Nonium ipsum corruptelae auctorem esse infra (p. 37) demonstrabo.

Perperam eadem emendandi uia Quicheratum usum esse 256, 30 in lemmate *comparare*] cum duo Terentiana efficeret Heaut. (IV 5, 29 — 30) (*Argentum dabitur illi ad nuptias Aurum atque uestem quî: tenesne? — Comparet*) et Heaut. (IV 8, 14) (*Des quî aurum et uestem atque alia quae opus sunt comparet*) ex uno Heaut. (IV 8, 14), quod habent codices Nonii et ed. 1476, certo constat. Nimiam enim fidem habuisse uidetur editionibus ***AJM***, quae solae uerba *Argentum dabitur illi* (IV 5, 29) praefigunt atque talem uersum dederunt: *Argentum dabitur illi, ut uestem atque alia, quae opus sunt, comparet.* At in libris manuscriptis omnibus haec legimus: *Dis cubia aurum et uestem atque alia quae opus sunt comparet.* Itaque si singularem uerborum *dis cubia* (***P***: *discubia*, ***H***[1]: *dicubia*) corruptelam remoueris, unus remanebit uersus (Heaut. IV 8, 14), qui optime lemmati *comparare, emere*] respondeat et cum libris

[1] Gr. L. VII p. 498, 5.

[2] Gr. L. III p. 333, 27.

Terentianis consentiat: *Des quî aurum et uestem atque alia quae opus sunt comparet.*

Testimonium ex Adelphis (III 4, 45) sumptum, quod profert Nonius 499, 19 s. l. *Datiuus pro Accusatiuo*], in tanta uerborum deformitate ambigi potest num re uera Terentianum sit. Exstat enim apud Nonium hoc: *Terentius Facite ita ut uobis placet* (Edd. Non.: *decet*). In libris Terentianis legitur (Adelph. III 4,45): '*Haec primum ut fiant deos quaeso ut uobis decet*', quibus cum Terentianis uerba '*facite ita*' prorsus consociari non possunt. Nihilominus Terentii testimonium statuendum esse inde apparet, quod nouum quod sequitur exemplum in omnibus codicibus uerbis *Idem in Andria* praecedenti adiunctum legimus. Perlustratis autem eis, qui eundem uersum laudauerunt, grammaticis inueni apud Marium Plotium[1] 450, 2 haec: *Terentius 'Ita ut uobis decet'*, neque minus apud Seruium in Aen. VIII 127 haec: *Terentius 'Facite ut uobis decet'*. Qui quidem fontes quomodo inter se cohaereant, infra uidebimus; hoc loco satis est monere modo *ita* modo *facite* modo *facite ita* traditum esse. Quod cum considero, in illis uerbis, quamuis sint corrupta, *Facite ita ut uobis placet* aut potius *decet* (qua de re infra disputabitur) testimonium ex Terentii Adelphis haustum latere arbitror.

§ 5.

Iam uideamus, cuius generis fontes Nonius cum in lemmatis Terentianis tum in testimoniis laudatis in usum uocauerit.

Quam quaestionem arte coniunctam esse cum quaestione de libri Noniani compositione cum homines docti recte obseruauerint, haud ineptum uidetur esse accuratius inquirere in *Pauli Schmidtii* librum (*De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis* Lipsiae 1868), qui cum sagaciter leuissimam huius grammatici compilationem aperiret, singillatim de plerisque auctoribus a Nonio adhibitis disseruit. Atque ut iis quae antea ab aliis hominibns doctis de his rebus disputata

---

[1] Gr. L. uol. VI.

erant omissis (cf. Schmidtium p. 1—2) ordiar tamquam a capite totius disputationis a Schmidtio institutae paene per totum Nonii librum certos et longiores testimoniorum ex quibusdam scriptoribus depromptorum ordines inueniri Schmidtius demonstrauit. Efficiuntur autem exceptis nonnullis uerborum et aduerbiorum ordinibus, quos Nonius ex aliquo glossario uidetur transscripsisse (cf. Schmidt. p. 114), illi ordines ipsi exemplis primariis, quae primo loco collocata esse solent eaque secernenda esse ab exemplis subseciuis recte iam Schottmuellerus[1] docuerat. Illis igitur exemplis primariis quae efficiuntur series, eae solent eundem ordinem efficere, quo hodie quoque apud eos scriptores leguntur.

Neque minus acute Schottmuellerus, cum primum Nonii caput accuratius perlustrasset, coniecit in singulis capitibus scriptores a Nonio certo quodam ordine citari atque Terentiana quidem inter Vergiliana et Ciceroniana tenere locum. Quamquam non omnia, quae Schottmuellerus coniecerat, recte statuta sunt — nam Ciceroniana perraro post Terentiana exhibentur nec Plautina, Luciliana, Afraniana etc. cum Terentio coniuncta desunt —, certe Vergilii testimonia cum Terentianis saepissime consociata esse Schottmuellero concedendum est: quin etiam haud paucis locis Terentianum duobus Vergilianis sub uno lemmate circumclusum legitur. Conf.: 235,31 *aequalis*] Verg. lib. V, Ter. in Eunucho || 236,11 *apertum*] Verg. lib. VIII, Ter. Adelphis || 242,10 *ambire*] Verg. lib. VII, Ter. in Andria || 249,11 *committere*] Verg. lib. IX, Ter. in Eunucho || 250,16 *colere*] Verg. lib. IV, Ter. in Heaut. || 251,19 *castigare*] Verg. lib. V, Ter. Heaut. || 253,17 *capere*] Verg. lib. VIII, Ter. in Heaut. || 253,33 *capere*] Verg. lib. II et lib. III, Ter. in Phormione || 255,9 *crepare*] Verg. Georg. lib. I, Ter. in Phormione || 278,29 *da*] Verg. in Bucol., Verg. lib. VI, Ter. in Heaut. || etc.

237,25 *aditus*] Ter. in Andria, Verg. lib. X || 243,33 *asperum*] Ter. Heaut., Verg. Georg. lib. IV || 275,24 *cognoscere*] Ter. in Andria, Verg. Georg. lib. I || 288,2 *detrahere*] Ter. Heaut., Verg. Georg. lib. IV || etc.

284,19 *differre*] Verg. Georg. lib. III, Ter. in Adelphis,

[1] Symbol. philol. Bonn. 1867 p. 809 sqq.

Verg. lib. VIII || 309,19 *fingere*] Verg. Georg. lib. II, Ter. in Andria, Verg. lib. XI || etc.

Quod autem supra diximus exempla primaria a Schmidtio in uniuersum recte constituta esse, id per omnia Nonii capita aequaliter ualere negem; atque ipse Schmidtius facere non potuit, quin concederet capitibus II, III, IV, quae contra sollemnem morem ita scripta sunt, ut lemmata litterarum ordinem alphabeticum seruent, non modo certas exemplorum series non constanter certo consuetoque scriptorum ordine sese excipere, uerum etiam in nonnullis litteris tertii capitis (***B***, ***E***, ***G***, ***H***, ***I***, ***M***, ***N***, ***O***, ***R***, ***V***) et per totum quartum caput certos testimoniorum ordines omnino non occurrere. Ac profecto ordines singulorum scriptorum, quos in altero et tertio capitibus Schmidtius constituit, multum distant ab ordinibus cum reliquorum tum primi capitis. Haud pauci enim ordines interrumpuntur lemmatis, quae nulla exempla exhibent nisi ab ipsius de quo agitur scriptoris ordine absona.[1] Quartum uero caput, cuius compositionem prorsus discedere a reliquorum indole iam Schneidewinus[2] monuit, num eodem modo Nonius conscripserit, admodum dubium est. In quo cum *de uaria significatione sermonum* in uniuersum agatur, tamquam totum Nonii opus in breuius contractum tenemus. Etenim sub singulis lemmatis, de quibus in quarto capite agitur, diuersissimae coaceruatae sunt significationes, quarum unaquaeque uariis testimoniis illustrari solet. Exstant autem longe plurima cum Vergilianorum tum Terentianorum exemplorum in ipso capite quarto.

Itaque ualde dubito num certi, qui in reliquis capitibus dignoscuntur, ordines subsint etiam in capitibus II—IV.

---

[1] Adde quod nimis saepe unum lemma totius ordinis locum tenere Schmidtius uoluit. Velut continuos Plautinorum exemplorum ordines perpaucos, plures a consueto more discrepantes inuenies. Quod autem unum alterumue scriptoris alicuius testimonium ad Schmidtii opinionem apte quadrat, id ita explicandum censeo, ut in Nonii collectaneis quidem illi de quibus Schmidtius cogitauit ordines exstiterint, quorum paucae reliquiae seruabantur, postquam lemmata a Nonio transposita et secundum ordinem alphabeticum digesta sunt.

[2] Goetting. gelehrte Anz. 1843 p. 697 sqq.

Atque ut ad Terentiana redeam, hos paucos Terentianorum exemplorum ordines per totum librum Nonianum indagasse sibi uisus est Schmidtius p. 106 sq.:

Cap. I.

31,9 *Defrudare*]	*Ter. Phorm.* (I 1,10).
	Plautus Asinaria.
sudum]	Verg. lib. VIII.
	Plautus Milite.
	Lucil. lib. XXVIIII.
inritare]	Lucil. lib. I.
	Ter. Phorm. (V 8,39).
	Verg. lib. X.
	Sall. hist. lib. I.
	Lucil. lib. XXVIII.
	Plautus Amphitr.
	Varro Sesquiulixe.
ablegare]	*Ter. Hecyra* (III 3,53 sq.).
arcanum]	Verg. lib. IV.
	et Aen. lib. I.
tormines]	Cic. Tusc. lib. II et IV.
monumenti]	M. Tull. ad Caesarem.
	Verg. lib. V.
riuales]	*Ter. in Eunucho* (II 3, 62 sq.).
gestire]	*Ter. Eunucho* (III 5,10).
	Verg. Georg. lib. I.
inuolare]	*Ter. Eunucho* (IV 3,6).
	Lucil. lib. XXX.
propinare]	*Ter. Eunucho* (V 8,57).
	Ennius Satir. lib. III.

Cap. II.

87,29 litt. C. *conuasare*]	*Ter. Phorm.* (I 4,13).
103,22 litt. E. *emulgere*]	*Ter. Phorm.* (IV 4,1).
effutire]	*Ter. Phorm.* V 1,18 sq.).
	Cic. Tusc. lib. V.
	Lucretius.

117,29 litt. G. *genium*] *Ter. Phorm.* (I 1,10).
Lucil. Sat. lib. XXVI.
165,6 litt. R. *ringitur*] *Ter. Phorm.* (II 2,27).
riscus] *Ter. Eun.* (IV 6,16).
175,3 litt. S. *screare*] *Ter. Heaut.* (II 3,132).

Cap. VIII.

493,12 *cautio*] *Ter. in Andria* (II 3,26).
acritas] Attius Neoptolemo.
largitas] *Ter. in Adelphis* (V 9,28).
dextrabus] Laberius in Odyssea (sic codd.).
curatura] *Ter. in Eunucho* (II 3,25).
Cic. Tusc. lib. III.

Ex hoc conspectu apparet, quam pauci et quam parum continui Terentianorum exemplorum ordines ex Nonio elici possint: ueluti inter primi capitis lemmata *ablegare*] et *riuales*] tria legimus lemmata, quae nulla exempla praebent nisi a Terentianis ordinibus aliena. Quodsi quis ingentem Vergilii testimoniorum, quae per Nonii libros sparsa sunt, copiam contulerit cum exiguis huius poetae ordinibus, quos Schmidtius p. 96 sqq. constituit, haud facile dubitabit, quin in Terentianis et in Vergilianis considerandis alia uia procedendum sit, atque quam Schmidtius ingressus est, cum praesertim in Vergilianis quos Schmidtius finxit ordinibus non unius carminis libros, uerum modo Aeneidem modo Bucolica modo Georgica promiscue prolata inueniamus.[1]

Iam illud quaerendum est, qui factum sit, ut longe maxima pars exemplorum Terentianorum, quae per totum Nonii librum disiecta nobis occurrunt, subseciuorum exemplorum locum teneant. Quod quamquam certo explicari nequit, non inepte conicere mihi uideor multos locos Terentianos non secus atque Vergilianos cum aliis quarti saeculi hominibus tum Nonio familiares fuisse atque Nonium leuiter inspectis horum poetarum codicibus suo arbitratu, quae ad exemplorum copiam augendam apta censeret, inde deprompsisse et lem-

[1] Ceterum ipse Schmidtius p. 4 concedit nonnullos ordines non omni exemptos esse suspicione.

matis ad alios scriptores pertinentibus adiecisse. Qua cum coniectura illud quoque congruit, quod quarta fere pars exemplorum Terentianorum, ac maxime ea, quae ad Heautontimorumenon et Hecyram spectant, apud nullum grammaticum praeter unum Nonium leguntur.

§ 6.

Neque uero omnia, quae apud Nonium leguntur, Terentii testimonia ex eodem fonte emanasse existimo:[1] immo non exiguum exemplorum numerum ex antiquiorum grammaticorum glossariis commentariisue hodie deperditis a Nonio in suum librum transscriptum esse mihi persuasum est. Quamquam certos eius rei fines terminosque constituere difficile est. Vt cetera omittam, ex ipso A. Gellio, quem inter Nonii auctores fuisse postquam Mercerus perspexit, accuratius demonstrauit Martinus Hertzius[2], Terentiana testimonia Nonius deprompsit nulla.

Verborum et aduerbiorum ordines, quorum uestigia cum alibi tum in capitibus I et II passim apparent, a Nonio ex glossario aliquo secundum litterarum ordinem digesto haustos esse Schmidtius p. 108 sqq. ac potissimum p. 114 docuit. Itaque haec, quae ad *uerborum* ordines olim pertinebant, a Nonio non ex Terentio ipso sed ex glossario hausta esse consentaneum est:

32,26 *gestire*] *Ter. Eun.* (III 5,10).
Verg. Georg. lib. I.
inuolare] *Ter. Eun.* (IV 3,6).
Lucil. lib. XXX.
propinare] *Ter. Eun.* (V 8,57).
Ennius Satir. lib. III.
39,15[3] *uituperare*] *Ter. in Andria* (prol. 8)
et in sequentibus (prol. 15), quo lemmate alphabeticus ordo turbatur.

[1] Partem ueri perspexit iam Schmidtius (p. 100 sqq. 140 sqq.), atque etiam in Terentianis ordinibus pauca lemmata cum explicationibus legimus, quae num ad Terentianos ordines pertineant, ipse Schmidtius dubitat (p. 107 sq).

[2] Annal. philol. 1862 p. 705 sqq. 779 sqq.

[3] cf. Schmidt. p. 108.

39,29 *populare*] Pacuuius Chryse.
Ter. Phorm. (I 1,1).

Item non pauca testimonia Terentiana una cum lemmatis in *aduerbiorum* ordinibus hic illic dispersis ex illius modi glossario uidentur fluxisse, ueluti in Nonii capite undecimo, quod inscribitur *De indiscretis aduerbiis;* cf. p. 22 etc.

Ex commentariis in alios atque Terentium scriptores conscriptis Nonium nonnulla testimonia Terentiana hausisse ita tantum demonstrari potest, ut eadem, quae apud Nonium citata exstant, testimonia Terentiana occurrere doceamus apud grammaticos antiquariosue, quos ex commentariis in uarios scriptores Romanos compositis multa deprompsisse constat.

Nonii copiae non paucae ad eosdem redeunt fontes atque Charisii et Prisciani [1], Charisius autem multa accepit a Iulio Romano [2], Romanus a Capro, Caper a Plinio, Plinius a Probo, Probus a Verrio Flacco, Verrius Flaccus a Varrone.

Atque ut ad Terentiana apud Nonium seruata redeamus, admodum pauca in aliorum grammaticorum libris redeunt, et ea quidem pleraque omnia in certis quibusdam Nonii capitibus exstant, quorum indoles haud scio an ueterum doctrinam maxime redoleat, id est in his capitibus: *De indiscretis generibus, de contrariis generibus uerborum, de mutata declinatione, de numeris et casibus, de indiscretis aduerbiis, de doctorum indagine.*

Ordiamur igitur a Charisio et Prisciano, quos grammaticos isdem fontibus ac Nonium usos esse Schmidtius docuit.

Leguntur in libri Noniani capite VIII *De mutata declinatione* haec, quae iam a Schmidtio p. 152 sq. collecta sunt:

Non. 483. 17 *quaesti pro quaestus*] *Titinius Fullonibus; Plautus Aulularia; Nouius; Terentius Hecyra* (V 3, 38) *Numquam animum quaesti gratia ad malas inducam partes; Pomponius Pistore; Turpilius Demiurgo; idem Hetaera; Caecilius Venatore; Varro Cato.*

---

[1] cf. Schmidt. p. 155.

[2] Schottmuellerus, De Plinii Secundi libris grammaticis p. 20 sqq.

Non. 483,33 *tumulti pro tumultus*] *Plautus Casina; Terentius in Andria* (II 2, 28) *Nihil ornati, nil tumulti; Pomponius Piscatoribus*; *Attius Aeneadis uel Decio*; *idem Nyctegresia.*

Char. (I) 22,17 *Quamquam ueteres omnia quartae declinationis ut secundae extulerunt, sicut Sallustius et Terentius 'quaesti gratia' et 'nihil tumulti'.*

Priscian. (II) 257,18 *Inueniuntur tamen antiquissimi multa ex supra dictis in genetiuo etiam i terminasse. Terentius in Andria 'Nil ornati, nil tumulti' pro 'ornatus et 'tumultus'. Idem in Adelphis 'fructi' pro 'fructus'. 'Quaesti'' pro 'quaestus' idem in Hecyra: Numquam animum quaesti gratia ad malas adducam partes.*

Quae quam arte inter se consentiant, nemo non uidet, praesertim cum alia eiusdem capitis VIII lemmata cum illis grammaticis consonantia accedant.[1] Priscianus unde illa hauserit, ipse indicauit (cf. 257, 10 *'excipit Probus'*.). Quibus Terentianis etsi a Nonio haud pauca exempla aliunde addita sunt, non dubito iis assentiri, quae Schmidtius de hoc consensu exposuit.[2] Etenim cum illa testimonia Terentiana Plautinis ordinibus (cf. Schmidt. p. 31) inserta sint, Schmidtius coniecit Nonium per commentatorem, quem in Plautinis ordinibus exscribendis Nonii auctorem fuisse uoluit, antiquae Probi eruditionis reliquias accepisse, cui Charisium multum debere notum est.

Lemma *duriter pro dure*] 512, 2 (*De indiscretis aduerbiis*) idem Schmidtius p. 104 commemorauit. Nonium ex isdem libris, quibus Charisius Acronis mentionem debebat, (Palaemonem dicit Iuliumque Romanum) hausisse probabiliter opinatus est:

Non. 512, 2 *duriter pro dure*] *Ter. in Andria* (I 1, 47 sq.) *Primo haec pudice uitam parce ac duriter Agebat (primum* libri Ter.); *Nouius Zona; Afranius Priuigno*; *Ennius Phoenice: Quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit; Caecilius Fallacia.*

Char. (I) 197,22 *duriter*] *Terentius in Adelphis* (I 1, 20)

---

[1] cf. Schmidt. p. 153.

[2] cf. Schmidt. p. 46 sq.

ruri agere uitam, semper parce ac duriter [se]se habere; ubi *Acron 'secundum antiquorum' inquit 'consuetudinem'. nam et Ennius in Phoenice:* sequitur idem uersus.

Prisc. (III) 70, 13 *Excipiuntur a duro 'dure' et 'duriter'. Terentius in Andria* (I 1, 47 sq.) *Primo haec pudice uitam, parce ac duriter Agebat.*

Item Terentianum apud Non. 499, 20 (*De numeris et casibus*) *Datiuus pro Accusatiuo*] *Ter. in Andria* (I 1, 42 sq.) *Interea mulier quaedam abhinc triennium Ex Andro commigrauit huic uiciniae* ex eodem fonte manasse uidetur atque Prisciani (III) 187, 22 *Terentius in Andria: Ex Andro commigrauit huic uiciniae pro 'in hanc uiciniam'.* Memorabilia sunt quae leguntur apud Charisium (I) 223, 11: *Viciniae, 'hic uiciniae'. Terentius in Hecura; ubi Celsus 'aduerbialiter' inquit 'ut domi militiaeque'.*

Cum Prisciano Plinium secuto Nonius consentit (*De indiscretis generibus*) 190, 8: *Angiportus generis masculini, ut apud multos; neutri Terentius Adelphis* (IV 2, 39) *Id quidem angiportum non est peruium. Idem in Eunucho* (V 2, 6) *In angiportum quoddam desertum.*

Prisc. (II) 262, 16 *A portu compositum tam masculini quam neutri generis inuenitur et secundae declinationis. 'hic angiportus' et 'hoc angiportum'. Sic Plinius Sec. in I artis grammaticae. Ter. quoque in Adelphis* (IV 2, 39) *Id quidem . . . peruium.* —

Atque haec quidem de Charisio et Prisciano. Transeamus nunc ad ea lemmata ad locos Terentianos pertinentia, quae una cum Terentianis testimoniis, etsi testimonia ex aliis scriptoribus sumpta hic illic addita sunt, communi tamen grammaticorum consensu ad eundem fontem redire maxime est uerisimile:

Non. 481, 25 *potior illam rem pro illa re potior*] *Ter. Adelphis* (V 4, 17 et 22)[1].

Arusianus Messius (VII) 498, 5 *potitur hanc rem*] *Sall. Iugurtha; Ter. in Adelphis* (V 4, 17 et 22).

Prisc. (III) 333, 27 *potior illius rei et illa re et illam*

[1] cf. p. 13 sq.

rem] *Ter. in Adelphis* (V 4, 17); *idem in eadem* (V 4, 22).

Non. 223, 11 *sal* (codd. *salis*) *genere masculino*] *Ter. Eun.* (III 1, 9—11).

Sergius in Donatum (IV) 542, 12 *sal masculini generis est*] *Terentius* (Eun. III 1, 10—11).

Prisc. (II) 147, 1 *In 'al' Latina neutra sunt omnia. Excipitur unum monosyllabum masculinum, 'hic sal salis'. Terentius in Eunucho* (III 1, 10). cf. Consentii artem (V) 348, 27; Don. ad Eun. III 1, 10; Bembini[1] Schol. (Studemund).

Non. 232, 20 *aduersum rursum apud significat*] *Ter. in Andria* (I 1, 15).

Arus. Mess. 451, 16 *aduersum te pro apud te*] *Ter. Andr.* (I 1, 15).

Sergius in Donatum (IV) 561, 10 *aduersum te, ut puta, si dicas 'aduersum te habeo gratiam' pro apud te, ut Terentius* (Andr. I 1,15), quocum conferas Donati explanationem ad Andr. I 1, 15.

Non. 517, 10 *Omnes artem secuti negant aduerbiis praepositionem addi oportere; sed auctoritas ueterum praeponi iubet.* 518, 15 *derepente*] *Ter. Hec.* (IV 1, 3).

Arus. Mess. 468, 17. *De repente* ⟨*cum praepositione*⟩] *Ter. Hecyra* (IV 1, 3).

Mar. Victor. (VI) 202, 16 *Aduerbiis praepositionem adici* [*posse*] *negant omnes technici oportere, quamuis licenter ueteres usi sint. Ter. in Hec.* (IV 1, 3).

Audacis excerpta (VII) 348, 27 *Aduerbiis autem praepositiones adici raro possunt, quamuis hoc ueteres usi sunt, ut Ter. in Hec.* (IV 1, 3).

Non. 468, 29 *deluctaui pro deluctatus sum*] *Ter. Hec.* (V 3, 31).

---

[1] Ed. pr. Vmpfenbachius, in Hermae uol. II 337—402; Studemundus, annal. philol. 1868, 546—571; 1882, 51—63.

Mar. Plotius (VI) 450, 9 *ut Ter.* (Hec. V 3, 31) '*ei qui anulum dum luctat, detraxit*' *pro* '*luctatur*'.

Cledonius (V) 59, 12. *Sunt uerba incertae significationis*. *Lucto: Terentius* (Hec. V 3, 31) '*anulum dum luctat detraxisse*'. —

Adde quod Mauri Seruii Honorati qui feruntur commentarii[1], in quibus quae ad grammaticam spectant ex Aspro, Probo aliisque maximam partem deriuata sunt, multa continent, quae in libro Noniano redeunt. Quae partim ad eosdem auctores reuocanda esse postquam Ribbeckius et Schmidtius l. c. p. 104 docuerunt, ego nonnulla, quae ad Terentiana testimonia pertinent, adiungam (cf. Thilonis praef. ad Seru. p. XIX sqq.):

Quod et Nonius 499, 19 *Datiuus pro Accusatiuo*] Terentianum laudat (Adelph. III 4, 45): '*Facite ita ut uobis placet*'[2] mire truncatum pro Terentianorum librorum scriptura '*Haec primum ut fiant, deos quaeso ut uobis decet*', et Seruius ad Aen. VIII 127 cum eodem lemmate *Terentius* '*facite ut uobis decet*' memoriae prodidit, communem utriusque fontem nemo non intellegit.

Item Nonium 409, 16 *triste maestum*] *Terentius in Andria* (II 3, 29) '*Caue ne te tristem sentiat*' (***H***[1] om. *te*) pro recto uersu '*Caue te esse tristem sentiat*' non sine auctore praebere luce clarius fit e Seruii notis ad Georg. I 96, ubi exstant haec: *Semper duae negatiuae unam confirmationem faciunt. Vnde male quidam locum illum legunt in Terentio:* '*Pater adest, caue ne te tristem sentiat*'; *sed ita legendum est:* '*caue te esse tristem sentiat*'. *Nam et* '*ne*' *et* '*caue*' *prohibentis est.* Vbi quamquam Nonii et Seruii lemmata diuersa sunt, tamen quoniam apud Seruium eadem est uersus Terentiani corruptela atque apud Nonium, communi fonti corruptam illam formam adscribemus.

Item quod apud Seruium legimus ad Aen. X 612 *Tristia*] *Vel quae tristem faciant uel quae seuera. Terentius: tristis seueritas inest in uultu* etc. (Andr. V 2, 16), ab eo minime ab-

[1] Ed. Thilo et Hagen, uol. I. 1881.

[2] *decet* pro *placet* legendum esse infra docebimus (cf. p. 39, cf. etiam p. 15).

horrere codices Nonianos 409, 20 *triste, seuerum*] *Terentius* ⟨*Andr.* (V 2, 16) *'se*⟩*ueritas inest in uultu atque in uerbis fides'* infra uidebimus (p. 32). —

Attamen dubitare licet, num ea quae cum Nonio consentiunt ex communi fonte ipse Seruius transscripserit, quippe qui a nullo plura petiuerit quam ab Aelii Donati commentariis. Atque quamquam Donati Vergiliani commentarii perierunt, sane Seruiani qui feruntur commentarii haud pauca praebent, quae in Donati commento Terentiano quamuis foede truncato reperiuntur.

Communia autem cum hoc Donati commento ex Terentianis testimoniis apud Nonium seruatis haec fere esse mihi uidentur:

1) Non. 240, 6 *accipere, pascere*] *Ter. Eun.* (V 8, 52).

Donatus cum Bemb. Schol. ad Eun. V 8, 52 *accipit, pascit.*

Seruius ad Aen. III 353 *accipiebat, pascebat*] *ut Ter.* (Eun. V 8, 52).

2) Non. 361, 33 *proprium, perpetuum*] *Ter. in Andria* (V 5, 3 sq.).

Donat. ad Andr. V 5, 4 *propriae*] *perpetuae, sempiternae.*

Seruius ad Eclog. VII 31 *proprium sane ueteres perpetuum, stabile, firmum*] *Ter. in Andria* (V 5, 3 sq.).

Donatus quos in usum uocauerit auctores, cum ex rebus, quas cum Charisio communes habet, tum ex ipsius commento perspicuum est: Asprum, Probum, Helenium Acronem, Celsum.[1]

Itaque mirum non est, si haud pauca lemmata uno alteroue loco cum eodem testimonio consociata cum apud Nonium et Seruium tum apud Nonium et Donatum isdem fere uerbis repetuntur, neque minus in Bembini Scholiis, quae satis magna ex parte ab integro Donato ducta esse constat.[2]

Longum est in Terentianis apud Nonium seruatis omnia ad unum lemmata cum Donato uel Bembini Scholiis consonantia exscribere. Omissis igitur rebus leuioribus conferas haec:

[1] cf. Vmpfenbach. p. XXXVII.

[2] cf. etiam Studemund., qui in commentationibus supra (p. 24 laudatis passim ea collegit, in quibus Nonius cum Bembini Scholiis consentit.

Donat. ad Andr. prol. 27 cum Non. 290, 32[1] || I 1, 15 cum 230, 20 || I 1, 47 cum 512, 2 || II 1, 2 cum 523, 3 || II 2, 36 cum 242, 7 || III 2, 6 cum 404, 16 || III 3, 1 cum 324, 3 || III 3, 2 cum 237, 25 || IV 2, 24 cum 73, 10 || V 4, 4 cum 322, 15.

Donat. ad Eun. I 1, 2 cum Non. 256, 9 || III 1, 10 cum Bemb. Schol. et Non. 223, 11 || III 5, 2 cum Non. 382, 25.

Donat. ad Phorm. I 2, 56 cum Non. 370 11 || I 2, 96 cum 344, 2 || III 1, 13 cum 249, 20.

Donat. ad Adelph. I 1, 23 cum Non. 298, 17 || I 2, 7 cum 96, 6 || III 4, 45 cum Bemb. Schol. et Non. 499. 19 || V 4, 1 cum Bemb. Schol. et Non. 399, 11 || V 4, 17 cum Bemb. Schol. et Non. 481, 25.

Donat. ad Hec. I 2, 84 cum Non. 23, 32 || I 2, 119 cum Non. 318, 17 ||. Bemb. Schol. ad Heaut. I 1, 28 cum Non. 419, 20.

Quorum similium interpretamentorum licet multa tamquam in communi commentatorum ore fuerint, haud pauca et apud Nonium et apud Donatum exstant lemmata, quorum interpretatio praeter Terentii uersum alterius quoque scriptoris testimonium commune complectitur:

Non. 31, 21 *Irritare dictum est proprie prouocare: tractum a canibus, qui, cum prouocantur, irriunt*]; *Lucil. Sat. lib. I* (I 32 M) *Irritata canes* (codd. *cane*) *quam homo quam planius dicit; Ter. Phorm.* (V 8, 39).

Donat. ad Adelph. II 4, 18 *irritatus siet*] *Velut clamet scilicet: et proprie de lenone, quem irritari dicit ut canem. Nam 'irritari' proprie canes dicuntur. Lucilius de litera R: Irritata canes quod homo quam planius dictat.*

Non. 253, 6 *capere, eligere*] *Ter. Hecyra* (IV 1, 22) *Verg. Georg. lib. II* (u. 230):

Donat. ad Hec. IV 1, 22 *cepimus*] *elegimus. Verg.* (Georg. II 230).

Non. 280, 8 *dicere, constituere*] *Ter. in Andria* (I 1, 75); *dicere, dicare*] *Verg. lib. VI* (u. 138).

[1] cf. Porphyrion. ad Hor. Carm. IV 15,18.

Don. ad Andr. I 1, 75 *hic dictus est dies*] *Vtrum constitutus? an dicatus?, ut Verg.* (Aen. VI 138).

Non. 291,13 *exigere significat agere*] *Plautus Captiuis*; *Verg. Aen. lib. I* (u. 74); *Ter. Hecyra* (III 5,40).

Don. ad Hec. III 5, 40 cum eodem Vergiliano (Aen. I 74).

Non. 363,21 *prodere, differre uel excludere*] *Vergilius; Lucil. Sat. lib. V* (45 M) *Possisne elabi an ⟨porro⟩ prodenda dies sit?; Ter. in Andria* (II 1,13).

Don. ad Andr. II 1,13 *prodat uero, proferat, prolatet, differat. Lucilius in quinto: An porro prodenda dies sit?*

Non. 393,8 *statim: producta prima syllaba a stando perseueranter et aequaliter significat. Terentius* (Phorm. V 3, 6 sq.); *Plautus Amphitryone*; *Idem in eadem* (I 1, 120) etc.

Don. ad. Phorm. V 3,7 *statim capiebat*] *statim perpetuo, aequaliter et quasi uno statu. Plautus* (Amph. I 1,120), *et habet primam longam; quando autem significat aliud, primam breuem habet.*

Similia inuenies Non. 367,18 et Don. ad Adelph. II 1,15 cum eodem Vergiliano (Georg. III 13); Non. 285,7 et Don. ad Adelph. IV 2,15 cum eodem Vergiliano (Aen. I 207).

Quae cum ita sint, duos locos Nonianos deprauatos ope Donati emendare uix dubitabis:

Legimus apud Donatum ad Andr. I 1,56: *Habet*] *Sic dicitur de eo, qui letaliter uulneratus est.* Contra apud Nonium 317,21 exstant haec: *Habere, fatiscere*][1] *Vergilius. Habere*] *Planum est quid significet, ut Verg.*; *Terentius Andria. Habere, tenere, occupare*] *Verg. Lucil. Plautus. Ter. Andria Certe captus est: Habet. Habere* etc. Iam Quicherato concedes exemplum Terentianum (Andr. I 1, 55—56) '*Certe captus est: Habet*' minime in lemma *habere. tenere, occupare*] quadrans transponendum atque lemmati *habere, fatiscere*] subiungendum esse.

[1] sic recte Quicheratus; *satis esse* codd.

Donati interpretamentum ad Andr. V 2,14 *Confidens*] *Confidentem hic pro* c o n s t a n t i, *non mala significatione posuit* secutus Terentianum (Andr. V 2, 14) '*Nescio qui senex uenit modo: ellum confidens, catus*', quod hodie apud Nonium 262, 19 sub lemmate *confidentia, temeritas, audacia*] legitur, transponendum atque lemmati quod subsequitur *confidentia,* c o n s t a n t i a] addendum esse conicio.

§ 7.

Denique quaerendum est, num Terentii testimonia apud Nonium seruata certum comoediarum ordinem sequantur.

Ac primum quidem cum in aliquot capitibus Nonius lemmata secundum litterarum ordinem digesserit, mirum non est, quod in his capitibus certus fabularum Terentianarum ordo non obseruatur. At ne iis quidem testimoniorum Terentianorum 'ordinibus', quos Schottmuellerus[1] et Schmidtius in Nonio indagasse sibi uisi sunt, idem ubique fabularum Terentianarum ordo efficitur.

Itaque ualde dubito, num omnino certum quendam ordinem tenere uoluerit Nonius in citandis testimoniis Terentianis.

Sane casui potius quam consilio Nonii illud tribuerim, quod et in capite III et in capite VIII Andria ante Adelphos, haec ante Eunuchum citatur:

Cap. III.

litt. O. 215,24 *Ter. in* A n d r i a (I 1,41).
litt. P. 219,19 *Ter. in* A n d r i a (III 3,34).
litt. R. 222,9 *Ter. in* A d e l p h i s (III 3,1 sq.).
litt. S. 223,11 *Terentius* ⟨E u n u c h o⟩ (III 1, 9—11).

Cap. VIII.

493,12 *cautio*] *Ter. in* A n d r i a (II 3,26).
acritas] *Accius.*
largitas] *Ter. in* A d e l p h i s (V 9,28).
dextrabus] *Liuius* (*Laberius* codd.).
curatura] *Ter. in* E u n u c h o (II 3,25);
Cic. Tusc. lib. III.

[1] Symb. philol. Bonnens. 1867 p. 830.

neque minus inuerso ordine legimus in Nonii capite IV:

235, 31 *aequales*] *Ter. in Eunucho*(II 3, 36).

236, 13 *apertum*] *Ter. Adelphis* (II 1, 13).

237, 25 *aditus*] *Ter. in Andria* (III 3, 2).

Cui rationi etsi nihil ponderis tribuo, moneo tamen illum ordinem consentire cum ordine, quem codices Terentiani DG (Victorianus et Decurtatus) et Donatus prae se ferunt.

CAPUT II.

§ 1.

Transeamus nunc ad eam disputationis partem, qua nobis propositum est, ut Terentiana testimonia apud Nonium seruata diligentius comparemus cum Terentii quae hodie exstant recensionibus. Quae quidem quaestio admodum ardua est atque difficilis, quia ad genuinam Nonii formam redeundum est, a qua eae quibus uti nobis licet Nonii editiones longe distant, neque Lucianus Muellerus quam parat editionem Nonii in lucem protulit.

Atque quamquam multum abest, ut *Merceri* in Nonium meritis obtrectem, tamen quoniam ille complurium bonae fidei librorum Nonii manuscriptorum rationem habere non potuit, hodiernae condicioni studiorum grammaticorum minime respondere editionem Mercerianam nemo est quin concedat.

Veteres quidem editores (*ed. pr.*, *Aldus, Hadrianus Iunius*, *Gothofredus*) quid emendauerint, adnotare solet *Quicheratus*. Attamen ne nimium illis tribuamus, cauendum est, cum saepius incautius in Nonio recognoscendo egerint. Idem Quicheratus codicum lectiones discrepantes parum plene enotauit; uelut codicis Harleiani antiquissimi collatione parum accurata cum uteretur, fere solas secundae manus lectiones commemorauit. Maxime autem dolendum est bonae notae codices Montepessulanum et Bambergensem non satis excussos uideri, nonnullos uero libros, quorum O. Ribbeckius in praefatione Tragicorum fragmentis praemissa p. VIII

mentionem facit, Vrbinates Vaticanae bibliothecae nr. 307 et 308, omnino non adhibitos esse.

Quae cum ita sint, praeter Mercerianam et Quicheratianam etiam *Gerlachii* et *Rothii* editionem ad partes uocandam esse existimauimus, qui paucis quidem, sed bonis codicibus ***W*** et ***L*** (Guelferbytano et Leidensi) usi sunt; itemque codicis Harleiani collationem ab Onionsio confectam.

Ea testimonia, quae non ex fabularum Terentianarum codice a Nonio petita esse uerisimile est, nisi uno alteroue loco non secernenda putaui a tanta ceterorum Terentii testimoniorum mole.

Ceterum ita rem instituam, ut primum quae Nonii propria esse uideantur considerem, deinde ea testimonia, quae optime seruata consentiunt cum communi Terentii memoria, percenseam, ad extremum his omnibus deductis ad ea, quae congruunt cum una alteraue Terentii recensionum, animum attendam.

§ 2.

Ordiamur igitur ab iis, quae tamquam Nonii propria occurrunt: quae ad exiguas quidem, at pretiosas et quae in Terentii crisi factitanda respiciantur dignas reliquias reducenda esse apparebit. Nam quod Hadrianus Iunius in epistula Nonii editioni praemissa totum librum Nonianum cum Augiae stabulo comparat, quin in tanta mendorum copia, quae Nonii codicum ad unum omnium redeuntium archetypum[1] communia sunt, permulta ad Terentiana quoque pertineant, nemini dubium est. Huc accedit leuissima ratio, quam Nonius grammaticorum more in omnibus scriptoribus excerpendis secutus est.

Iam supra[2] de nonnullis locis corruptis actum est, ubi lacunis in omnibus codicibus Nonianis statutis singula testimonia ex binis constare Terentianis demonstrauimus. Erant autem hi loci:

481, 26 *potior hanc rem*] in uerbis *mille potior*

---

[1] cf. Gerlach. praef. pag. XXIV sq.

[2] cf. pag. 13 sq.

gaudia inesse uidimus et Adelph. (V 4,17) *Ille ⟨alter sine labore patria potitur commoda* et Adelph. (V 4,22) *Hic⟩ potitur gaudia.*

Eundem librarii eius qui Nonianorum codicum archetypum exarauit errorem statuimus 255,10 *Ter. Phorm. Sed hostium concrepuit nihil ad te,* in quo occulta inuenimus: Phorm. (V 5,12) *Sed hostium concrepuit ⟨abs te* et Andr. (IV 1, 58—59) *Sed mane: concrepuit a Glycerio hostium.—⟩ Nihil ad te.*

Neque homines doctos [1] fugit 409,20 *triste seuerum*] ante uerbum *ueritas,* quod habent codices, lacunam esse, qua cum nomine fabulae et uerbo *tristis* syllaba *se⟨ueritas⟩* quoque excidisse uideatur, cum Nonius *triste* uerbo *seuerum* interpretetur. Scribendum ergo est consentiente Seruio (ad Aen. X 612 et Georg. III 37): *Terentius ⟨Andria* (V 2,16) *Trístis se⟩ueritás inest in uúltu atque in uerbís fides.* Quamquam Klotzius [2] cumque secutus Spengelius, [3] quibus uerbum *seueritas* in metro trochaico offensioni est, *ueritas* legi iubent.

Cui simile est 438,6 *innuere et adnuere*] Ter. Adelph. (II 1, 17), ubi Nonii libri '*adnuere si qui in pugnus continuo in mala haereat*' praebent (*si* om. *H* et *L W*, ut uidetur). Quod si cum Terentiano uersu comparaueris: *Ne mora sit⟩, si innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat,* loci corruptelam librariorum incuriae tribuendam esse elucet, qui uerbo '*adnuere*' repetito uersus initium truncauerint.

Iam illa manifesta archetypi Noniani menda contemplemur, quae in omnibus omnium scriptorum codicibus peruulgata iuueniuntur. Huius rei exempla ita commemorabo, ut non toto uersu exscripto errores uncis includam.

Multis locis librarius archetypi Noniani pari aut simili uerborum exitu adductus uidetur, ut falsa textui immisceret. Exempla profero haec:

250,17 Heaut. (II 4,9) *Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt* (*nostri*).

---

[1] cf. Studemund. in annal. philol. 1868 p. 568 adnot.

[2] Annal. philol. 1864 p. 200.

[3] cf. Klotzii et Spengelii editiones Andriae l. c.

271,8 Phorm. (I 2,3) *Conueniet numerus, quantum debui* (*conuenit; debuit*).

296,22 Heaut. (II 4,8) *Expedit bonas esse uobis: nos .... sinunt* (*nobis*).

318, 8 Eun. (III 1, 9 — 11) *Labore alieno magno partam gloriam Verbis saepe in se* etc. (*Verbo in se,* cum 223,11 recte codices Nonii *Verbis saepe in se* praebeant).

420,13 *uia*] Phorm. (III 3,33) *Qua uia istuc facies* (*quia*).

523,3 Andr. (II 1,2) *Apud forum modo e Dauo audiui* (*id dabo; audibo* uulgo, *autdibo* ***P***, *aut ibo* ***H***, *autibo* ***L*** man. sec. ***W***, *aut ibi* ***C***).

299,11 Heaut. (IV 1,16 sq.) *Erat hic Corinthia anus haud impura: ei dedi Exponendam* (*Corintianus* uulgo, *corinti anus* ***LW***; *impure*).

382,27 *rumpere*] Eun. (III 5,2) *Iamne erumpere hoc mihi licet gaudium* (*rumpere,* quam formam Mercerus et Bentleius Terentianam esse censent).

496,23 *ueretur illam rem*] Phorm. (II 1, 2 sq.) *Non simultatem meam Reuereri*[1] *saltem* (*uereri*).

525,5 *demensum*] Phorm. (I 1,9) *Quod ille unciatim uix de demenso suo,* ubi librarius archetypi Noniani praepositionem *de* ante *demenso* omisit.

11.22 Phorm. (I 4,5 sq.) *Ego in insidiis hic ero Succenturiatus* (*hic ero* uulgo omissum, *ero* ***H***[1])

24,29 *portitores*] Phorm. (I 2,99 sq.) *Sed epistulam ab eo allatam esse audiui modo et ad portitores esse delatam* (*portitorem*).

29, 30 Andr. (I 1, 32) *Et tamen .. mediocriter* (*sed tamen* Nonii codd., *set tamen* ***L***, *sed et tamen* ***H***).

31,9 *defrudare*] Phorm. (I 1,10) *Suum defrudans genium compersit miser* (*conspersit* uulgo; *in genium confersit* ***H***[1]***L***). Idem Terentianum redit 117,29 *genium*] *Suum* ..

---

[1] Cic. ad Att. II 19,1 *reuereri* cum codd. Ter.

miser (*con spersit* codd.), cum 525, 5, ubi idem exemplum denuo citatur, recte *conpersit* codices (*comperssit P*) exhibeant. Dignum autem est quod commemoretur in codice Terentiano Bembino *compersit* legi contra reliquorum librorum *comparsit* uel *conparsit.*[1]

31, 24 *irritare*] Phorm. (V 8, 39) *Irritor* (*irrito*).

59, 14 Adelph. (I 1, 6) *Quam ea quae parentes propitii* (*propitiat* [sequitur apud Nonium: *aut certe* uulgo, *propitia ut certe CD*]; contra 463, 11 recte *propitii* secundum libros Terentianos).

110, 21 *friget*] Phorm. (V 9, 5) Codd. Non.: *Terentius forma uit angens si non totus . . . enica* (*formauit angens HP*, *form aui tangens L*, *form aui tangues W*). Corrigendum est: *Terentius Form⟨ione⟩ Abi tange: si non* etc.

165, 6 Phorm. (II 2, 27) *Dum tibi sit quod placeat* (*cum*).

222, 9 Adelph. (III 3, 1 sq.) *Disperii! Ctesiphontem audiui filium Vna affuisse in raptione cum Aeschino* (*disperre Ctesiphontem* uulgo, *disper recte sifontem H*, *disperii audiui thefontem Q*; *filumina* uulgo; *offuisse* uulgo, *affuisse H* cum libris Terentianis praeter codicem A, in quo est *fuisse.*[2]

239, 26 Heaut. (II 3, 23) *Clinia, aliter tuum amorem atque est accipis* (*cum amore*).

252, 29 Andr. (IV 2, 12) *Non si capiundus mihi sciam esse . . . homines* (*scio*).

---

[1] Similiter aliis quibusdam locis, quos leuioris momenti aestimo, librariorum Nonianorum errores cum Bembino consentiunt:

254, 30 Heaut. (V 2, 11) . . . *ut neque egeres neque ut haec posses perdere* (*egeris* et *possis* cum Bembino codices Noniani, quamquam Quicherato teste *posses* (*possis P*) exstare dicitur.

278, 32 Heaut. (prol. 10) *Nunc quam ob rem . . . dabo* (*num quam* cum Bembino codices Noniani). [Idem Bembini error inuenitur Hec. II 1, 8 et Adelph. III 1, 3].

[2] Isdem atque Vmpfenbachius codicum Terentianorum notis utor:

A = Bembinus.	C = Vaticanus.
D = Victorianus.	B = Basilicanus.
G = Decurtatus.	P = Parisinus.
V = Fragmentum Vindobonense.	E = Riccardianus.
	F = Ambrosianus.

254, 4 *capere*] Phorm. (V 3, 6 sq.) *Nam ex his praediis talenta argenti bina Statim capiebat* (*latent argenti moeniae nam statim*).

256, 4 et 496, 10 Eun. (IV 4, 13 sq.) *Au. Ne comparandus hic quidem ad illum est (aut).*

256, 30 Heaut. (IV 8, 14) *Des qui aurum et uestem . . . comparat* (*dis cubia* uulgo; *discubia* ***P***; *dicubia* ***H***[1]; *dic ubi* ***Bern***). cf. pag. 14.

269, 9 Phorm. (I 1, 4) *Id ut conficerem. Confeci: adfero* (*aut*; *confici atfero* uulgo, *conficiat fero* ***HP***).

269, 33 Phorm. (V 3, 22 sq.) *Numquamne hodie . . . intellegis* (*numquam me hoc die*).

270, 4 Hec. (IV 2, 21) *Hic uideo me inuisam esse immerito: tempus est concedere* (*merito*).

275, 24 Andr. (I 1, 22 sq.) *Eo pacto . . . Cognosces* (*cognoscis*).

280, 8 Andr. (I 1, 75) *Placuit: despondi: hic nuptiis dictus est dies* (*despondit; hunc* uulgo, *hinc* ***H***[1]***L***).

285, 14 Heaut. (I 2, 30) *Et quod illum insimulat durum . . . est* (*insimulato*).

293, 2 Phorm. (I 2, 61) *Scin quam? quo euadat uide* (*sic inquam*; *euadat* uulgo, *euadit* ***H***[1]***P***).

305, 2 Eun. (III 1, 25) *Eone es ferox quia habes imperium in beluas* (*adeone est; qui* codd. Nonii cum Arusiano Messio 481, 24).

309, 21 *fingere*] Andr. (I 3, 15) *Et fingunt . . . fallaciam* (*effingunt*).

314, 10 *graue*] Heaut. (I 1, 40) *Hui tam grauis hos, quaeso* (*ultam* uulgo, *ul tam* Gerlachius, *ultra* ***Bern***).

339, 18 Adelph. (I 1, 40) *Et errat longe . . sententia* (*erat*).

349, 28 Eun. (IV 7, 18 sq.) *Quam . . . . . sapientem decet* (*condecet* uulgo, *decet* ***H***[1]; contra 296, 3 libri Noniani recte *decet*).

361, 33 Andr. (V 5, 3 sq.) *Ego deorum . . . . . quod uoluptates . . . sunt* (*uoluntates*).

363, 26 *prodere, differre*] Andr. (II 1, 13) *Vt aliquot*

saltem nuptiis prodat dies (*aut aliquod* codd. testibus Gerl. et Roth.; *nuptis prodeat*).

373, 4 Adelph. (III 3, 48) *O qui egomet produxi* (*O quin*).

373, 16 Adelph. (V 9, 28) *Quod proluuium haec subita largitas* (*subito*, contra 493, 17 libri Noniani recte *subita*).

380, 14 Adelph. (III 2, 21) *Ceteros . . . prosternerem* (*ciceros* uulgo, *ceteros* **H**²).

382, 28 Eun. (III 5, 2) *Iamne rumpere hoc mihi licet gaudium* (*lacet* uulgo, *iacet* **H**; *iacet hoc gaudium* **Bern**).

399, 6 Andr. (I 5, 13) *Quot modis . . . omnia* (*tot*).

399, 22 Eun. (IV 1, 14) *Vbi primum poterit, se illim* (codd. Terentiani: *illinc*) *subducet scio* (*potuerit* Nonius cum Terentianis codicibus DG; *illi*).

410, 27 Phorm. (II 2, 16) *Quia non rete . . . miluo* (*recte*).

524, 29 Eun. (IV 1, 2) *Nequam ille . . . faciat aut uim Thaidi* (*ausum tahidi*).

Ex dittographia orti sunt hi errores: [1]

235, 32 Eun. (II 3, 36 sq.) *Patris cognatum atque aequalem Archidemidem Nostin* (*aequalem te marcidemiden* uulgo, *aequalem timarcidem* **H**², *aequalem temarcidem iden* **P**).

337, 8 Phorm. (II 2, 25) *Tene asymbolum uenire unctum atque . . . balneis* (*tunc unctum*).

Neque minus ex archetypo propagata uidetur esse leuis uerborum transpositio:

254, 30 *capere*] Heaut. (V 2, 11) *Rationem cape, ut . . . perdere* falso scriptum esse puto pro *Cepi rationem*, quod est in libris Terentianis; facile enim ex lemmate erroris origo explicatur.

Ex his exemplis quae sequi uideantur, infra (p. 44) exponam: nunc de iis exemplis agam, quae quamuis Nonii in citando breuitate mutilata sint, cum iis tamen quae hodie supersunt Terentii recensionibus congruunt. 375, 14 exstat in Nonii libris manuscriptis: *postulare*] *Terentius in Andria:*

---

[1] cf. Duentzer. Zeitschr. für Alterthumsw. 1848 p. 485 sqq.

Alios mores postulat. Dehinc postulo, ut nihil sit morae. Qui Nonii error quomodo explicandus sit, iam Mercerus intellexit, cum adnotaret: 'Et hic memoriae suae nimium credulus Nonius non consuluit Terentii codices, in quibus (Andr. I 2, 18 sq.) *alios mores postulat. Dehinc postulo, siue aequum eŝt te oro, Daue, ut redeat iam in uiam.* At hic assuit ex praecedenti scaena (Andr. I 1, 139) illud: *Sin eueniat, quod uolo, in Pamphilo〉 ut nihil sit morae*'.

Atque omnino Nonium non secus atque alios grammaticos breuitatis studio ductum uersus initium exitumue saepius neglexisse uix est quod moneam. Nec non intra uersum idem uerba quaedam minoris momenti saepe omisit, ita tamen ut nonnullis locis uerborum structura claudicet. Exempla huc spectantia collegi haec; a Nonio omissa his uncis 〈 〉 inclusi:

32, 3 Hec. (III 3, 54 sq.) *Ne párturire intéllegat〉. Aliquó mihi est 〈Hinc〉 áblegandus, dúm parit Philúmena.*[1]

103, 25 Phorm. (V 1, 18) *Eo pérperam olim díxi〉 ne uos fórte inprudentés 〈foris〉 Effuttiretis.*

243, 12 Adelph. (I 1, 53) *Sed estne 〈hic〉 ipse, de quo agebam.*

244, 2 Heaut. (III 1, 49 sq.) *Asperum, Pater, hóc est: aliut 〈lénius〉 sodés para.*

256, 10 Eun. (I 1, 2 sq.) *An 〈potius〉 ita me comparem Non perpeti* etc.

252, 31 Heaut. (II 4, 19) *Nam〉 dum ábs te absum, omnes mihi labores 〈fuére〉 quos cepí leues.*

351, 30 Heaut. (II 1, 15) *Mea ést potens, 〈procáx〉, magnifica, súmptuosa, nóbilis.*

373, 16 Adelph. (V 9, 28) *Quod proluuium? 〈quae ist〉haec subita 〈est〉 largitas?*

361, 33 Andr. (V 5, 3 sq.) *Ego deorum uitam propterea sempiternam 〈esse〉 arbitror* etc.

---

[1] Perperam Gerlachius uerbo *hinc* omisso Terentio obtrudere uidetur hanc lectionem: *Aliquo mihi — Est áblegandus dúm parit Philúmena*; ipse Terentius testibus codicibus scripsit: *aliquo mihi est — Hinc áblegandus dúm parit Philúmena.*

413, 23 Eun. (IV 4, 3) *Illúd uide, os* ⟨*ut*⟩ *síbi distorsit cárnufex* (*contorsit* codd. Non.).

414, 33 Hec. (III 4, 24) *Ne* ⟨*me*⟩ *frustra illic exspectet uola* (*illic* cum libris Terentianis, *illi* editiones Ter.)

270, 29 *conuenire*] Eun. (II 2, 3 sq.) *Conueni hodie adueniens mei loci quendam* ⟨*hinc*⟩ *atque ordinis Hominem* etc.

324, 17 *impurus*] Eun. (II 2, 3 sq.) *mei loci* ⟨*hinc*⟩ *atque ordinis Hominem* etc.

359, 9 *offendere*] Eun. (II 2, 3 sq.) apud Nonium legitur: *Offendi adueniens quendam mei loci* ⟨*hinc*⟩ *atque ordinis Hominem*, de quo iam supra (p. 10 adnot.) disseruimus.

232, 22 Andr. (I 1,15) *Et id grátum fuisse aduérsum* ⟨*te*⟩ *habeo grátiam.*

Neque minus Nonii neglegentiae tribuendae uidentur uerborum quaedam mutationes et transpositiones:

436, 11 *celare*] Andr. (I 1, 105 sq.) *Bene dissimulatum amórem et celatum indicans Accurrit* pro librorum Terentianorum scriptura *indicat Accurrit.*

59, 14 et 463, 11 Adelph. (I 1,6) *Iráta*⟩ *quam illa quaé parentes própitii;* pro *illa* Nonius utroque loco *ea* praebet, qua forma paulo minus elegantes numeri efficiuntur.

296, 29 Phorm. (I 4, 19) *Atque id si potes, uerbo expedi* (*ea* codd. Non.).

219, 20 Andr. (III 3, 34) *At stuc periculum fieri in filia graue est* pro *in filia fieri*, quod metrum postulat.

262, 20 Andr. (V 2, 14) *Néscio qui senéx uenit modo: éllum, confidéns, catus*; Terentius multo suauioribus usus est numeris: *modo uenit.*

270, 5 Hec. (IV 2, 21) *Hic uideo me inuisam esse* ⟨*im*⟩*merito: tempus est concedere* pro *me esse inuisam.*

358, 19 Eun. (V 8, 26 sq.) *Hoc si feceris, Quoduis praemium donum a me optato* pro *donum praemium* (cf. Donatum).

468, 32 Hec. (V 3, 31) *Dicitque illis anulum sese dum luctat detraxisse* (*dixit quae illi samilum P*) pro *sese illi anulum.*

Plus dubitationis affert 249, 13 Eun. (V 1, 16) *Ouem commisisti lupo* contra libros Terentianos: *Scelésta*⟩ *ouem*

lupó commisti. ⟨*dispudet* (*commisisti* codd. Terentiani). Attamen postquam apud Acronem qui fertur in Schol. ad Horat. carm. I 3, 11 (Hauthal) eadem ac Nonii transpositio nunc sublata est, illud fortuito factum et Nonii neglegentiae in exscribendis testimoniis tribuendum esse censeo, non ueteri fonti deberi.

His addo uersum illum (Adelph. III 4, 45) mirum in modum deformatum, quem Nonium ex communi cum Seruio fonte in librum suum transscripsisse supra (p. 25) coniecimus: 499, 19 *Datiuus pro Accusatiuo*] *Terentius Facite ita ut uobis placet*; contra libri Terentiani: *Haec prímum ut fiant deós quaeso ut uobís decet.* (Donatus adnotat: *deest 'facere'* i. e. post uerbum *decet.*)

Primum nos offendit uerbum *placet*, quod Nonii contextui a librario quodam, ut Nonii quam existimauit neglegentiae succurreret, pro *decet* substitutum esse probabilius est quam Nonio ipsi deberi. Etenim et inepte uerbo *placet* admisso testimonium lemmati *Datiuus pro Accusatiuo* subiungitur et ex simili testimonii apud Seruium et Marium Plotium forma, de quibus supra (p. 15) diximus, satis perspicuum est illas anomalias, quae in capite IX (*De generibus et casibus*) tractantur, ad communem fontem reuocandas esse. Miram autem corruptelam inde ortam esse iudicem, quod auctor uetus, cum memoriae nimium confideret, parum accurate uersum laudauit.

Neque dubito iis assentiri, quae Mercerus de uersu 184, 26 *Vetustas et antiquitas*] ex Hecyra (V 4, 8) laudato: '*Quis me est fortunatior uetustatisque adeo plenior*' in notis disputauit, ubi Nonii stupori falsam scripturam *uetustatisque* pro *uenustatisque* tribuit, qui 'uitiosum exemplar nactus inepte explicare maluerit quam corrigere'.

In eodem libro, quem ante oculos habebat Nonius, alia uidetur fuisse falsa scriptura. Etenim cum Nonius bis 36, 20 *e mungi*] et 103, 22 *emungere*] Phorm. (IV 4, 1) *Emunxi argento senem* perperam pro *senes*[1] una cum Arusiano Messio 472, 28 praebeat, id communem fontem potius redolet, quam ut cum Hermanno Schindlero[2] errorem litterarum mutatione ortum agnoscamus.

[1] cf. Bemb. Schol.: argentum [*ei*]*s* abstuli.

[2] H. Schindler, Obseruationes criticae et historicae in Terentium. Diss. Halis 1881 p. 10.

Accedunt leues uerborum transpositiones, quae aut Nonii in citando leuitate ortae sunt aut ad singularem qua Nonius utebatur Terentii fabularum recensionem redeunt:

32, 27 Eun. (III 5, 10) *Chaérea quid est quód sic gestis? aút quid hic sibi uestitus quaerit?* Verbo *aut* seruato, quod exhibent codices Terentiani praeter unum codicem Bembinum, in quo extat QVIDVE deletis duabus litteris extremis a correctore recenti, non dubitem Nonii uerborum ordini ***hic sibi*** pro *sibi hic* assentiri, nisi Bembini lectio sit praeferenda: *Chaérea quid est quód sic gestis? quid sibi hic uestitus quaerit?*

269, 28 Adelph. (II 2, 9) *Metuísti* ***nunc si***[1] *dé tuo iure cóncessisses paúlulum* pro ***si nunc.***

382, 28 Eun. (III 5, 2) *Iámne ⟨e⟩rumpere hóc* ***mihi licet*** *gaúdium* pro ***licet mihi.***

446, 29 Andr. (I 1, 134 sq.) ***Pédibus manibusque*** *obnixe omnia Facturum* pro ***manibus pedibusque.***[2]

Has uerborum transpositiones quamquam non omnes a Terentii oratione metroque abhorrere concedendum est, plerasque tamen non audeo in numerum eorum locorum referre, quibus Nonius nouas quasdam lectiones Terentianas memoriae prodidit. Quorum numerum exiguum esse facere non possum, quin Vmpfenbachio concedam. qui de Nonianis p. LVI sqq. breuiter disseruit:

96, 7 Adelph. (I 2, 6 sq.) *Ílla quae* ***ante***[3] *fácta sunt Omitto,* ubi libri Terentiani: ***antehac.***

483, 22 Hec. (V 3, 38) *Numquam animum quaesti gratia ad malas* ***inducam***[4] *partes* pro ***adducam*** (codices Terentiani CB soli: *ducam*).

Et fortasse 399, 22 Eun. (IV 1, 14) *Vbi primum poterit, se illi⟨m⟩*[5] *subducet scio* (codd. Non. *illi*) pro *illi⟨nc⟩.*

---

[1] *nunc si* apud Terentium legitur: Andr. III 5, 5; Phorm. prol. 12.

[2] Similis exempli Studemundus me attentum fecit, quod exstat in Plauti Pseudolo 841 — 843 R., ubi uerba *manibus* et *pedibus* in recensione Palatina alio ordine commemorantur, alio in Ambrosiana.

[3] *ante* ita legitur: Andr. I 5, 4. (III 3, 24). Eun. IV 5, 7. Hec. IV 2, 5

[4] sic Hec. IV 4, 67: *Nunc ánimum rursum ad méretricem* ***induxti.*** *tuum.*

[5] cf. Hec. III 1, 17, ubi *illi* A, *illinc* reliqui codices Terentiani praebent. Edd.: *illim* inde a Bothiana.

Confirmant eandem ac Nonius 512, 2 scripturam Seruius (Aen. VIII 412) et Priscianus (III 70, 7) Andr. (I, 1, 47 sq.) *Primo haéc pudice uítam parce ac dúriter Agebat.* (*Primo,* quod Fleckeisenus recepit, contra Donati et codicum Terentianorum [A deest] lectionem *primum*).

Quod Nonius 409, 16 Andr. (II 3, 29) *Caue ne te tristem sentiat* (*te* om. ***H***[1]***P***) profert contra librorum Terentianorum [A deest] factionem *Caue te esse tristem sentiat*, id eum ex uetere aliquo fonte accepisse collato Seruio in Georg. I 96 demonstrauimus supra (p. 25). Similis scriptura inuenitur in codice Terentiano D (Victoriano), qui, si Vmpfenbachii adnotationem recte intellego, habet *caue te esse tristem ne sentiat Γ faciam*, ita tamen ut lineola uocabulum *ne* tanquam delendum insigniatur.

Veteri fonti Nonium 393, 10, cum simile atque Donatus lemma (cf. p. 28) exhibeat, Phorm. (V 3, 6 sq.) *Bina talenta Capiebat* (*capiebam* codd. Non.) *statim* debere elucet contra Terentianum:

Tutátur: nam ex eis praédiis⟩ talénta argenti bína
Statím capiebat ⟨uír uiro quid praéstat! — Binan quaéso?

(VIR *em* A, *em* add. corr. rec.; *hem uir* DCBPEF²); contra idem Nonius 254, 4 *capere*] *Statim capiebat* cum Terentii libris facit. Sed tamen, ut Ritschelii[1] uerbis utar, sat graui illud (sc. lemma) causa Bentleio fuit cur rectissimo me iudice sensu seruata '*hem*' particula omissa a Bembini codicis manu prima talem uersum ederet: *Capiébat statim. hem uír uiro quid praéstat? Binan quaéso?*. Nam etiam casu solo a principe librario praetermissa secunda in illo libro manus addidit haud adeo pauca.

278, 23 Heaut. (III 1, 46 sq.) *Namque*[2] *ei unam caenam atque eius comitibus Dedi* (*ieiunam* ***H***[1]***P***), ubi libri Teren-

---

[1] Opusc. philol. IV 275 sq.

[2] *Namque* ante uocabula a uocali uel ab *h* incipientia legitur his locis: Andr. I 1, 40. III 5, 18. Hec. III 5, 24. Adelph. II 1, 39. II 4 14. — Eun. III 2, 34. IV 4, 13.

tiani: *Sensi:⟩* ***nam unam** eï cénam atque eius cómitibus.* Admodum dignum est quod adnotetur Bembini correctorem recentem (saeculi XV?) syllabam *que* particulae *nam* adiecisse; qua accepta suauius sic fluunt numeri: *Sensi:* ***namque únam ei** cénam etc.*

Plurimas autem discrepantias ex glossematis ita natas esse censeam, ut Nonius libro Terentiano instructo glossis inter lineas appictis usus sit; cum praesertim uno alteroue loco in codicibus Terentianis, quibus nobis uti licet, eadem uel similia glossemata exstent; sane minus probabiliter conicias Noniani operis archetypo illas glossas supra testimonia Terentiana adscriptas fuisse et postea in uerba continua librorum Nonianorum se insinuauisse. Videtur autem Nonius modo solas glossas suprascriptas pro infra scriptis uerbis Terentianis in lexicon suum transscripsisse, modo haec cum illis consociasse, modo ueram libri Terentiani scripturam seruasse, quam ii quibus nobis hodie uti licet libri Terentiani cum glossemate commutauerunt.

272, 19 Eun. (II 3, 67), ubi Terentius dedit: ***Istunc ipsum.** Homo quatietur certe cum dono foras,* apud Nonium traditum est: ***Nimirum** homo* etc.

285, 11 Adelph. (IV 2, 15) *Nón hercle hic **qui uúlt** durare quísquam, si sic fít, potest* pro Terentiano *Non hercle hic **quidem** durare* etc. Receperunt Nonii lectionem Fleckeisenus et Dziatzko.

231, 27 *uespera*] Heaut. (I 1, 15 sq.), ubi libri Terentiani exhibent: *Numquám tam mane **egrédior** neque tam uésperi **Domum reuortor**,* apud Nonium est: *Numquam tam mane **domo egredior** neque tam uesperi **reuortor.***

87, 30 Phorm. (I 4, 13) *Aliquid conuasassem atque hinc **me ego coicerem** protinam in pedes* (*protinus* Nonius cum libris Ter.), quod perperam scriptum est pro ***me conicerem.***

237, 25 *aditus*] Andr. (III 3, 2) *Aliquot me adierunt ex te **auditum esse,*** ubi codd. Terentiani praebent: *Aliquot me adierunt ex te **auditum**[1] ⟨qui aibant.*

[1] Quicheratus talem uersum edidit: *Aliquot me adierunt, ex te **aditum** ⟨qui aibant.⟩* At lemmati *aditus*] sufficit uerbum *adiere.*

246,24 *adducere*] Heaut. (II 3,70) *Adducimus ad te tuam Bacchidem* pro *adducimus tuam.*

495,19 Hec. (prol. II 14) *Prope iam remotum ab iniuria aduersarium* pro *remotum iniuria.*

172,15 *satias*] Eun. (V 5,3), ubi Terentius dedit: *Vbi sátias coepit fieri, commutó locum,* apud Nonium traditum est: *Nam ubi me forte satias coepit, commuto locum* (*nam ut me forte* ***H***[1]***L***; *coepit fieri* ***O***, *cepit* ed. 1476).
Particulam causatiuam *nam* ex antiquo glossemate natam esse Donatus auctor est, qui *deest 'nam'* adnotat. Neque alium locum tenere uidetur uerbum *forte* tanquam glossema uerbo *ubi* adscriptum. Attamen ualde dubito, num Nonius illum uersum, quem optime ita constituere licet '*Vbi fórs me satias cépit commutó locum*', ante oculos habuerit, quoniam Quicherato teste codex ***O*** (Parisinus) ad libros Terentianos propius accedit.

344,2 *merum*] Phorm. (I 2,96) *Nihil habet nisi spem meram* pro ⟨*Non multum habet Quod det fortasse? Immo*⟩ *nihil nisi spem meram.*

33,5 *propinare*] Eun. (V 8,57) *Hunc uóbis comedendum et bibendum et deridendum propino* (*hunc uobis hunc com.* ***H*** deleto *uobis*).
Legitur apud Terentium in editione Vmpfenbachiana: *Húnc comedendum uóbis propino ét deridendúm.* ⟨*Placet.* (*diridendum* A, *et deridendum uobis propino* DG, *et deridendum uobis pro pinebo* C, corr. C^2, *et deridendum uobis praebebo* PEF). Vt omittam suspectam uerborum turbam, uerbum *deridendum* minime congruit cum uerbo *comedendum*[1]. Rectissime igitur Bentleius uersum Nonio auctore sic restituit: *Húnc comedendum et ébibendum uobis propinó.* ⟨*Placet.*

244, 2 Heaut. (III 1, 49 sq.) utrum Nonii lectio: *Asperum Pater hóc est aliut* ⟨*lénius*⟩ *sodés para* an librorum Terentianorum *uide* praeferenda sit, ambigo, cum et *para*[2] optime in usum Terentianum quadret et *uide.*

Frustra denique operam consumas, ut Adelph. (II 3, 10)

[1] cf. Bentl. ad Eun. V 8, 57.
[2] Eundem uersus exitum libri tradunt: Andr. I 5, 19. Phorm. V 8, 64.

aptum efficias metrum uerbo *amorem*, quod exhibent codices Terentiani, seruato, nisi Nonius uersum claudicantem sanet, qui 305, 26 haec habet: *Maledícta famam meúm laborem*[1] ⟨*et péccatum*⟩ *in se tránstulit* (*fama HP*). *Amorem* quam uetus sit glossema, docet Sulpicii periocha, quem argumenti u. 5 sq.: *famam rei Amoris in se transferebat* (sec. Vmpf.) ope huius uersus concinnasse elucet. Re uera autem *laborem* pristinam fuisse 'Victorianae' recensionis scripturam inde quoque apparet, quod unus codex Terentianus Lipsiensis[2] *laborem* seruauit.

Vt summam faciam eorum, quae singillatim exposui: longe plurima Terentianorum testimoniorum in Nonii codicibus librariorum incuria foede truncata et mutilata sunt; multa deformauit Nonius ipse, qua erat in citando leuitate; pauca digna existimauimus, quibus uteremur ad poetae manum reuocandam.

§ 3.

Bonis autem libris Terentianis Nonium usum esse inde quoque apparet, quod multa testimonia Terentiana aut cum omnibus Terentii recensionibus congruunt, aut ubi Bembinus deficit, certe cum Victoriano et Decurtato aliisque libris optimis Vaticano et Parisino. Sunt autem haec:

Andria[3].

* 39, 16 Andr. prol. 15 (*uituperant* uulgo, *uituperent W*, *uituperanti P*).
* 59, 17 — prol. 22.
* 291, 2 }
* 402, 22 } — prol. 27.
* 301, 20 — I 1,7.
* 317, 25 }
* 366, 6 } — I 1, 12.
* 499, 21 — I 1, 42 sq. (*interea* uulgo, *intea P*; codd. Nonii *huic uiciniae* cum DGPEB, *huic* C).
* 317, 31 — I 1, 55 sq.
* 383, 10 — I 1, 96 sq. (Nonius *pedissequas* cum CBE).
* 384, 24 — I 1, 110.
* 369, 30 — I 1, 114.
* 378, 23 — I 1, 139 sq.
* 360, 12 — I 1, 142 sq.
* 271, 25 — I 2, 28.
* 280, 11 — I 2, 33 sq.
* 285, 21 — I 3, 14.
* 484, 3 — II 2, 28.
* 242, 12 — II 2, 36.
* 493, 12 — II 3, 26.
* 351, 18 — II 4, 3 (*alicunde*

[1] Id Quicheratum uidetur fugisse, cum in uersu restituendo libros Terentianos secutus sit.
[2] De quo egit Brugman. in annal. philol. 1876, 420.
[3] Versus qui in Bembino desunt asterisco distinxi.

Nonius cum codd. Terentianis plurimis, *aliunde* DE).
* 404, 16 — III 2,6 (*scitus* cum CBDEP, *citus* G; *natus* contra GE *natus e*).
* 393,19 — III 2,7.
* 256,12 — IV 1,3 sq. (*gaudeant* et *comparent* contra DGE *gaudeat* et *comparet*).
* 73,11 — IV 2,24 (***P*** solus *proin* pro *proinde*).
322,16 — V 4,4.

Eunuchus.

519,4 — prol. 1 sq. (*se* om. ***W*** cum AP).
301,13 — I 1,4.
264,2 — I 2,41 sq.
365,30 — I 2,53 sq.
388,25 — II 1,25.
32,24 — II 3,62 sq.
528,7 — III 1,7 (*uel rex* ⟨*semper maximas* uulgo, *uel rex. m. mag.* ***P***).
364,10 — III 2,23.
32,32 — IV 3,6 (*facile* cum codd. Terentianis contra D *faciē*).
296,13 — IV 4,1 sq.
299,20 — IV 4,15 sq.
165,9 — IV 6,16.
296,4 — IV 7,19 (*experiri quam* Nonius cum codd. Terentianis, *experiri consilio quam* ***Bern***).
190,13 — V 2,6.
410,19 — V 8,49.

Heautontimorumenos.

420,14 — Heaut. I 1,49 sq.
288,2 — I 1,72.
251,32 — I 1,84 sq. (*colet* cum codd. Terentianis contra D²E *incolet*).
373,5 — I 1,92.
264,32 — I 1,93 sq.
321,2 — I 2,11 (*ut nobiscum* Nonius cum codd. Terentianis, *a nobiscum* ***HWP***).
302,27 — I 2,28.
389,26 — II 2,1.
253,18 — II 3,13.
373,14 — II 3,53 sq.
182,11 — II 3,120.
175,3 — II 3,132.
251,21 — III 3,13.
7,25 — V 1,77 sq. (*egone si uiuo* Nonius cum codd. Terentianis, *ego si uiuo* ***DMp***).
299,15 — V 1,77 sq. (*egone si uiuo* uulgo).

Phormio.

39,32 — Phorm. I 1,1.
381,6 — I 2,6.
198,18 } — I 2,56.
370,13 }
* 501,19 — I 3,20 (Nonius cum Donato et cum codd. Terentianis).
287,10 — I 4,23.
363,2 — I 4,35.
269,9 — II 1,28.
276,27 — II 3,75.
282,8 — II 4,17.
407,16 — III 2,35 (*aduorsum* Nonius cum ACBPEF contra DG *aduorsus*.
371,15 — V 3,7.
269,17 — V 5,11.

Hecyra.

24,4 — Hec. I 2,84.
318,19 — I 2,119.
382,19 — III 4,21.
295,32 — III 5,39.
291,17 — III 5,40.
253,7 — IV 1,22.
296,32 — V 1,29.

Adelphoe.

232,17 — Adelph. I 1,2.

298, 18 — I 1, 23.
31, 3 — II 1, 1.
408, 23 — II 1, 3 (*hic* ***HC*** cum codd. Terentianis, *hoc* ***LWP***).
236, 13 — II 1, 13.
438, 8 — II 1, 20.
388, 9 — II 1, 42.
372, 32 — III 2, 16.
284, 21 — III 4, 40.
190, 11 — IV 2, 39.
399, 11 — V 4, 1.

Accedunt aliquot loci, qui nisi orthographia singulorum uerborum a communi traditione non recedunt aut cum uno alteroue codice Terentiano consentiunt:

In nominibus propriis '*h*' aliquotius omittitur: 32, 27 Eun. (III 5, 10) *Cerea* (***W***: *Cherea*) pro *Chaerea*; 222, 10 Adelph. (III 3, 2) *Aescino* pro *Aeschino*; 324, 6 Andr. (III 3, 1) *Cremetem* pro *Chremetem*. Contra 348, 20 Adelph. (III 2, 37) *lachrimas* pro *lacrimas* scriptum est; item 255,11 Phorm. (V 5, 12) *hostium* pro *ostium*.

304, 14 Eun. (IV 4, 17) *fedus* pro *foedus*; 337, 9 Phorm. (II 2, 25) *asembolum* pro *asymbolum*; 325, 22 Hec. (III 4, 2) *Parmenon* (*Parmeno* ***H***) pro *Parmeno*.

Pronomina leuiter mutata sunt: 518, 16 Hec. (IV 1, 3) *se ad* pro *sese ad*; 254, 4 Phorm. (V 3, 6) *ex his praediis* pro *ex eis praediis*.

Recte Nonius tenet 385, 29 Hec. (III 5, 56) *paulum* cum CB contra AD¹PEF *paululum*, et 87, 30 Phorm. (I 4, 13) seruauit cum A²D¹C¹P¹E²F et Donato *conuasassem* pro *conuasissem*. Vtrum Nonius 96, 7 Adelph. (I 2, 7) *designauit* cum AE an potius *dissignauit* cum DGVCBP legerit, incertum est, cum libri uarient: *designauit* ***W***, *dissignauit* ***HLCDPMp***. Cum Bembino (et CP) facit Nonius 397, 14 Adelph. (IV 1, 4) *prorsum* contra DGE *prorsus* et fere 367, 23 Adelph. (II 1, 15) *stuc* (*istuc* AC¹PF) contra D²GC²BE *istoc* (*istic* D¹).

§ 4.

Quo facilius perspiciatur, quibuscum potissimum codicibus Terentianis Nonius consentiat, in eos locos Terentianos apud Nonium seruatos inquirendum est, quorum lectio diuersa est in uariis Terentii fabularum recensionibus.

I. ***Bembinus seruatus est.***

A) Cum Bembino consentit Nonius.[1]

a) Noniana congruunt cum Bembino et DG⟨V⟩ et Donato qui restat, saepius insuper uno alteroue ex ceteris codicibus adstipulante, praecipue codice C (Vaticano)[2]:

Andr. V 4,38 (379,16) *odium*[3] cum AD^2C^1 et cum Donati lemmate; *odio* reliqui libri.

Andr. V 5,3 (361,33) *deorum uitam* cum DGV et A fortasse (EGO DEOR)VM et cum Donati lemmate; *uitam deorum* reliqui.

Eun. III 1,11 (223,11. 318,9) *quod* cum $A^1D^2C^1P^1E$ et Donato; *qui* reliqui.

Eun. III 1,37 (337,19) *facete lepide laute* cum ADGF et Donato[4]; *facete laute lepide* reliqui.

Eun. IV 7,10 (61,7) *domi* cum A^1D et Donato et Eugraphio; *domum* reliqui.

Eun. V 5,26 (382,30) *intro rumpere* cum AD^1 et Donato; *intro irrumpere* reliqui.

Eun. V 8,52 (240,7) *homo* (*hominem L*) cum $AD^1C^1P^1$ et Donato (sec. Vmpf.); *hominem* reliqui. — *prorsus*[5] cum ADGE et Donato; *prorsum* CPF; *prorsus pascit* E, quocum conferas Donati *accipit*, *pascit*] et Nonii *accipere, pascere*].

Eun. V 8,57 (33,5) *propino* cum ADG et Donato; *praebebo* reliqui.

Heaut. I 1,28 (419,21) *opus facto est* cum AD; *opus est facto* reliqui (G deest).

---

[1] Eodem pertinent loci, in quibus scribendis Bembini librarius leuiter errauit: Eun. IV 4,14 (496,11. 256,4) *Ne comparandus* omnes, *nec comparandus* AE. — Phorm. V 6,27 (386,12) *suspenso* omnes, *suspensu* A. — Hec. III 4,1 (325,22) *Ain tu tibi, tu* om. A. — Hec. IV 2,21 (270,5) *tempus est concedere*, A interpolat *me* (post *est*). — Hec. V 3,31 (468,32) *anulum dum*, A interpolat *de digito*.

[2] Vaticani corrector antiquus (sec. Vmpf.), Noniana si spectas, optime locis quibusdam cum Bembino congruit.

[3] Diductis litteris signaui eas lectiones, quas optimas Terentii editiones secutus recipiendas esse censeo.

[4] Donatus *lepide* interpretatur ante *laute*.

[5] Quicheratus *prorsum* scripsit; codices bonae notae *HWL* praebent *prorsus atque prolixius*, quod perperam traditum est pro *prorsus neque prolixius*.

Heaut. IV 1, 16 (299, 11) *Corinthia anus* cum ADG; *anus Corinthia* reliqui.

Heaut. V 1,78 (7,25. 299,15) *Adeo depexum ut dum uiuat* cum A(D)G; *adeo depexum usque ut dum uiuat* reliqui (D in margine); *usque* uidetur glossema esse uerbo *dum* adscriptum.

Heaut. V 2,11 (254,30) *ut neque egeres* cum ADG; *ut neque tu egeres* reliqui.

Phorm. I 2, 100 (24,29) *delatam* cum ADG et Donato; *latam* reliqui.

Phorm. II 2,25 (337,9) *asymbolum* (*asembolum* codd. Nonii) cum AGC¹P et Donato; *ad simbolum* reliqui.

Adelph. I 1,53 (243,12) *ipse* cum AD; *ipsus* reliqui et Donatus in lemmate; *ipsus* Fleckeisenus aliique recte receperunt.

Adelph. III 3,80 (372, 5) *obtemperet* cum AG¹F¹; *obtemperat* reliqui et Donatus.

b) Cum Bembino solo Noniana congruunt:

Andr. V 4, 53 (426, 21) *felicem diem* cum AG¹, *felicem hunc diem* reliqui (Donatus deest).

Eun. II 3, 98 (264, 25) *Iubeo*[1] *cogo atque impero* fere cum A (A: *iubeam cogo atque impero*); *iubeo immo cogo atque impero* reliqui (Donatus deest).

Eun. III 1, 9 (223,11. 318, 9) *magno* cum A; *magnam* reliqui (Donatus deest).

Eun. IV 4,17 (304,14) *nunc tibi uidetur* cum A¹; *nunc eo tibi uidetur* uel *nunc eo uidetur* reliqui et Donatus in lemmate.

Eun. V 8,26 (358,19) *feceris* cum A; *effeceris* reliqui; (Donatus deest).

Heaut. II 3,73 (309,30) *nec memorabile* cum A; *et memorabile* reliqui (*et* in ras. D).

Hec. III 4,3 (325,22) *tantum quantum* cum A, quod metrum respuit; *tantum quam* reliqui et Donatus.[2]

B) Contra Bembinum facit Nonius.

---

[1] Cum Eugraphio.

[2] Diserte Donatus *tantum quam* pro *tantum quantum* adnotat.

a) Noniana congruunt cum reliquis codicibus Terentianis et Donato:

Eun. II 3,25 (493,22) *iunceas* cum reliquis et cum Donato; *iunceam* A.

Eun. II 3,37 (235,32) *nostin* cum reliquis et cum Donati lemmate; *nouistin* A.

Eun. III 5,10 (32,27) *gestis aut quid* cum reliquis et cum Donati lemmate; *gestis quidue* A[1], *ue* del. in A corr. rec. (cf. p. 40.)

Phorm. II 2,27 (165, 7) *dum* (codd. Non. *cum*) *tibi sit* cum Donati editionis principis lemmate et D²CBPE²; *dum tibi fit* AD¹GE¹F.

Adelph. III 3,2 (222,10), ubi A *una fuisse* contra reliquorum *una affuisse.* Codices Noniani exhibent *offuisse* (*affuisse* ***H***), quod ab *affuisse* prope abest.

b) Donato in nostris libris non seruato aut nihil adnotante Nonius contra A consentit:

Heaut. IV 8,14 (256,31) *aurum et uestem* cum CBPEF; *aurum ac uestem* ADG.

Phorm. I 4,52 (11,23) *deficies* cum DGCBPEF; *deficias* A.

Phorm. III 1,13 (249,21) *patrem*[1] cum DGCBPEF; *patrem* glossema existimo lectionis genuinae *senem* (sic A).

II. Paucis denique ea testimonia absoluamus, quae ***Bembino non seruato*** partim cum Donato partim cum reliquis libris Terentianis congruunt:

Cum Donato solo Nonius facit Andr. prol. 8 (39, 16) uariam illius lectionem *animum* (*animo* male Nonii codices) *attendite* exhibens pro *animum aduortite,* quod codices Terentiani praebent contra usum Terentianum,[2] ut uidetur.

Cum eodem Donato ex parte congruit Nonius Andr. II 2,12 (412,15), cum *paues* offerat cum D¹ contra reliquorum *caues*; ceterum Nonius cum G omittit *tu.*

Tenet Nonius (493,17) Adelph. V 9,28 cum (D)G *istaec*

---

[1] cum Eutyche Gr. L. V 483, 19.

[2] Eun. prol. 44 *animum attendite* (DGE *animaduertite*); Phorm. prol. 24 *animum attendite*; Hec. prol. II 20 *aequo animo attendite.*

contra reliquorum *ista* neque minus[1] (262, 20) Andr. V 2,14 cum G *qui* contra Donati et librorum *quis*.

In eis, quae praecedunt, ea testimonia Terentiana, quae tanquam subseciua aliorum scriptorum ordinibus inseruit Nonius, a ceteris ideo non separaui, quia non minus haec corrupta sunt in Nonii codicibus; neque uero ullo pacto demonstrari potest paucos illos locos, quibus Nonius a codice Bembino ita recedit, ut cum reliquis codicibus Terentianis faciat, omnes ex fonte secundario, non ex primario a Nonio haustos esse.

Ex eis quae supra congessi testimoniis apparet Terentiana testimonia apud Nonium seruata ad Bembini (A) recensionem proxime accedere, non raro consentire cum codicibus DG, aliquanto rarius cum codicibus CBPEF.

Cum hac ratione illud egregie conuenit, quod codices DG multo propius absunt a Bembini recensione quam codices CBPEF; nec dissimiliter Donatus multo saepius cum Bembino et DG facit quam cum CBPEF.

Quae autem ratio intercedat inter codices Terentianos DG et CBPEF, inter homines doctos non constat: alii[2] in codices DG ex eodem fonte atque CBPEF ortos Donati lectiones a correctore illatas esse putant, alii[3] communis codicum DGCBPEF archetypi contextum melius seruatum superesse in codicibus DG, deprauatum autem in codicibus CBPEF, qui ad exemplar ab homine aliquo recentiore correctionibus interpolationibusque multifariam temptatum redeant. Vtra sententia uera sit, certius tum demum diiudicari poterit, cum et Donati qui feruntur commentarii accurate recensiti publici iuris fient et in Terentii codice Victoriano (D), quid primae manui, quid correctrici debeatur, diligenter enotabitur.

---

[1] cum Eugraphio.

[2] cf. potissimum Vmpfenbach. praef. p. XX.

[3] cf. Leo. in Musei Rhenani uol. XXXVIII (1883) p. 347.

DE
IVSTINIANI INSTITVTIONVM
COMPOSITIONE.

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDVARDVS GRVPE

GOTTINGENSIS.

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER.

MDCCCLXXXIIII.

Darmstadtii typis G. Otto.

Ab iureconsultorum Romanorum scriptis philologi Germani nescio qua commoti causa tantum non omnes sese abstinuerint, nec praeter Carolum Lachmannum, Ioannem Vahlenum, Rudolphum Schoellium, et qui difficiliores quaestiones ad iureconsultos Romanos pertinentes tractaverunt Theodorum Mommsenum atque Guilelmum Studemundum novi qui in parte illa litterarum Romanarum foede neglecta grammatica studia posuerint. Atqui philologicis quae κατ' ἐξοχήν dicuntur studiis vulgo omnia ea adnumerantur, quae ad singulas artes et disciplinas a Graecis et Romanis cultas spectant, veluti ad mathematicam, astronomicam, musicam, physicam, mineralogicam, botanicam, zoologicam, medicinam etc., quamquam Romani in his disciplinis omnibus parum profecerunt; non adnumerantur vel vix adnumerantur studia in iureconsultorum Romanorum libris collocata. Attamen constat noviciis populis profuisse populum Romanum cum aliis rebus tum tribus potissimum his: exemplo rerum a populo Romano gestarum et institutionum rei publicae, iuris scientia a iurisprudentibus Romanis promota atque enarrata, Graecorum ingenii fructibus Latina ac faciliore ad intellegendum forma condonatis et propagatis. Adde quod dictio iureconsultorum Romanorum, cuius fundamenta a priscis magistratibus iacta erant, quam C. Iulii Caesaris, C. Licinii Calvi, Octaviani Augusti aequales ad auream provexerunt puritatem, per longam saeculorum seriem atque usque ad ipsius imperatoris Iustiniani tempora fere incorrupta, si cum provincialium scriptorum barbare balbutientium libris comparaveris, remansit.

Haec omnia quamquam nota sunt vel potius nota esse debebant, tamen Conradus Bursian in libro, quem anno 1883 de historia philologiae in Germania cultae composuit, egregia quae a paucis illis philologis Germanis in iureconsultis Romanis collocata sunt studia vel silentio praeteriit vel brevius quam par fuit commemoravit. Quo silentio quamquam ego, qui tiro sum inter philologos, deterrebar vel mirum in modum commovebar, tamen cum Guilelmus Studemund in scholis de Gaio et de litterarum Romanarum historia Argentorati habitis identidem nos monuerit, ut sermonis iureconsultorum Romanorum proprietatibus indagandis operam navaremus [1], ab eo quod olim cepi consilio desistere nolo, ut desertum illum disciplinae philologicae campum colam. Nam quo constantius quandam sermonis puritatem servaverunt etiam Iustiniani aequales iureconsulti Romani, eo certior spes est fore ut diligenter observata cuiusque iureconsulti dictionis proprietate non solum loci in codicibus librorum iuridici argumenti culpa librariorum depravati corrigantur, sed etiam ea fragmenta iuridici argumenti, quae aut falso aut nulli auctori in codicibus tribuuntur, certo alicui auctori vindicari possint. Quod quam vere dixerim, in ea quae iam sequitur commentatione demonstrare conabor, in qua ingeniosa fretus Philippi Eduardi Huschkii coniectura ostendam, diligenter observata sermonis proprietate corpus Iustinianarum Institutionum, quod quattuor libros complectitur, ita ex duabus partibus consutum esse, ut ab altero iureconsulto (qui Dorotheus Berytensis fuisse videtur) libri I et II nec non IV[1] titulus ultimus,[2] ab altero (qui Theophilus Constantinopolitanus fuisse videtur) libri III et IV (praeter ultimum titulum) conscriberentur. Usus autem sum in In-

---

[1] cfr. etiam Studemundum in Woelfflinii 'Archiv für lat. Lexikographie' vol. I pag. 114 sq. — Ibidem (pag. 82—92) de Gai dicendi usu atque elocutione breviter nonnulla sed scite exposuit nuper Guilelmus Kalb 'ueber die Latinitaet des Juristen Gaius'.

[2] Ubicumque in contextu huius quae sequitur commentationis de libro IV agitur, intelleguntur tituli I—XVII libri IV excepto uno titulo XVIII i. e. ultimo, cuius de compositione in fine separatim mihi dicendum erit.

stitutionum contextu citando ea editione, quam egregia, ut solet, cura absolvit Paulus Krueger eorum qui hodie vivunt iureconsultorum *ὁ φιλολογώτατος* (Berolini 1867).

§ 1.

Ph. Eduardus Huschke in praefatione editionis Institutionum Iustiniani Lipsiae anno 1868 publici iuris factae movet quaestionem a nemine usque ad illud tempus motam, quemadmodum in Institutionum libris componendis tresviri illi inter se versati sint, quibus hoc negotium datum esse prooemium *In Nomine Domini etc.* docet. Quam quaestionem vir ille acerrimo ut inter omnes constat ingenii acumine praeditus ita solvit, ut dicat, si ex ipsa re divinare liceat, in promptu fore responsionem: deliberatis ante communi consilio et constitutis perficiendi operis legibus, cum Tribonianus tantum 'ad totius operis gubernationem electus' esset, alteros duos ipsam rem ita aggressos esse, ut uterque ex praescriptis iam a Iustiniano quattuor libris binos componeret et deinde totum opus Triboniano arbitro praelectum perficeretur; neque coniectura tantum sed etiam certis argumentis ex ipsis libris petitis rem ita gestam esse assequi licere. Praeter cetera argumenta quae ad sententiam suam confirmandam affert — de quibus partim in fine huius commentationis partim alio tempore[1] agemus — orationis Iustinianae proprietatum ratione habita voces aliquot et locutiones eligit, quae leguntur in prioribus libris, a posterioribus autem alienae sunt.

---

[1] Huschke cum diversos auctores statuendos esse professus sit, statim adiungit priores duos libros (I. II) a Dorotheo Berytensi antecessore, posteriores (III. IV) a Theophilo Constantinopolitano conceptos esse, quam ad opinionem confirmandam cum alia tum paraphrasin Graecam cum libris Iustinianis comparatam magni momenti esse docet. Temporis angustiis me impediri doleo, quominus de hac re nunc statim agam. Quam quaestionem tractandam et si fieri poterit solvendam ad aliud tempus differo; nunc id unum mihi propositum est, ut perquiram, num diversi utriusque partis Institutionum latine conscriptarum auctores fuerint. Ubicumque autem ex usu esse mihi videbatur, graecae illius paraphrasis, quae Theophilo antecessori vulgo tribuitur, verba adscripsi,

Sed carptim breviterque hanc rem ita perstringit, ut largiorem atque ex parte intactam materiam aliis reservet perlustrandam. Nihil enim profert nisi nonnullos 'soloecismos', quos a posterioribus (III. IV) libris alienos esse contendit. Quorum primus est:

1) *medevimus* II 20, 27: *constitutio . . . per quam et huic parti* *m e d e v i m u s*. Qui composuit librum tertium, eodem modo quo boni scriptores scripsit III 2, 3[b]: *non tamen eos in plenum causae m e d e r i invenimus*. Idem autem verbum legimus etiam II 7, 4: *hoc quasi invidiae plenum per nostram constitutionem m e d e r i necessarium duximus*. Vides igitur eum, qui priorem Institutionum partem composuerit, non abhorruisse quidem ab infinitivo verbi deponentis, coniunxisse autem eum cum accusativo. Num fortasse illo loco constructio accusativi cum infinitivo p a s s i v i statui possit, ut vir ille putandus sit unam formam *mede r e* in usu habuisse idque verbum et dativo et accusativo pronominis demonstrativi in neutro genere positi adiunxisse, id iniudicatum relinquo, quia alia exempla desunt. Quod quidem ita sumi posse nescio an concedas, cum videas posterioris partis compositorem (III 6, 9: *necessarium duximus . . . etiam eos praesenti libro inscrib i*) *necessarium duximus* coniunxisse cum accusativo cum infinitivo p a s s i v i.

2) *praestavit:* II 1, 25; 7, 2; 19, 6. Recte Huschke hos tres locos collegit, praeter quos forma *praestavit* in Institutionibus non legitur; nam in libro III (14, 4 *praestiterit* | 24, 5 *praestiterit* | 26, 7 *praestiteris*) ubique altera forma obviam fit. Nec tamen alienam ab eo, qui priores libros composuit, formam *praestiti* fuisse docet II 19, 6 *p r a e s t i t i t hoc beneficium,* quo loco utraque forma vix duabus lineis altera ab altera secreta legitur. Atque cum exemplis ex constitutionibus Iustiniani, quae Codici insertae sunt, demonstretur utramque formam tum temporis in usu fuisse, efficitur non tam soloecismum esse statuendum quam eum, qui priores libros conscripserit, utramque formam secundum dicendi qui tum erat usum usurpavisse, formam autem *praestavi* in deliciis habuisse. Quos supra significavi Codicis locos nunc propono: II 55, 4, 3 *p r a e s t i t e r i t iuramentum quod* . . ,,

58, 1, pr. *nisi iuramentum* *praestaverit* || 58, 2, 3ª *si iuramentum* *praestiterit* || V 27, 11, pr. *occasionem* *praestiterunt* || VI 22, 12 *immunitatem* *praestavit.*

3) *perinde* . . . *ac si* (pro *perinde ac*) I 12, 1; II 1, 33; 12, pr.; 23, 6 usurpatum extare Huschke scite animadvertit.[1] Id unum addo, II 23, 5 (= Gai inst. II 254) occurrere *perinde* . . . *atque* coniunctione *si* non addita.

4) Legitur II 5, 2: *Item is qui aedium usum habet* *hactenus* *iuris* *habere intellegitur, ut ipse tantum habitet* id est 'eo usque habere intellegitur potestatem' (*μέχρι τοσούτου νοεῖται παρρησίαν ἔχειν*). Hunc usum vocis *hactenus,* ut ei genetivus adiungatur, in posterioribus libris frustra quaeras. Uno quo in his extat loco III 6, 7 significat 'usque ad hos gradus'; singulis enim — sunt autem sex — cognationis gradibus enumeratis hoc modo pergit oratio: *hactenus* *ostendisse sufficiet, quemadmodum gradus cognationis numerentur* (*ἀρκεῖ μέχρι τούτων ἀποδεῖξαι, τίνα τρόπον οἱ τῆς συγγενείας ἀριθμοῦνται βαθμοί*).

6) Legitur I 7 *libertatibus* *impedientem* et *impediat* *libertati,* ubi *impedire* idem significat atque *obstare,* quod verbum, cum in prioribus libris desit, in posterioribus eodem sensu quo illud *impedire* usurpatur: III 1, 13 *si neque sui heredes liberi neque emancipati* *obstent* et IV 13, 9 *exceptiones quae semper agentibus* *obstant.* Verbum *impedire* autem cum dativo coniunctum in libris III et IV non legitur.

§ 2.

Haec exempla delibasse vel potius indicasse contentus erat Huschke, ut probaret etiam in usu loquendi utriusque partis differentiam statui posse (in praefatione pag. IX).

Nobis nunc inquirendum est, num Institutionum usus loquendi maiorem exemplorum copiam exhibeat, quibus quae Huschke statuit confirmentur. Certe nec sterilem nec ieiunam hanc materiam selegisse nobis videmur, in qua tironis vires experiremur.

---

[1] cfr. etiam Studemundum in praefatione ad Gai Institutionum editionem alteram (a. 1884) pag. XI.

Quae via ingredienda esset, Huschke in praefationis pagina VIII monstravit, cum diceret sponte intellegi maxime se in animo habere ... *quae non tantum ex Gaio vel aliis antiquis iureconsultis translata sunt*[1], *sed, quia ius vetus exoleverat vel novo cesserat, ab ipsis compositoribus erant refingenda*. Illud *maxime* rectissime adiectum mihi videtur. Nam ei loci, quos compositores ex aliorum iureconsultorum libris hauserunt, minime neglegendi sunt, siquidem saepe, idque etiam tum cum talis necessitas, qualem Huschke commemorat, non urgueret, i. e. cum solus usus dicendi vel Gai vel alius cuiuslibet antiquioris scriptoris non congrueret cum eo, qui Iustiniani aetate Constantinopoli vigebat, singula vocabula vel mutata vel omissa vel aliter posita sunt. Atque confirmatur usus loquendi, qualis invenitur in locis non ex antiquioribus fontibus haustis, saepe iis mutationibus, quas loci ex illis hausti perpessi sunt.

Ab his mutationibus si recesseris, inter ea, quae ab aliis scripta in Institutionibus posita sunt, et ea, quae compositores Iustiniani conscripserunt, sedulo discernendum est. Quod si neglexeris, facile orationi compositorum obtrudas, quae ab iis prorsus aliena sint. Veluti si quis ignorans libri I tituli II principium ex Ulpiani libro I Institutionum (Dig. I 1, 1, 3) petitum esse, inde colligat compositorem anaphoram *(quae in caelo, quae in terra, quae in mari nascuntur. hinc ... hinc ...)* in deliciis habuisse, cum

[1] Multa enim, quae hodie in Institutionibus Iustinianis extant, ad verbum usque congruunt cum iis libris librorumve partibus antiquiorum iureconsultorum, qui felici casu ad nostra usque tempora pervenerunt, veluti permulta ex Gai Institutionibus deprompta et ad verbum repetita esse in Institutionibus Iustiniani constat; nec secus multa in his Institutionibus passim occurrentia adeo consentiunt cum fragmentis aliorum iureconsultorum, quae in Digestis Iustiniani servata sunt, ut fieri non possit quin verba Institutionum Iustinianarum ex illis antiquioribus libris ipsis deprompta sint. Atque quoniam in Digestis non integri optimorum illorum iureconsultorum libri servati sunt sed tantum particulae eorum, sane consentaneum est non pauca ex iis Institutionum Iustiniani verbis, quae Dorotheo, Theophilo, Triboniano deberi videntur, re vera ex deperdito optimi alicuius iureconsulti antiquioris libro repetita esse.

praesertim in posterioribus libris tale quid non redeat, valde eum erraturum esse consentaneum est. Idem fiat, si quis, quod I 12, 8 legitur *praesente eo qui adoptatur et non contradicente nec non eo qui adoptat*, compositori prioris partis imputare velit; desumptum enim est e Cod. VIII 47, 11.

Ex iis igitur, quae detractis omnibus quae debentur antiquioribus scriptoribus restant, enucleandum nobis est, quae differentia inter priores et posteriores Institutionum libros intercedat. Quam cave speres prima statim specie deprehensum iri; immo qui obiter rem tractaverit, non dubito quin frustra in eo laboraturus sit, ut idonea indaget exempla. Reputandum enim est in Institutionibus componendis occupatos fuisse duos viros, qui cum simili modo educati isdemque doctrinae elementis eruditi eodem munere iurisprudentiam docendi fungerentur atque ad Institutiones componendas appellati eodem tempore eademque in urbe scriberent, necessario si non aequabiliter at tamen similiter orationem conformaverint. Itaque non tam in toto orationis habitu quam in usu singularum vocum locutionumque differentia, si qua est, indagari poterit.

§ 3.

Quam saepe priorum et posteriorum librorum usus dicendi adeo consentiat, ut obiter inspicientibus ab una eademque manu compositi esse videri possint, magna exemplorum, quae congessi, copia cum demonstrare possim, pauca proferam:

1. Redundantiae uterque compositor ita studet, ut ubi unum verbum vel una locutio sufficiat, pluribus utatur. Sic nonnumquam synonymis eadem res declaratur: I 1, 2 *levi ac simplici* || *diligentissima atque exactissima* || *multitudine ac varietate* (cfr. IV 13, 6 *ex multis variisque causis*) || 2, 11 *firma atque immutabilia* || 12, 5 *finis quidam et terminus* || 5, 3 *una atque simplex libertas* || II 7, 2 *plenissimum et perfectum robur* || 12, 3 *litterati et eruditi* || 25, pr. *magnas et longas peregrinationes.*

III 1, 14 *specialiter et singillatim* || 6, 10 *satis obscurum atque nube plenum et undique confusum* || 14, 3 *desidiae atque neglegentiae* || IV 1, 3 *perferre ac deponere* || 1, 11 *consilium dedit atque hortatus est* || 4, 8 *pulsatum verberatumve* || 6, 23 *hortatu consiliove* || 15, 4 *plerumque et fere semper.*

2. Quanta cura in oratione varianda in omnibus libris posita sit, ne eadem vox saepius afferretur, ex his locis intellegitur: I 2, 2 *gentes humanae ... omni humano generi* || 2, 10 *memoriae mandarent ... custodirent* || 5, 3 *quam promulgavimus inter nostras decisiones ... quae inter imperiales radiat sanctiones* || 10, 3 *potest ... licet ... permittitur* || 10, 7 *prohibere ... impedire* || 20, 4 *iussu praesidis ...* 20, 5 *iussione praesidis* || 22, 3 *finitur tutela ...* 22, 4 *omnis tutela perit* || 25, 5 *vacationem ...*, 6 *excusationem* || II 7, 3 *vocabatur ... appellabatur, cupientes ... studentes* || 13, 6, 7 *praeterire ... omittere* || 14, pr. *licebat ... permissum est* || 20, 9 *detracto ... deducto* || 14, 11 *omnibus parendum est ... cuilibet obtemperare satis est.*

III 1, 14 *antiquitas,* 15 *vetustas,* 16 *antiquitas* || 3, 4 *pepererit ... enixae fuerint* || 15, 6 *si ea ita non sunt ... si autem ita se habent* || 19, 20 *stipulationem valere ... tenet obligatio ... stipulatio vires habebit ... valet stipulatio* || IV 1, 15 *aestimationem solvere ...* 2, 1 *aestimationem praestare* || 4, 6 *actio dabitur ... competit actio ... admittatur actio* || 4, 10 *poena imponitur ... poena irrogatur.*

3. Nonnumquam enuntiati secundarii (vel potius constructionis 'accusativi cum infinitivo' quae dicitur), quod ex verbo dicendi vel sentiendi pendet, subiectum, si accusativo pronominis demonstrativi efficiendum erat, qui ex eis quae praecedunt facile suppleretur, omittitur. [1]

---

[1] I 11, 12 *Apud Catonem bene scriptum refert antiquitas, servi si a domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari* nominativus *servi*

II 23, 9 *secum deliberare debet is cui restituitur hereditas, an expediat sibi* | *restitui* || III 8, 2 *quaerebatur ... num evanescat adsignatio? sed placuit* | *evanescere* || 14, 4 *placuit sufficere, quod* (aliquis) *diligentiam adhiberet; quam si praestiterit et ... rem amiserit,* | *securum esse* || IV 6, 29 *tacitam ei dedimus hypothecam;* | *praeferri autem aliis creditoribus tunc censuimus, cum ...*

4. Saepe plures enuntiationes relativae, quae ad idem substantivum in enuntiato primario positum pertinent, per asyndeton componuntur: I 2, 8 *ut essent qui iura publica interpretarentur, quibus a Caesare ius respondendi datum est, qui iurisconsulti appellantur* || II 1, 40 *vocantur autem stipendiaria et tributaria praedia, quae in provinciis sunt, inter quae nec non Italica praedia nulla differentia est* || Alia exempla habes II 7, 2; 7, 3; 8, 1; 8, 2.

III 6, 12 *exceptis fratre et sorore emancipatis, qui ... vocantur, qui etsi capite deminuti sunt tamen praeferuntur.* Alia exempla extant III 11, 7; 13, 1; 19, 1; 19, 12; 29, 2; IV 4, pr.; 6, 3.

5. Non raro ubi particula *si* praefixa est duobus enuntiatis, quae coniunctione *et* vel similibus inter se coniuncta sunt, verbum prioris enuntiati subiunctivum modum, alterius indicativum praebet, vel rarius contra:

a) I 23, 5 *si idoneus non sit ... nec tamen fraudulenter negotia administrat* || II 11, 5 *si datus fuerit miles vel filius ... emancipatus est* || 18, 5 *si egerit et superatus est* || III 1, 7 *si ... exheredatus fuerit et ... institutus est* || 25, 6 *si ... contracta societas sit et finis negotio impositus est* || IV 13, 2 *si quis ... pecuniam stipulatus fuerit neque numeravit* || 6, 4 *si res tradita fuerit ... necdum eius rei dominus effectus est.*

b) II 23, 12 *si ... commisit .. et res possit manifestari* || III 29, 4 *si ... inter se consenserunt ... deinde placuerit inter eos.*

---

attractione quadam, ut verbo parum Latino utar, ex secundario enuntiato *(servos ... ex hoc ipso posse liberari)* in enuntiationem condicionalem adscitus est.

6. Antecedenti enuntiato condicionali, cuius in initio legitur *si quidem*, *si quis*, *si*, opponitur aliud enuntiatum eiusdem naturae per *quodsi*, veluti I 24, 1 *si quidem adscriptum fuerit . . . quodsi non fuerit adscriptum* || IV 17, 5 *si quidem iste fundus commode regionibus divisionem recipiat. Quodsi commode dividi non possit . . .* || Alia exempla leguntur I 21, pr.; 23, 6; II 1, 25; 20, 14; 20, 20; 22, 3; 23, 12; III 2, 6; 19, 3, 4; 23, 3[a]; 25, 1; 26, 8; IV 4, 5; 17, 3.

7. Nonnumquam in omnibus quattuor libris post *ut* consecutivum indicativus ponitur, cum inter *ut* et verbum finitum complures aliae enuntiationes interpositae extent, veluti:

I 6, 7 *eveniebat ut*, *qui . . ., licet . . ., tamen si . . . poterat* || 25, 18 *in tantum ut*, *licet . . ., qui . . ., adiecit se . . . dare, tamen* (acc. c. inf.) *rescripserunt* || II 17, 7 *usque adeo ut, si . . . coeperit et . . . aut quia . . . id non perfecisset, . . . cautum est* || 16, 5 *adeo ut*, *si . . ., valebit* || III 1, 16 *ita tamen ut*, *quemadmodum . . . statuit . . . similiter nos* (acc. c. inf.) *iubemus* || 2, 7 *id est ut*, *quamvis . . ., qui . . . aut spreverit . . . nihilominus . . . admittuntur* || IV 1, 14 *adeo quidem ut*, *quamvis . . ., nihilominus competit actio furti.*

Atque consulto ab utroque compositore ita scribi inde intellegitur, quod IV 15, 5 *id est ut, quamvis . . ., tamen si non . . ., sed . . . retinere possessionem videtur*, qui locus in Gai Institutionum libro IV 153 legitur ibique subiunctivo modo *(videamur)* insignis est, modus indicativus substitutus est. Conf. etiam III 7, 2 *(cautum est . . . ut . . . . debebatur)* cum Gai inst. III 42 *(cautum est . . . . ut . . . debeatur).* [Post *ut* consecutivum sequitur infinitivus II 1, 39 *conveniens est ut . . . esse*; conf. Lachmann ad Gai. III 160 n. 42.]

§ 4.

Sed ex his et similibus minime sequitur unum virum omnes quattuor libros composuisse. Quod si ita esset, cum non paucae ex iis vocibus locutionibusque, quarum usus idem est in quattuor Institutionum libris, in illis con-

stitutionibus Codicis Iustiniani redeant, quae eodem fere quo Institutiones tempore compositae sunt, eodem iure has quoque eidem qui Institutionum libros confecisset compositori attribuere liceret. Quod non fieri posse nemo est quin videat. Immo sic iudicandum videtur: Utriusque Institutionum partis usum loquendi saepe per omnes libros eundem esse concedendum est. Quae portio — est autem maior — quia non diversa est a communi usu scribendi, quem familiarem fuisse illius temporis iureconsultis eae constitutiones testes extant, quae promulgatae sunt Iustiniano imperatore, repraesentat tamquam ea quae uterque compositor tempori suo debet; quae autem restat minor portio, in qua alter ab altero dissentit, ea continet quae utriusque propria sunt.

Nunc singula cum singulis comparemus, ut appareat, quae differentia intercedat inter librorum I. II et librorum III. IV usum loquendi.

§ 5.
Substantiva.

1. *Arbitratu* II 18, 3: *licet non fuerit adiectum boni viri arbitratu debere eam repleri* (cfr. *arbitratus*, *arbitratur* II 15, 4). Quamquam *boni viri arbitratu* tamquam sollemni more dictum videtur esse.

arbitrio III 15, 2: *totus dies arbitrio solventis tribui debet* || 24, 1: *si alieno arbitrio pretium permissum fuerit* || eadem §: *si alieno arbitrio merces permissa fuerit.*

2. *Atrocitate* I 16, 1: *qui servi poenae efficiuntur atrocitate sententiae* (διὰ τὸ τραχὺ τῆς κατ' αὐτῶν ἐξενεχθείσης ἀποφάσεως).

In libris III et IV autem legitur: III 2, 3ᵃ *paullatim asperitatem iuris civilis corrigentes* (τὴν ὑπὸ τῶν σοφῶν εἰσενεχθεῖσαν τραχύτητα) || IV 8, 7 *huiusmodi asperitatem ... respuendam esse* (τὴν τοιαύτην ἐξέβαλε τραχύτητα).

3. *Facultates* (= res familiaris sive patrimonium) IV 14, 4 *facultatibus lapsus ... debitor.* Praeterea *facultas* (= potestas) legitur III 8, 2: *datur autem haec adsignandi facultas ei, qui ..., ut ... ei ... liceat.*

In priore Institutionum parte significat rem familiarem sive patrimonium: I 20, 4 *si non sint magnae pupilli facultates* || I 20, 5 *si facultas pupilli vel adulti usque ad D solidos valeat.* Potestati autem notandae inservit in priore Institutionum parte vocabulum *licentia:* II 9, 1 *ut esset eis licentia ... donare vel vendere* || II 9, 2 *partem tertiam retinere ... licentiam habebat* || II 11, 6 *cuius constitutionis tenore perspecto licentia est nihil eorum quae ad praefatum ius pertinent ignorare* || II 10, 10 *licentiam concedimus ... testimonia praestare* || II 20, 23 *data est licentia ... optare* (*δέδωκε γὰρ παρρησίαν*). Vox *licentia* in libris III et IV non legitur, cuius vice ibi usurpatur III 9, 5 *nostra constitutio ... manumissionem facere dedit* (*δέδωκε τὸ ἐλευθεροῦν*) || III 12, pr. *creditoribus datur ... bona possidere* (*δέδοται τοῖς κρεδίτωρσι παρρησία*).

4. Quaestionis ad ius pertinentis expositio in libro II voce *tractatus* exprimitur: II 20, 23 *et diligentiore tractatu habito et hoc in nostra constitutione additum est.* Eadem vi fungitur id vocabulum apud compositorem librorum III et IV, qui praeterea usurpat *sermo*, quo prior Institutionum pars caret, veluti III 7, 3 *constitutio quam ... compendioso tractatu habito composuimus* || III 9, 5 *eam ... compendioso sermone supervacuam ostendimus.*

5. *Species* opponitur *generi* ita, ut illo vocabulo id significetur, quod minus late pateat, hoc id quod latius pateat: I 2, 4 *plebs autem a populo eo differt quo species a genere* || II 1, 27 *si diversae materiae sint et ob id propria species facta sit* || III 5, 4 *consanguinitatis ius species est adgnationis* || III 9, 9 *plures species successionum*, cfr. III 11, 7; 13, 2; 23, 2. Idem vocabulum significat 'singularem casum' in sola priore Institutionum parte: II 9, 2 *hocque a nobis dispositum est et in ea specie, ubi parens ... licentiam ex anterioribus constitutionibus habebat* || II 20, 27 *sed nec huiusmodi species penitus est sine iusta emendatione derelicta* || II 23, 6 *utroque senatusconsulto in hac specie concurrente.* Compensatur in libris III et IV voce *casus*, veluti IV 7, 2[a] *eadem aequitatis ratio etiam eo casu interveniebat.*

6. *Status* condicionem significat I 5, 3 *in meliorem*

statum reducere et *in pristinum statum reduxit,* II 8, pr. *in meliorem statum deduximus,* II 20, 23 *in meliorem statum reformatum est.* In locum talium enuntiationum substituitur IV 2, 1 *melius . . . constitutionibus pro hac parte prospectum est, ut . . .*

7. Pro *furti vitium,* quod extat II 6, 4 *quippe ea res in furti vitium non ceciderit* (cfr. *testamenti ius vitiatur* II 17, 1), legitur IV 1, 12 *res in furtivam causam cadit.*

§ 6.
Adiectiva.

1. *Firmus* is est, qui infringi non potest: I 2, 11 *naturalia iura . . . semper firma . . . permanent*; cfr. II 10, 14 *testamentum firmum constitutum* || 21 *ademptio legatorum . . . firma est.* Vno quo in posterioribus libris occurrit loco eandem vim habet quam 'robustus' sive 'corpore validus': IV 3, 8 *cum alius firmior retinere mulas potuisset* (ὑφ' ἑτέρου μᾶλλον εὐσθενοῦς).

2. Adiectivi *latus* (i. e. 'amplus' ac tamquam 'voluminosus'), quod in libris I et II ne semel quidem legitur, comparativus in deliciis est librorum III et IV compositori. Itaque I 10, 11 ieiuna ac simplex fit Digestorum, quae hoc looo primum citantur, mentio: *quas in libris digestorum seu pandectarum ex veteri iure collectarum enumerari permisimus*; copiosior illa est, qua constanter atque ad taedium usque utuntur libri III et IV: III 12, pr. *quod ex latioribus digestorum libris perfectius apparebit* || IV 6, 2 *in latioribus digestorum libris* || IV 6, 5 *ex latiore digestorum seu pandectarum volumine* || 6, 37 *ex latioribus digestorum libris* || 13, 6 *ex latioribus digestorum seu pandectarum libris* || 14, 3 *ex latiore digestorum volumine.* Conf. etiam infra § 14 sub finem.

3. Legimus quidem II 9, 2 *ex anterioribus constitutionibus* || II 11, 6 *anteriores leges*; quo cum usu congruit III 2, 3[a] *iurisprudentia iunior . . . anterior.*

Sed qui III 9, 12 et 23, 2 vocantur *anteriores principes* (οἱ πάλαι βασιλεῖς), iidem audiunt II 7, 2 *cum retro*

principum (οἱ μὲν γὰρ *πάλαι* βεβασιλευκότες) *dispositiones ... volebant.*

4. Nec secus II 8, pr. *ne sexus muliebris fragilitas in perniciem ... converteretur.*

III 3, pr. *qui per feminini sexus necessitudinem sibi iunguntur* || 5, 2 *per feminini sexus personas* [haec locutio quasi sollemnis fuisse videtur apud iureconsultos] || 6, 11 *quod ... ex feminino sexu propagatus est.*

5. In libro II vocabulo *mobilis* opponi solet *immobilis,* in libris III et IV autem *res soli*; veluti: II 6, pr. *ut ... rem, si mobilis erat, anno ubique, si immobilis, biennio tantum in Italico solo usucapiat*, et post nonnullas lineas interpositas continuatur: *ut res quidem mobiles per triennium usucapiantur, immobiles vero per longi temporis possessionem.*

Contra in posteriore Institutionum parte: III 19, pr. *omnis res in stipulationem deduci potest, sive illa mobilis sive soli sit* || IV 2, 1 *in mobilibus rebus ... in invasionibus, quae circa res soli fiunt* || 15, 4ᵃ *ut ille vincat et in re soli et in re mobili.* Quamquam etiam II 8, pr. legitur *in soli ... rebus.*

§ 7.
Adverbia.

1. *Aperte (apertius, apertissime)* legitur: III 2, 5 *si plures sint gradus adgnatorum, aperte lex XII tabularum proximum vocat* || 29, 3ᵃ *apertissime definivit* || 29, 3ᵃ *apertius cognoscere* || IV 11, 6 *quae omnia apertius* (σαφέστερον) ... *in ipsis rerum documentis apparent* || 6, 28 *constitutio aperte* (σαφῶς) ... *disposuit* || 14, 3 *apertius cognoscere.*

In libris I et II *aperte* frustra quaeras; eius locum occupat *evidenter*, quod quidem in libris III et IV nusquam occurrit: II 20, 27 *quod evidenter* (σαφέστατα) *ex ipsius constitutionis lectione clarescit* || 8, 2 *sed etiam hoc evidentissima ratione statutum est in constitutione, quam ...* (σαφεστάτῃ [διατάξει]).

2. *Facile* adverbium adiectivumve habemus: α) III 1, 14 *adoptione facile per emancipationem soluta,* cfr. III 9, 9; IV 6, 33. β) III 5, 1 *quam facile est ... colligere,* cfr. IV 11, pr.; 14, 3 || IV 6, 33[d] *promissori facilius sit illud solvere.*

Huius vocabuli, quod in duobis prioribus libris semel tantum legitur (II 20, 3), vice fungitur: ad α) I 1, 2 *ad quod ... sine magno labore ... perduci potuisset.* ad β) II 6, 7 *quod autem ad eas res, quae solo continentur, expeditius procedit.*

3. Ad vim comparativi gradus[1] augendam usus est compositor posterioris Institutionum partis adverbio, quod est *longe*, pro *multo*[2]: III 1, 12: *longe minus* || 23, 3 *longe minor* || III 6, 7 *longe facilius* || IV 3, 9 *longe pluris* || IV 15, 4 *longe commodius.*

In priore parte eodem pacto *multo* usurpatur: II 10, 11: *et multo magis his qui ...* || 20, 34 *et multo magis libertatem.* Praeterea legitur II 20, 31 *longe magis.*

4. Adverbium *proprie*[3] (= 'vere', 'revera') in libris III et IV quodam studio poni videtur, cfr. III 2, 2; 2, 5; 2, 6; 6, 4; 14, 2; 24, 1; 27, pr. 1. 3. 5; IV 3, 1; 6, 7; 15, 1. In prioribus libris non modo non legitur, sed ne compensatur quidem alio adverbio. Nonnulla autem ex prioribus libris congessi exempla, in quibus quo loco futurum fuisse, ut posterioris partis compositor, si illa scripsisset, *proprie* inculcaret existimem, hoc signo ⊥ indicavi:

I 11, 10 *feminae quoque* ⊥ *adoptare non possunt, quia ..; sed ex indulgentia*

III 27, pr. *obligationes, quae non proprie quidem ex contractu nasci intelle-*

[1] Vide quae de ea re exposuit Woelfflin in libro 'Lateinische und romanische Komparation' pag. 37 sqq. et quae idem nuper addidit in 'Archiv für lateinische Lexikographie' vol. I pag 93 sqq.

[2] Semel IV 11, pr. *multo magis* occurrit; est autem ex Gai inst. IV 90 *(multoque magis debes satisdare mihi)* depromptum.

[3] IV 7, pr. et 7 *proprie* significat 'singulariter': *nam si quid in his proprie observatur, separatim ostendimus* || *illud proprie servatur in eorum persona, quod ...*

principis . . . adoptare possunt.

10, 9 *si uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit, haec non* | *est quidem privigna tua; sed Iulianus huiusmodi nuptiis abstinere debere ait.*

25, pr. *filii autem superstites tantum ad tutelae vel curae muneris excusationem prosunt; defuncti* | *non prosunt. sed si in bello amissi sunt, quaesitum est, an prosint. Et constat . . .*

II 5, 5 *Sed si cui habitatio legata sive aliquo modo constituta sit,* | *neque usus videtur neque usus fructus, sed quasi proprium aliquod ius.*

guntur, sed tamen, quia —, quasi ex contractu nasci videntur.

IV 15, 1 *sunt tamen qui putant proprie interdicta ea vocari quae . . .; sed tamen optinuit . . .*

III 24, 1 *non proprie locatio et conductio contrahi intellegitur, sed eo nomine praescriptis verbis actio datur.*

5. *ulterius* his locis legitur: III 6, 7 *ex his palam est intellegere, quemadmodum ulterius quoque gradus numerare debemus* || III 2, 3 *sorores ulterius non capiunt* || IV 1, 3 *immo ulterius furtum manifestum extendendum est* || IV 6, 21 *ulterius autem nulla actio extenditur.*

Non idem, attamen aliquatenus simile quid atque *ulterius*, significat *latius* II 11, 6: *quod nostra constitutio latius extendens permisit omnibus*; in libris III et IV adverbium *latius* ne semel quidem deprehenditur.[1]

6. *vulgo* (i. e. non iustis nuptiis contractis) in utraque parte quamquam diversis verbis adpositis in usu est: III 3, 7 *vulgo quaesitus filius* || 4, 3 *liberos, qui vulgo quaesiti sunt* || 5, 4 *vulgo quaesitos* || I 4, pr. *quoniam vulgo conceptus est.*

[1] Praepositio *ultra* per omnes quattuor libros eodem modo usurpatur: I 25, 16; II 18, 1; III 21; IV 3, 9.

Contra *vulgo* (i. e. 'apud plurimos' uel 'fere semper') librorum III et IV proprium est: III 24, 2 *sicut vulgo quaerebatur, an* . . || 29, 2 *stipulatio quae vulgo Aquiliana appellatur* || IV 9, 1 *qua vulgo iter fit* || 12, 2 *quod ante vulgo dicebatur.* Quam vocem in ceteris libris consulto evitatam esse inde videtur colligi posse, quod in locis e Gai institutionibus depromptis, ubi *vulgo* extabat, id omissum est, veluti II 9, 5 *hoc est quod dicitur* (Gai inst. II 95 *hoc est quod vulgo dicitur*) || 6, 3 *quod autem dictum est* (Gai inst. II 49 *quod ergo vulgo dicitur*).

7. *initio* (i. e. primo tempore) extat et II 12, pr. et III 19, 2: *initio tantum militantibus datum est . . . postea vero* . . . || *licet initio . . . . si postea.*

Idem adverbium in libro II (II 9, 6) *qua in re necessarium est, initio de ordinandis testamentis exponere* significat 'priore expositionis loco' (postquam haec proxime praecesserunt: *et prius est ut de his dispiciamus, quae . . . obveniunt*), nusquam in libris III et IV (cfr. e. g. III 13, 2 *prius est ut de his, quae ex contractu sunt, dispiciamus*). Haec quoque conferas exempla: II 22, 3 *initio quinta, deinde quarta detrahi debet.* III 9, 3 *cum de testamentis prius locutus est, ad intestatos transitum fecit* || 16 pr. *nam si prius Titio spoponderit, deinde* . . .

Addo, quibus aliis particulis singula enumerationis membra inter se conectantur: I 1, 2 *primo . . . post deinde* . . . || 20, 3 *primo . . . deinde* || II 22, 3 *ante . . . tunc deinde* || 22, 3 *ante . . . deinde* || III 1, 13 *ante . . . deinde* || IV 6, 33 — . . . *post deinde.* Desunt igitur posteriori Institutionum parti: *primo*, *initio*, *tunc deinde*; priori: *prius.*

8. *Iam* adverbium bis legitur in prioribus libris (I 5, 3 *iam ex multis temporibus in desuetudinem abiit* || II 25, pr. *post quae tempora . . . iam nemini dubium erat, quin*); contra sexies in libro III, quinquies in libro IV, ibique praeter unum locum (III 23 pr. *nisi iam arrarum nomine aliquid fuerit datum*) ita usurpatur, ut respiciat ea quae in antecedentibus paragraphis scripta leguntur, veluti III 19, 13 *ut iam dictum est,* cfr. III 1, 15; 6, 11 (bis); 29, 4; IV 6, 19; 6, 39; 11, 5; 13, 2; 17, 4. Eodem modo in sola posteriore Institutio-

num parte in usu est *supra*[1], veluti III 1, 15 *de quibus supra* (i. e. eadem §.) *diximus*; adde III 1, 2; 6, 11; 9, pr.; 19, 2; 19, 19; 24, 1; 27, 6; 28, 3; IV 6, 23; 6, 33*; 12, 1.

Ex contrario in libris I et II *supra* adeo evitatur, ut etiam tum, ubi Gaius *supra* scripsit, omittatur: I 10, 12

---

[1] Semel (II 13, pr.), qui locus ex Gai inst. II 115 desumptus est, *supra* compositorem effugit: *quam supra exposuimus.* Alia est condicio adverbii *supra* bis (I 20, 3 *supra scriptis legibus* || II 11 pr. *supra dicta diligens observatio*) cum perfecti passivi participio coniuncti. Nam ut participia *praefatus* et *praedictus* (II 6 pr.; 6, 14; 11, 6; 16, 2 — II 6, 2; 10, 2), ita *supra* et cum *scriptus* et cum *dictus* fere in unius verbi corpus adeo coaluit, ut rectius continua scriptura *suprascriptis* et *supradicta* exhibenda esse censeam. Ac memini Studemundum in scholis Argentorati de palaeographia latina habitis identidem nos monere, ut diligentius quam olim factum esset observaremus, quas in disiungendis iungendisve vocabulis compositis normas per varia saecula secuti essent amanuenses non solum in inscriptionibus, sed etiam in eis codicibus antiquis, in quibus diastoles signo ad adiuvandam lectionem usi sunt correctores. Exemplo autem utebatur Studemundus cum aliorum codicum (veluti codicis Parisini latini nr. 8084, quo continentur litteris maiusculis exarata Prudentii carmina verbis haud paucis a correctore non post priorem saeculi p. Chr. n. sexti partem ope diastoles disiunctis; cf. de hoc codice Ulixem Robert in *Mélanges Graux*, Parisiis 1884, pag. 405—413, qui codicis Parisini imagines publici iuris factas enumeravit pag. 407), tum apographi Codicis Iustiniani fragmentorum Veronensium saeculo p. Chr. n. sexto vel septimo exaratorum a Paulo Kruegero anno 1874 publici iuris facti, de quo Studemundus, siquidem recte eius verba excepi, haec fere docuit in scholis: „Summo opere dolendum est, quod Kruegerus „frequentes illas vocabulorum disiunctiones ope diastoles significatas „non pleno enotavit, quibus corrector codicis capituli Veronensis LXII „ad adiuvandam graecorum ut videtur hominum lectionem usus est. „Kruegerus enim, cum sero, quanti momenti haec diastoles signa essent, „perspexisset, plerumque eorum hominum doctorum (Friderici Bluhmii „et M. S. Mayeri iureconsultorum), qui ante Kruegerum apographum „fragmentorum Veronensium parum accurate confecerant, fide stetit in „his minutiis apographo repraesentandis: conf. vocabulorum composi„torum, quae in codice illo Veronensi aut constanter aut saepe aut „raro aut numquam disiuncta sunt a correctore, indicem a P. Kruegero „(pag. V seq.) compositum. Teste illo indice Kruegeriano:

„I. modo tamquam singula vocabula modo tamquam bina signi„ficata sunt e. g. haec: *supradictus* et *supra dictus*; *iusiurandum* (conf.

adversus ea quae diximus || II 1, 11 *sicut diximus* || 1, 32 *secundum ea quae diximus* || 10, 10 *ut dictum est* || 13, 3 *neque ita ut diximus* (Gai inst. II 135 *ut supra diximus*). Aliquotiens alia adverbia ponuntur, ut I 12, 8 *adoptionem plenissimam esse antea diximus* || II 12, pr. *exceptis his quos antea enumeravimus* || 11, pr. *quam . . . proxime exposuimus.*

9. *Tardius* (i. e. posteriore tempore) legitur IV 6, 33[b] *qui tardius solvit quam solvere deberet*; *tarde* autem

---

„ex Charisii arte excerpta 553, 37; Priscian. II 177, 18; 178, 17; 180, „14; 440, 5; 441, 11) et *iure iurando*; *senatus consultum* et *senatus-„consultum* (conf. Diomed. 309, 35; Donati art. 377, 13; [Sergii] ex-„planat. 543, 10; Cledonii art. 44, 3; Pompeii commentum 179, 15; „180, 22; Priscian. I 183, 5; 441, 12; II 175, 9; Augustini regul. 506, „32); *huiusmodi*, *huiuscemodi* (conf. Priscian. I 179, 13; 183, 2; 440, 10; „596, 5. 6; 564, 3; II 22, 5; 113, 11; 175, 10) et (raro) *huius modi*; „*quare* (conf. Priscian. I 563, 12) et (raro) *qua re*; *nihilo minus* et „*nihilominus*; *dumtaxat* (conf. Priscian. II 78, 25) et *dum taxat*; *quamvis* „(conf. e. g. Charis. 227, 26; Diomed. 393, 28) et (raro) *quam vis*; „*sicut* et *sic ut* vel *sic uti*; *etiam si* et *etiamsi*; *etsi* (conf. e. g. Charis. 229, 3) „et (rarius) *et si*; *dummodo* (conf. e. g. Charis. 227, 27; Diomed. 389, „34) et *dum modo*; *si qua, si quis, si quid* (conf. Priscian. I 183, 14) et „(raro) *siquid* (conf. Cledonii art. 52, 25; Priscian. I 179, 16; II 24, „24); *quidquid* (conf. Cledonii art. 52, 8; Pompeii commentum 207, 17) „et (raro) *quid quid*; *etenim* (conf. Pseudo-Priscian. de accentibus 528, „33) et (rarius) *et enim*; *adhuc* (conf. Priscian. I 590, 24; [Probi „appendic. 199, 17]) et (raro) *ad huc*;

„II. tamquam bina vocabula intellecta sunt e. g. haec: *pater* „*familias* (at conf. Diomed. 309, 33; Cledonii art. 43, 21; Probi de „nomine excerpta 211, 27; Pompeii commentum 179, 23; Consentii art. „350, 9; [Sergii] explanat. 543, 15; Priscian. I 179, 12; 183, 10); *iam* „*dudum* (conf. Priscian. II 479, 17. 26); *tam quam* (conf. Charis. 225, „31); *quod si*; *sibi met* (at conf. Priscian. I 591, 21);

„III. tamquam singula vocabula intellecta sunt e. g. haec: „*suprascriptus*; *fideicommissum* (conf. Cledonii art. 43, 13; Consentii „art. 350, 1); *respublica* (conf. Priscian. I 177, 18; 180, 13; 440, 3); „*eiusmodi* (conf. Priscian. I 183, 3; 596, 14); *satisfacere* (conf. Priscian. „I 440, 21; 179, 14); *tantummodo*; *inprimis*; *necne* (conf. Priscian. II „101, 10; 102, 9; Probi appendic. 199, 14); *postea* et *praeterea* (conf. „Priscian. II 65, 25).

„Ceterum conf. Cledonii art. 43, 12: *figura conposita* .... *‚maxime a iuris peritis inventa est, qui duo verba composuerunt vel* „*nomina: fideicommissum, iurequiritium*".

II 12, 3 de iis usurpatur, qui gravius audiunt: *qui tarde exaudit* (Theoph. τοῦ βραδέως ἀκούοντος), item II 12, 3 *qui tarde loquitur* (τὸν βραδέως λαλοῦντα). Contra I 1, 2 illa notio exprimitur adverbio *serius*: *serius ad id perducemus.*

10. *Tantummodo* per omnes quattuor libros in usu est, ita tamen, ut in libris I et II non ponatur nisi post id verbum, ad quod spectat; in ceteris et ante et post, veluti I 24, 4 *hi tantummodo qui* ... || II 8, pr. *in soli tantummodo rebus* || 11, 6 *in his tantummodo peculiis* || 19, 6 *in militibus tantummodo hoc extendit.*

III 1, 14 *in hoc tantummodo casu* || 10, 2 *nihil aliud nisi tantummodo usus fructus* || IV 1, 8 *quibusdam furti tantummodo* (sc. *actionem praestantibus*). Alia habes exempla III 5, 1; 12, pr.; 27, 7; IV 8, 7.

Ad numeralium autem vim augendam ab altero compositore *tantummodo*, ab altero *tantum* adhibetur: II 14, 5 *si unum tantum quis* ... *scripserit.*

III 2, 4 *unus tantummodo gradus* || 9, 6 *ad quintum tantummodo gradum* || 9, 7 *sex tantummodo bonorum possessiones.*

11. Ab adverbii 'omnino' notione haud procul abest in libris I et II *per omnia*, veluti: I 12, 1 *per omnia pristinum statum recipiunt* || II 7, 1 *ad exemplum legatorum redacta sunt per omnia* (διὰ πάντων) || 7, 1 *ut per omnia fere legatis connumeretur* (κατὰ πάντα).

In posterioribus libris idem frustra quaesivi; in quibus eadem vi praedita esse videntur *in totum* et *in plenum*: III 2, 7 *quod iterum praetores* ... *corrigentes non in totum sine adminiculo relinquebant* || 2, 3[b] *non tamen eos in plenum causae mederi invenimus* (φησὶ δὲ αὐτοὺς μὴ τελείως τῆς κατὰ τῶν θηλειῶν ἀδικίας εὑρεῖν ἴασιν).

12. *Ad exemplum* legitur: II 7, 2 *ad exemplum venditionis* || 11, 6 *quod ad exemplum castrensis peculii* || 16, 1 *ad exemplum* (Theoph. πρὸς μίμησιν) *pupillaris substitutionis certas personas substituere. Exemplo* legitur I 25 pr. *a tutela possunt excusari exemplo ceterorum munerum* (πρὸς μίμησιν τῶν λοιπῶν λειτουργημάτων). Simili modo II 10, 10 *ad imitationem pristini familiae emptoris* usur-

patum est, cfr. I 11, 4 apud Theophilum qui dicitur *ἐπειδὴ πρὸς μίμησιν τῆς φύσεως ἐπινενόηται*, ubi in textu Iustiniano habemus *adoptio naturam imitatur*.

In posterioribus libris illarum vocum vice fungitur *ad similitudinem*: III 4, 1 *ut ad similitudinem filiorum filiarumque vocentur* (Theoph. *κατὰ μίμησιν υἱοῦ καὶ θυγατρός*) || 6, 10 *ad similitudinem eorum qui ex iustis nuptiis procreati sunt* (*πρὸς μίμησιν τῶν ἐξ ἐννόμων τεχθέντων γάμων*) || 10, 2 *eandem dispositionem coartavimus ad similitudinem naturalium parentum* (*τῷ προσπορισμῷ τῶν φυσικῶν γονέων τοῦτον ἀφομοιώσας*, cfr. II 7, 1 *hae mortis causa donationes ad exemplum legatorum redactae sunt* = *αὗται δὲ αἱ* mortis causa *δωρεαὶ ἐοίκασι ληγάτῳ*).

§ 8.
Coniunctiones.

1. *Ceterum* deest in prioribus libris, extat in posterioribus: III 2, 3 *ceterum inter masculos quidem ... hereditas ... capitur* || IV 7, 5 *ceterum dubium non est, quin* || 9, pr. *ceterum si genitalis sit feritas, cessat* || 9, 1 *ceterum sciendum est.*

Contra II 7, 2 dicitur *sciendum tamen est.* [conf. etiam hos, quorum significatio aliquantum distat, locos: *sed sciendum est* I 14, 1 et *sciendum autem est* I 24, 2].

2. *Donec* coniunctio temporalis III 23, pr. et IV 12, pr. cum indicativo coniuncta est: III 23, pr. *donec* (= 'dum') *deest* || IV 12, pr. *donec .. dederunt* (quo loco coniunctivum ponere non licebat). Eadem II 17, pr. cum subiunctivo ita conectitur, ut in enuntiato primario addatur *usque eo*: *testamentum iure factum usque eo valet, donec rumpatur irritumve fiat.*

3. *Si modo* initio condicionum in duobus posterioribus libris novies legitur: III 1, 10; 19, 5; 27, 1; IV 3, 3; 15, 4; 15, 4*; 6, 17. Atque cum III 14, 2 legatur *si modo poterit*, ubi Digesta habent simplex *si* (XXXXIV 7, 1, 4) eademque § *si modo ... intervenerit* occurrat, ubi in Di-

gestorum l. l. *si* reperitur, efficitur quodam studio in illa Institutionum parte *si modo* poni.

In libris I et II *si modo* non amplius bis occurrit: I 6, 1 et II 24, 2. Contra in isdem bis extat *dummodo,* quod in libris III et IV non legitur: II 19, 7 *dummodo sciat* || I 26, 2 *dummodo meminerimus;* Digesta (XXVI 10, 1) *modo* praebent; *modo* autem in sola priore Institutionum parte significat 'nunc', veluti II 5, 6 *modo videamus* (in libris III et IV hunc usum omnino non deprehendas).

Dum tamen(= 'dummodo', cfr. Kalb l. c. p. 88) in uno primo libro legitur: 6, 5 *dum tamen intra sex menses uxor ducatur* || 10, pr. *dum tamen filii familias et consensum habeant parentum.*

4. *Nisi* bis (III 3, pr.; 26, 11) excidit posteriorum librorum compositoris calamo; contra *nisi si* idem ter scripsit: III 17, 3; 26, 11; 25, 5 (quo loco Digesta XVII 2, 65, 9 *nisi* habent). In libris I et II autem *nisi* frequentius est, cfr. I 6, 5; II 3, 3 (bis); 14, 5; 16, 5; *nisi si* in his adeo non reperitur, ut II 19, 5, qui locus ex Gai inst. II 163 ductus est, *nisi minor sit* locum occupaverit Gaiani *nisi si.*

5. Quod Graeci (cfr. Theophili qui dicitur paraphr. graec.) ἐπὶ τοσοῦτον ὅτι dicunt, in libris I et II exprimitur modo per *adeo ut* modo per *in tantum ut*; in libris III et IV autem tantum per *adeo ut*:

adeo ut: I 25, 13; II 16, 5.

in tantum ... ut: I 25, 18; 10 pr.; II 20, 36.

adeo ... ut: III 3, pr.; 25, 2; 26, 6; 26, 8.

Adeo ut igitur quamquam idem significat per omnes quattuor libros, tamen coniunctio harum vocularum non eadem est in utraque Institutionum parte. Namque in prioribus libris verba *adeo ut* tam arte inter se coniuncta sunt, ut nullum aliud vocabulum inculcetur; in posterioribus autem nusquam non intercedunt alia vocabula:

I 25, 13 *prohibentur ad tutelam ... aspirare, adeo ut nec excusatione opus fiat* || II 16, 5 *pupillare testamentum pars et sequela est paterni testamenti, adeo ut ... ne filii quidem* (testamentum) *valebit.*

III 3, pr. *eos* .. *adeo expellebat, ut* ... || 25, 2 *adeo contra Q. Mucii sententiam optinuit, ut* ... || 26, 6 *adeo haec ita sunt, ut* ... || 26, 8 *adeo quidem, ut* .. *placuerit inutiliter te acturum.*

6. *Prout* legitur III 9, 8 *prout res exigit* .. || 12, pr. *prout eis utile visum fuerit ea disponere* (Theoph. καθ' ὃν ἂν συνίδοιεν συμφέρειν αὐτοῖς τρόπον) || IV 7, 5[a] *prout ergo expedit* ... Huius vocis loco usurpatum deprehendimus II 11, 3 *quod in castris fecerint testamentum non communi iure, sed quomodo voluerint* (καθ' ὃν ἠβουλήθη διέθετο τρόπον) || I 6, 7 *ei quemadmodum alias res ita et servos suos in ultima voluntate disponere, quemadmodum voluerit, permittimus* (ὥσπερ τὰ ἄλλα πράγματα διατυποῖ ὁ νέος διατιθέμενος ὡς βούλεται, οὕτω καὶ τοὺς ἰδίους οἰκέτας ...).

7. In universum constat utrumque compositorem id observasse discrimen inter *ita* et *sic* particulas, ut illa ad id quod sequitur spectet, haec id respiciat quod antecessit. Sed in comparationibus minus inter se consentiunt; nam legimus

1) III 24, 2 *sicut vulgo quaerebatur* ... *ita quaeri solebat.* cfr. 27, 1; 29, 1; IV 3, 14; 6, 33;
contra I 12, 5 *sicut in domibus finem quendam faciunt, sic et* . .

2) III 1, 14 *integra omnia iura ita servari atque si in patris naturalis potestate permansisset. (ita — atque si* fere idem valet ac *perinde — ac si)* || 24, 3 *hoc ita optinere ac si naturalis esset contractus.*
contra II 10, 7 *ut sic habeatur atque si ut oportet factum esset.*

3) III 1, 15 *quemadmodum lex XII tabularum* .... *vocat, ita et principalis dispositio* ... *vocat*, cfr. 3, 5; 3, 6.
contra II 7, 1 *ut* ... *sic procedat, quemadmodum* (at I 6, 7 et II 7, 3 *quemadmodum* ... *ita* legitur).

8. *Ecce* particulae hic est usus in Institutionibus:

1) *ut ecce si:* I 21, pr.; II 1, 25; 4, 1; III 26, 8; IV 6, 33[d]; 6, 36.

2) *ut ecce:* I 10, 6; III 24, 3.

3) *ecce* et *ecce enim* in una posteriore Institutionum

parte usurpantur: illud IV 6, 3, hoc III 10, 1; IV 14, 4; 16, pr.

9. *Non solum ... sed etiam* (vel *sed et* vel *sed*) in omnibus libris aequo modo in usu est; item *non tantum ... sed etiam (et)*. Quod autem bis in altero membro legitur *verum etiam* (II 4, 2; 18, 1), id adeo ab eo, qui posteriores libros composuit, respuitur, ut, ubi apud antiquiorem scriptorem, cuius verba exscribit, illud usurpatum invenit, cum particulis *sed etiam* permutet: IV 4, 2 *non solum ... sed etiam*, cfr. Gai inst. III 221: ... *verum etiam*.

10. *Potius* — *quam* frustra quaeras in prioribus libris, in posterioribus autem ter usurpatur: III 27, 6 *ut distrahat potius negotium quam contrahat*, cfr. IV 1, 14; 15, 4. Eodem modo in usu est *magis* — *quam* III 27, 6 *magis ut supra diximus ex distractu quam ex contractu*, cfr. III 6, 9. In libris I et II hoc unum in usu habetur: I 16, 5 *quibus autem dignitas magis quam status permutatur* || II 23, 7 *nobis in legibus magis simplicitas quam difficultas placet.* Bis in libro II (1, 25) *potius* (sine *quam*) post *an* invenitur: *utrum is qui fecerit an ille potius qui* ... || *placuit ... si ea species ad materiam reduci possit, eum videri dominum esse, qui materiae dominus fuerat, si non possit reduci, eum potius intellegi dominum qui fecerit.*

11. *Namque* particula rarius in libris I et II (ter), saepius in libris III et IV (duodecies) scripta est: I 21, pr.; II 4, 2; 5, 1; III 1, 11; 6, 7; 13, 1; 14, 2; IV 6, 1; 6, 4; 6, 39; 7, 3; 11, pr.; 15, 4, nec interest utrum proxima vox a littera vocali incipiat an a consonante. Quantopere *namque* compositori posteriorum librorum in deliciis fuerit, inde intellegitur, quod etiam iis locis, quibus Gaius *enim* dederat, pro *enim* substituit *namque:* IV 8, 2 *namque erat iniquum* (Gai inst. IV 75 *erat enim iniquum*) || 8, 6 *namque inter dominum et eum, qui* .. (Gai inst. IV 78 *nulla enim omnino inter me et eum, qui*).

12. *Utpote*, qua particula participii, quod enuntiationis secundariae vice fungitur, vis causalis augetur, bis participio

III 1, 14 *exheredatum facere utpote nullo vinculo copulatum* (Theoph. οἷα μηδενὶ φυσικῷ δεσμῷ κρατού-

μενον αὐτόν) || 9, 4 *bonorum possessiones admisimus* ***utpote*** *necessarias* ***constitutas*** (Theoph. *οἷα οὔσας ἀναγκαίας*),

semel participio cum ablativo absoluto iunctum

III 2, 7 *ex cognatorum ordine eos vocabant* ***utpote*** *adgnationis* ***iure*** *eis* ***recluso*** (Theoph. *διὰ τὸ ἀσθενῆσαι τὰ ἀδνατικὰ δίκαια*)

in sola posteriore Institutionum parte legitur. In priore autem, quibus locis simile quid pronuntiandum est, pro coartata illa loquendi ratione enuntiatum secundarium causale cum verbo finito ex coniunctionibus *quia* vel *cum* (*scilicet* particula addita) suspenso ponitur:

I 10, 3 *eius vero mulieris, quam pater tuus adoptavit, filiam non videris impediri uxorem ducere,* ***quia*** *neque naturali neque civili iure tibi* ***coniungitur.***

III 1, 14 *non necessitas patri adoptivo imponitur vel heredem eum instituere vel exheredatum facere* ***utpote*** *nullo naturali vinculo* ***copulatum*** (i. e. quia nullo naturali vinculo ei copulatur.)

II 8, 2 *sed ex diverso pupilli vel pupillae solvere sine tutore auctore non possunt, quia id quod solvunt, non fit accipientis,* ***cum scilicet***[1] *nullius rei alienatio eis sine tutoris auctoritate* ***concessa est.***

III 2, 7 *ex cognatorum ordine eos vocabant* ***utpote*** *adgnationis iure eis* ***recluso*** (i. e. cum scilicet adgnationis ius eis reclusum est.)

13. ***Sane*** (i. e. 'profecto' vel 'quidem') ab libris I et II prorsus alienum[2] posteriori librorum compositori adeo placuit, ut quater decies in libris III et IV deprehendatur, veluti:

---

[1] Coniunctio *cum* particula *scilicet* aucta, ut idem significet quod apud alios scriptores *utpote cum* (cfr. Dig. I 1, 4; 4, 1, pr.), praeter illum unum locum in quattuor Institutionum libris non legitur.

[2] Illud unum *sane*, quod legitur I 10, 2, cum tota paragrapho ex Gai inst. lib. I 61 originem duxit. Particulae *sane* quidem usus Gaio frequens est: I 61, 179, 192 II 60, 103, 104, 123, 146, 177 III 98, 183, 194, 197, 212 IV 31, 74ᵃ, 131, 134.

III 26, 8 *quae sententia sane benignior est* || IV 6, 4 *sed quia sane durum erat* || 7, 5ᵃ *sed sane huic modo tributoria expedit agere.* Cetera exempla haec sunt: III 1, 9; 2, 3; 14, 2; 23, 3ᵃ (bis); 25, 2; 27, 1; IV 6, 2; 6, 33; 14, 4; 17, 6.

14. Restat ut addam, quid in utraque Institutionum parte adhibitum sit ad illud exprimendum, quod in aurea latinitate 'ne ... quidem' particulis indicatur.

1) Antiquum illud *ne ... quidem* non plus semel (II 16, 5) servatum est: *si patris testamentum non valeat, ne filii quidem valebit.*

2) *ne quidem* legitur et III 3, pr. *adeo expellebat, ut ne quidem inter matrem et filium ... hereditatis capiendae ius daret* (cfr. Gai inst. III 93 *ut ne quidem in Graecum sermonem ... transferri possit*) et I 16, 6 ... *ius quoque cognationis perit ... et ne quidem, si manumissus fuerit, recipit cognationem.* Sane igitur mirum est, quod I 11, 10 (*feminae quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in potestate sua habent*) is qui librum I composuit *nec* scripsit pro Gaiano *ne quidem* (Gai I 104 *quia ne quidem naturales liberos in potestate habent*).

3) *nec ... quidem* = 'ne ... quidem'[1]: III 5, 4 *eadem ratione nec inter se quidem possunt videri consanguinei esse,* cfr. 6, 11; 19, 10. I 25, 7: *propter adversam valetudinem, propter quam nec suis quidem negotiis interesse potest*; alia exempla habes II 20, 25; 20, 36 (cfr. Gai inst. II 236, 288).

Leges enim eas tantum quae ad ius priuatum pertinerent sublatas, formam rei publicae Teiorum seruatam esse caue censeas. Immo magistratus nouos e Coorum legibus institui rex iubet. Cum igitur magistratus omnes abrogati, instituta publica sublata essent, eis qui leges nouas conscribebant, ciuitatem quo modo uellent, constituendi potestas facta est. Memineris autem praeter nomographos illos qui iure iurando obstringuntur, ne quid contra ciuitatis commoda rogent, unicuique ciui legum quas uelit ferendarum hoc loco potestatem

---

[1] Diodor. XV 76, 2. Strabo XIV p. 657.

[2] Newton, Inscr. Gr. Mus. Brit. CCXLVII p. 63.

[3] Cf. etiam Usener Rh. M. 29, 39 et Diod. 19, 75 illic citatum cum eis quae infra exposui p. 50 sqq.

fieri, ita ut de his legibus priuatorum necessario suffragia fiant. Quae res et per se ipsa satis turbulenta et ad plebis potestatem augendam apta esse uidetur, idque eo magis cum quid alias in legibus ferendis moris fuerit Graecis respexeris. Athenis enim quamquam singuli ciues nequaquam legum ferendarum expertes erant, nisi extraordinariae causae incidebant, de eis tantum rebus semel quotannis leges ferre unicuique licuisse constat de quibus populus iussisset, neque de his quidem nisi ita, ut a senatu et iudicio iuratorum leges examinarentur defensoribus pristinarum legum publice institutis, et ut periculum accusationis quae *παρανόμων* dicebatur, legum rogatores per annuum spatium praestarent. Anno autem a. C. n. 403 cum auctore Tisameno leges retractari populus iussisset, decemuiri instituti sunt[1] qui, ita ut hoc loco sexuiri, nouarum legum ferendarum cura onerarentur. Leges autem quas tulerunt, non ut hoc loco a comitiis sed a senatu et iudicibus examinatae sunt, neque si quid priuati rogassent, de his legibus utique suffragia fiebant, sed senatui potestas data est, quas harum legum comprobasset, ad nomothetas ferendi. Atque eodem modo tributa sociorum (quae ut leges tractabantur) saeculo a. C. quinto recensa esse docuit Koehlerus[2]. — Contra si cum his quae adtuli, ea compares quae Thucydides (VIII 67) anno 411 in quadringentorum dominatione instituenda facta esse refert, et ab Atheniensium moribus haec prorsus abhorrere intelleges, et similitudinem quandam intercedere inter res a Thucydide narratas et eas quae nostro loco statuuntur. Athenis enim *συγγραφῆς* ad leges nouas dandas publice constituti cum ipsi eam legem qua res publica funditus peruerteretur, ferre non auderent, nihil nisi unicuique ciuium cuiusuis legis ferendae impunitatem rogauerunt. Qua re ex uniuscuiusque seruili procacitate instrumentum aptum ad res prorsus nouandas optimates sibi parabant. Hoc igitur interest inter nostram et illam causam,

---

[1] Andoc. 1, 83. *οἱ δέκα ᾑρημένοι* pro *οἱ δὲ ᾑρημένοι* proposuit Sluiterus adsentientibus Koehlero (loco infra not. 2 citato) et R. Schoellio (Comment. in hon. Mommseni p. 467).

[2] Urk. u. Unters. z. Gesch. d. del. att. Bundes p. 66.

quod ea quae illic optimatium dolo instituta sunt, cum animi ciuium anxii a re populari auerterentur, ea hic ad potestatem rei publicae popularibus Antigono obnoxiis tribuendam instituuntur additis diserte minis poenarum, si quis aduersus regis commoda quid rogasset.

Denique monendum est legatos quos tribus diebus Coum Teii mittere iubentur, non statim profectos esse; cuius rei quae fuerit causa infra uidendum erit (p. 49).

§ 9.

Huic paragrapho similia sunt quae in Stiriorum et Medeoniorum pacto[1] constituuntur v. 34 sq.: *Μὴ ἔστω δὲ ἐπάναγκες λειτουργεῖν τοὺς Μεδεωνίους ἐν Στίρι τὰς ἀρχὰς ὅσοι γεγένηνται ἐν Μεδεῶνι ἄρχοντες, ξενοδίκαι, πρακτῆρες, δαμιουργοί, ἱερεῖς, ἱεράρχαι, καὶ τᾶν γυναικῶν ὅσαι ἱερητεύκατι, εἰ μή τις ἑκὼν ὑπομένοι· ἱστάνθων δὲ ἐκ τῶν ἀλειτουργήτων τῶν Μεδεωνίων καὶ ἐκ τῶν Στιρίων.*

Hoc loco duo sunt genera hominum qui muneribus publicis liberantur. Cum enim certus ordo quo locupletes in utraque ciuitate muneribus fungebantur, synoecismo instituto perturbatus esset, rex ne ei qui munere aliquo in altera ciuitate functi essent, nouo ordine constituto iterum eodem onerarentur, cauendum statuit. — Tum Lebedii dum domorum exstruendarum onere premerentur, omnibus muneribus se excipi postulauerunt. Quod in tres annos eis conceditur. — Regem utrum urbs Teiorum permaneret, an tota uel partim destrueretur, Teiorum arbitrio permisisse supra monuimus (p. 24). Qua re hoc loco, si omnes Teii in pristinis maneant domibus, Lebedios tantum liberandos esse censet, sin etiam Teiorum pars sedes mutare cogatur, etiam hos qui in eadem atque illi condicione sint, eadem immunitate frui iubet.

Quae sequuntur Waddingtonus ita suppleuit: *καὶ ἕως ἂν ἦι οἰκία, μὴ μεθαιρῶνται τούτους λητουργεῖν*, hac usus interpretatione: „ils seront exemptés pendant le même temps et jusqu'à ce qu'ils aient de maisons.“ Verba *μὴ μεθαιρῶνται*

[1] Vide infra partem IV.

τούτους ληιτουργεῖν igitur eodem sensu intellexit quo καὶ τούτους ἀτελεῖς εἶναι. Quod suo quidem iure Dittenbergerus spreuit, uerum quod ipse suppleuit: ὅσοι δ'ἂν τὰ ἐποίκια μὴ μεθαιρῶνται, τούτους ληιτουργεῖν : ἐποίκια nullo modo stare potest. Nam non de casis sed de domibus destruendis agitur. Domus urbanae autem numquam sunt ἐποίκια [1]. — Sententia quid postulet, apparet: ei enim muneribus fungi iubentur qui domorum exstruendarum cura non onerentur, cum in ea urbis parte habitent quae permansura sit. Qua re aut τὰ οἰκία scribendum esse apparet, aut litteram ι lapicidae errore omissam esse. Cum autem οἰκίον in titulo nostro nusquam, ἡ οἰκία saepe inueniatur, neque cur hoc ipso loco deminutiuo rex usus sit, cogitari possit, illud statuere ausus non sum.

Haeremus autem in uoce μεθαιρῶνται, quae praeter Odysseae VIII 376 in litteris Graecis legi non uidetur, ubi ὁ δ' ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἀερθεὶς Ῥηϊδίως μεθέλεσκε (τὴν σφαῖραν) est: pilum excipiebat. Dittenbergerus nostro loco idem fere quod μεταβάλλειν, ἀλλάττειν esse censet – quod probari potest — „nisi quod eligendi notio, huic loco aptissima, in uerbo insit.“ Quae mihi quidem huic loco minime apta esse uidetur, quoniam non singulis ciuibus, sed ciuitati rex permisit, urbisne pars destrueretur necne. Nisi igitur errori debetur uerbum satis insolitum, de alia re dictum esse non potest, atque de domibus destruendis ut alio loco exstruerentur. Quare καθαιρῶνται scribendum esse conicias.

Ad uocem χερσόννησον Hicksius haec adnotauit: „This Chersonnese is the large peninsula in which Erythrae stands“, citato Strabonis loco (XIV p. 644), quo teste eius isthmi qui paeninsulam Erythraeam cum terra continenti coniungit, Teii partem meridionalen possidebant. Sed iure mireris regem eo tempore, quo summo opere Teiorum urbem incolis frequentare studebat, de transducendis Teiis in paeninsulam Erythraeam

[1] Cf. Boeckh ad CIG 1730 (I p. 849): „ἐποίκιον hic ut alibi est casa ad fontem exstructa“. Casae in agris exstructae, scil: bubile, horreum, meta, ἐποίκια dicuntur in tabula Heracleensi I v. 146 (cf. v. 139 sq.), Le Bas, Asie min. 415 in titulo Mylasensi. Similiter uox usurpatur in schol. Apoll. Rhod. 2, 160 et apud Suidam s. v. al. (Villas esse ἐποίκια in libro Iosuae 18, 24 et in Basil. 19, 8, 7 al. legitur in Stephani Thesauro).

cogitasse. Neque in titulo ipso de tali re quicquam legimus. Immo quin de eadem re quam § 2 rex significauerat, hic uerba fiant, dubium esse non potest. Qua re Waddingtonum uerum uidisse suspicor, qui ad § 2 ubi de destruenda urbe Teiorum rex dicit, haec adnotauit: „C'était peut-être pour la rebâtir plus près de la mer, à l'endroit appelé Chersonnesos (voy. l. 71)". Qua re cum haud ita longe a Teiorum urbe pristina illam χερσόννησον quaerendam esse appareat, eam paeninsulam intellegendam esse iudico quae ante ipsam urbem antiquissimam occidentem uersus sita est, in qua etiam nunc ruinae plurimae inueniuntur[1], quare in illa urbem Teiorum sitam fuisse ei fere consentiunt qui nostris temporibus illos locos uiserunt[2]. At, dixerit quispiam, si in ea paeninsula erat urbs, quomodo de transferendis in eam sedibus Teiorum rex dicere potuit? Sed multum abesse, ut hoc nostrae opinioni repugnet, concedas, si quae sint illa aedificia quae in paeninsula inuenta sunt requisiueris. In quibus certius aliquid de templo Bacchi et de theatro solis constat. Ceterae ruinae quales sint et cuius aetatis mihi non innotuit. De theatro unum Hamiltonum[3] adferam, qui expressis uerbis dicit: „To judge from the parallelism of the walls which form the wings of the cavea, the theatre was probably of Roman construction". De templo Bacchi scripserunt Leakius[4] et pluribus uerbis Hirschfeldus (p. 28 sq.), qui suo iure cum artificibus Bacchicis et asylo Teio hanc aedem coniunxit, quod anno a. Chr. 193 a Romanis confirmatum est. De Hermogene qui aedem illam exstruxit, Hirschfeldus quaestione instituta eo peruenit, ut statueret eum certe ante saeculi alterius partem dimidiam, sed post medium tertium fuisse. De tempore hoc titulo

[1] Cf. mappam Britannicam maritimam (edited by the hydrographic office of the Admiralty) n. 1893 „Sighajik Bay," et G. Hirschfeldi commentariolum de Teo urbe in Diario archaeologico 1876 p. 23—30, tabella instructum.

[2] Hamilton, Researches in Asia Minor II p. 12. cf. p. 11. Hirschfeld p. 27. Etiam in mappa Britannica in hac paeninsula adscriptum est „Ruins of Teos".

[3] l. c. p. 13.

[4] Journal of a tour in Asia Minor p. 350.

superiore nemo quantum uideo cogitauit. Itaque probari potest ea aedificia, quorum ruinae in ipsa paeninsula inueniuntur, post hunc synoecismum exstructa esse. Ab his autem orientem uersus et cis et trans eum riuum qui in portum Teium effunditur, alias ruinas se inuestigasse testatur Hamiltonus, quae an aetate illas superent nescio. Dorico genere unum eorum templorum exstructum fuisse refert. Vel ultra hunc locum in planitie ea quae nunc hieme palustris esse solet, substructio inuenta est pedum 140 et 160, ut Hamiltonus dicit, ut Hirschfeldus totidem passuum, quam quod Hirschfeldus sepulcri fuisse dicit miror. Nisi rex regum aliquis illic iacebat, cui tanti ambitus sepulcrum Teios erexisse putes, cum templum Bacchi pedes 64 latum fuisse Leakius computauerit? Atque etiam statuas ibidem inuentas esse testis est Hamiltonus, quas iudicat esse magistratuum muneribus publicis bene functorum. Sed quaecumque sunt, olim Teiorum urbem non eo muro orientem uersus finitam fuisse cuius reliquiae citra eum quem supra commemoraui riuum supersunt, ex eis quae adtuli satis apparet. Ille murus, multis (teste Hamiltono) angulis et propugnaculis munitus, mediine aeui sit, ei quibus reliquias illas oculis inspicere contigit, diiudicent. Tantum satis erit dixisse, Teum urbem antiquis temporibus uideri magis ad orientem uersus sitam fuisse, hoc ipsum Antigoni regis edictum fortasse causam praebuisse, ut inde ab hoc tempore eae quae additae sunt nouae partes, in paeninsula exstruerentur, quae altiore ideoque salubriore fortasse situ fruitur [1].

§ 10.

Teii cum haud ita multum frumenti exarauisse uideantur (v. 78), Lebedii autem agros colere proximis tribus annis fere non possent, Lebediorum maxime intererat, amplam frumenti copiam ipsa in urbe praesto esse, ne a pretiis forensibus cuiusque mensis penderent, quae antiquis etiam minus quam nostris temporibus sibi constare consueuisse propter commercia

---

[1] Contrariam quidem de hac re sententiam nouissime dixit G. Hirschfeld in Histor. u. philol. Aufsätze, E. Curtius gewidmet. Berol. 1884. p. 364, qui tamen de huius tituli interpretatione nihil addit.

multo minus perfecta conicias. Qua re haud mirum est Lebedios petiuisse, ut impensis publicis annona per illud tempus curaretur. Horrea igitur ut sint in urbe postulant: ita recte interpretatus est Hicksius uerba *σίτου παράθεσιν*, collato Polyb. II 15,3. III 17,11. Quae res ita erat efficienda, ut pecunia quaedam ex aerario ciuitatis mercatoribus aliquibus mutua daretur ea condicione, ut frumenti copiam quam maximam importarent. Numerus aureorum quem ad hanc rem Lebedii postulauerunt, partim deperiit. Waddingtonus v. 73 *τετρακοσίους καὶ δισχιλίους* restituit, v. 94 autem *χιλίους*. Sed rex cum Teii nimium postulasse uideantur (v. 79), Lebediis potius adstipulatur (v. 93), ne tanta quantam Teii poposcerant pecunia in discrimen commissa, ciuitas aere alieno obruatur. Qua re v. 73 *τετρακοσίους καὶ χιλίους*, v. 94 *χιλίους καὶ τετρακοσίους* scripsi.

Illa pecunia pignore obliganda et intra anni spatium reponenda erat. Quanto autem fenore esset collocanda, Teiorum arbitrio permittitur (v. 76). Anno circumacto rem esse repetendam quamquam non pronuntiatur, tamen probari potest, cum tres anni ad synoecismum conficiendum constituti sint. Stateres aureos Philippeos si, quod Hultschius commendat (Metrologia Graecorum et Romanorum[2] p. 240. cf. p. 248), = 20 M. facias, tota summa quae ad hanc rem decernitur est M. 28 000. Ex eis quae Boeckhius contulit testimoniis (Oec. publ. Ath. I[2] p. 132 sqq.), efficitur quattuor drachmas Atticas eo de quo agitur tempore pro uno modio Attico tritici satis paruum, pro modio hordei satis magnum pretium fuisse; a singulis autem hominibus singulis diebus consumi frumenti partem quadragesimam et octauam modii, ueteres plerumque aestimasse. Ergo si et hordei et tritici copiae importabantur, circiter 1100—1200 hominibus in unum annum hac pecunia frumenta procurari poterant, sin bis terue uno anno eadem pecunia frumenta emi potuisse sumas, ad duo uel tria fere milia hominum peruenies. Sed multo plures fuisse, qui Lebedo Teum transmigraturi essent, censeam. Memineris autem non tam ad conficiendam prorsus rem frumentariam hanc pecuniam decretam esse, quam ut ei

qui frumenta importabant adiuuarentur, eaque re frugum pretia leuarentur.

Teii legati, cum illa summa exigua esse eis uideretur, ut plus concederetur postulauerunt. Quod cum Waddingtonus non intellexisset, suppleuit: *ἐπειδὴ ὁ συνοικισμὸς συντελεῖται καὶ πάντες γίνεσθε κτλ.* hac usus interpretatione: „De leur côté les députés de Téos sont d'avis d'ajourner ces mesures jusqu'à ce que l'amalgamation des deux communautés soit complète.“ Mire, nam scribendum esset: *ἐπειδὰν συντελεσθῆι καὶ γένησθε.* *γίνεσθε* autem in lapide est. Teii enim suae sententiae causam adferunt hanc: subito unum in locum conuenire insolitum numerum hominum, qui sedibus parandis occupati, quaestum facere non possent. Non igitur „cum conficiatur (*συντελεῖται*) synoecismus sed „cum comparetur“ erat dicendum[1].

Antigonus autem cui haec minus placebant, pluribus uerbis exponit, qua re neque quod in uniuersum illam rem Lebedii statuendam esse censuerant[2], neque quod Teii maiorem summam poposcerant, concedendum sibi uideatur. Haec tituli pars cum a Dittenbergero ut breuissime ita probabilissime restituta et explicata sit, eius fere supplementa et interpretamenta secutus sum. Hoc enim rex dicit: Se neque antea ciuitatibus Graecis concessisse, ut publicis impensis peregre frumenta importarent, neque tunc hoc sibi uolenti esse. *Σιτηγήσια* de nauibus frumentariis intellexit Waddingtonus („navires pour le transport de blé“). In lexicis hoc uocabulum deest. Ego potius de iure ciuitatium publice rem frumentariam curandi illud interpreter. Priuatos enim frumenta importare rex uetare uix poterat. Ciuitates autem in hanc rem pecuniam impendere nolebat, ne iacturas facerent. Timebat enim ne, si pecuniam mutuam dedissent ciuitates,

[1] *κατασκευάζειν πόλιν* (instituere rem publicam) legitur in Platonis Rep.VII p. 557 d. Diod. XII, 81,2: *προσέταξαν συγκατασκευάσαι τοῖς Ἀργείοις τὰ κατὰ τὴν πολιτείαν.* Strabo. IV p. 186: *τὴν Οὐίενναν — κώμην πρότερον οὖσαν, μητρόπολιν δ' ὅμως τοῦ ἔθνους λεγομένην, κατεσκευάκασι πόλιν* Plato *ἱερὰ θυσίας τε κατασκευάζειν* Critiae p. 113 b.; per iocum *συνέδριον κατασκευάζειν* id. Protag. p. 317 d. cf. nostri tituli v. 13.

[2] Versus 76 supplemento sententiae suffecisse mihi uideor, quamquam uerba *ὧν ἀξιούντων* neque lacunae spatio neque dictioni apta sunt.

debitores temerariis negotiationibus eam perderent. Quapropter e terra barbara potius procul sita, ubi satis frumenti exaretur, unumquemque quantum opus ipsi sit, arcessere iubet. Haec certe de Hermi ualle sunt intellegenda, ubi planities ad frumenta gignenda aptas esse constat. „Ex decimis agricolarum ibi frumentum multum in horrea regia collatum esse“, censet Dittenbergerus, quae tamen coniectura factis fulcitur nullis. Eodem ea refert quae sequuntur: *ἐσπουδάζομεν δὲ ὑπὲρ τούτων κτλ.*: eo consilio se horrea illa comparasse, ut Graecos adiuuaret, Antigonum facit dicentem. At posse haec aliter intellegi statim exponam. Certe in ea re haud dubito adstipulari uiro doctissimo, quod tributa Antigonum a barbaris, non a Graecis exegisse statuit. Quod enim Waddingtonus in v. 83 suppleuerat: *πλησίον οὔσης τῆς φορολογουμένης νεώς*, id Dittenbergerus eo refellit, tributum colligere esse *φορολογεῖν*, *φορολογεῖσθαι* dici de eis a quibus tributa exigantur. Medium autem genus de naue tributaria usurpari uix potest. Ceterum exstat titulus Erythraeus litteras Antiochi II ad ciuitatem Erythraeorum datas continens, ex quo eadem immunitate quam Alexander eis concesserat, etiam Antigono regnante fructas esse Graecas ciuitates apparere uidetur[1].

Ex terra tributaria Graecos frumenta importare fortasse ideo quoque rex cupiebat, ut uim tributa ferendi illius terrae augeret. Qua cum re illud opinor bene conuenit, quod in proxima paragrapho exportationem frumentorum adiuuare studet. Exactus enim frumentorum barbaris illius terrae procurare uolebat. Quam rem in litteris ad Teios datis expositam non esse, non miror, neque Dittenbergeri coniectura quam supra significaui, ad explicanda regis uerba opus esse iudico. Immo Antigonus nimirum affirmat, eo tantum consilio, ut ciuitatibus prouideret, negotiis nummariis eas implicari se uetasse (v. 85--88). Quamquam enim in ceteris rebus quam maximam libertatem Graecis dare sibi proposuerit, hoc sibi curandum esse, ut aere alieno, quod contraxerint, liberentur. (Hic cum sententiarum nexus sit, *γὰρ* pro *οὖν* v. 88 restituendum esse censui). Tamen illo tempore cum necessitatis

[1] Dittenb. Syll. 166. cf. Arrian. Anab. I 17,10. 18,2 cum 17,1.

rationem habendam esse uideret (v. 90. 91) — periculum enim erat, ne insolita hominum multitudine coacta, inopia et fames orcretur — id quod minime probabat, concedere rex coactus est. Haec sine dubio causa est, quod pluribus uerbis et minus plane haec paragraphus, quam ceterae, scripta est. Ceterum Lebediis rex potius adstipulatur quam Teiis, quo minor pecunia in periculum detur, uel quo minus frumenti peregre importetur.

§ 11.

Huius paragraphi quamquam non omnes difficultates se absoluisse Waddingtonus ipse profitetur, in uniuersum tamen uerum uidisse uirum doctissimum iudico, cum diceret: „Toutefois il me semble que la clause a pour but d'affranchir l'exportation de certaines formalités, telles que l'obligation d'apporter au marché et d'y exposer ou d'y faire visiter les denrées qu' on voulait exporter.“ Quod autem priorem huius paragraphi partem ita interpretatus est: „Toute importation et toute exportation devra être déclarée au bureau du marché, et ainsi les gens à qui il ne convient pas d'exporter directement du marché, pourront exporter de chex eux en acquittant les droits conformément à leur declarations“: in hoc errasse mihi uidetur. Multo autem minus Hicksio res successisse uidetur, qui hoc modo uerba interpretatus est: „The custom-house is to be placed near the harbour, so that importers need not be obliged to bring their goods into the town, but might export them again at once, if they heard the market was bad. Probably the market was at a little distance from the harbour, and the custom-house is to be as near the harbour as possible“. Male tali instituto Teii suis commodis consuluissent. Neque de qua quidem re agatur, uidit uir doctissimus. — Prae ceteris autem hoc statuendum mihi uidetur, de frumentis tota hac paragrapho agi, quippe de quibus et in superiore paragrapho uerba fiant, et quae in altera huius paragraphi parte exstent: „ὅσαι δ'ἂν κῶμαι ἢ ἐπαύλια ὦσιν κτλ.“, his quoque uerbis de alia re quam de frumentis dictum non esse appareat. Qua re in initio restituendum esse uidetur: *Τῶν δὲ σίτων*. Ac

ne id quidem dubium est, quin de exportandis frumentis agatur. Quorum duo discernuntur genera: et ea quae peregre importantur, et ea quae in finibus Teiorum exarantur. Utriusque generis frumenta quae sint exportanda, ad magistratus referri iubetur. Haec diserte habes in uerbis *ἀποδειχθῆνα[ι* v. 95. et *ἐπαγγείλαν[τα* v. 100. Neque magis dubitari potest, quin cum uectigalibus quibusdam soluendis haec coniungantur. Tamen hoc cogitari non potest, exportari ullas res de quibus portoria soluenda sint, quae tamen a custodia portitoris excipiantur. Quod si enim dicitur: *ἐάν τισι μὴ λυσιτελῆι κατάγουσιν εἰς τὴν ἀ[γορὰν—ποιεῖσ]θαι τὴν ἐξαγωγήν*, inde diserte apparet, non de portorio soluendo, ut Hicksius („custom house") et Waddingtonus (qui v. 100 suppleuit *τελώνηι*), iudicasse uidentur, sed de uectigalibus rerum in foro Teio uenditarum uerba fieri. Neque quae sint illa frumenta quae in forum adferri commodum non uideatur, dubitari potest: ea nimirum frumenta peregre importata quae in foro Teio emuntur, non ut in urbe consumantur, sed ut rursus exportentur. Haec igitur nauibus exponendi et in forum adferendi impendia euitari poterant. Harum mercium exempla eo adferre solent mercatores ubi omnia negotia fiunt. Quapropter haud male restituisse mihi uidetur Waddingtonus v. 95: *ἐν τῆι στοᾶι τῆς ἀγορᾶς*. Ibi enim sub custodia aedilium frumenta ueneunt. Quam ad rem ut ipsae merces adsint, necesse non est, attamen quantum ueneat, publica cura proscribendum est, ut uectigalia forensia inde exigere aedilis possit. Itaque reiciendum est quod Waddingtonus dicit „exporter de chez eux". Immo sub custodia publica nimirum in portu sunt frumenta illa quae mercatores exponere nolunt. Quae si domum adtulisse mercatores cum Waddingtono fingas, totam rem funditus peruertas. — Item sub custodia aedilium ea exportabantur quae in agris Teiorum exarata peregre uenibant. Sed ne in forum ea adferre cogantur rustici, altera huius paragraphi parte cauetur. Ceterum in uersu 98 male Waddingtonus restituit: *ἔξω τῶν τῆς πόλεως ὅρων*; nam quae extra fines Teiorum sunt, ea hic non curantur.

Itaque haec ratio intercedere mihi uidetur inter hanc atque superiorem paragraphum: illa praesenti tempori, hac

mercaturae Teiorum in futurum consulitur. Publicis enim impensis importari frumenta peregrina regi uolenti non erat, quoniam suis terris incommoda inde ne fierent timebat: Qua re illud non in uniuersum, sed eo tantum tempore quo synoecismus compararetur, ut fieret concessit. Multum tamen abest, ut commercia ciuium imminuere uelit. Neque priuatos frumenta peregre importare uetat. Maxime autem exportari frumenti quam plurimum posset, cupiebat. Quo et commercia Teiorum augebantur, et barbaris finitimis, qui in regis potestate erant et tributa ei soluebant, exactus frumentorum praebebatur. Qua re remissis omnibus oneribus quae remitti possunt, adiuuare eos studet qui frumenta exportaturi sunt. Simul fortasse uectigalia curabat. quae ut Iasi regis nomine exacta esse Boeckhius censuit (CIG 2673), ita fieri potuit, ut in portu Teiorum ab Antigono exigerentur.

§ 12.

Praeter ea quae superioribus paragraphis fieri iubentur, si quibus opus sit constituendis ad synoecismum perficiendum, Teii et Lebedii postulant, ut ea constituantur a sex uiris, quorum terni ab utraque ciuitate eligantur (ut supra in § 8). Quod cum regi concedendum uideatur, sex uiros intra triginta dierum spatium creari iubet: hi quae communi consilio statuerint, si ab utraque ciuitate approbentur, rata esse, si quid eorum inter Teios et Lebedios minus conueniret, ad se referri.

DE EDICTO ALTERO.

Alterum edictum qua occasione non multo post prius editum sit, supra significaui (p. 17). Cum enim rex in superiore edicto (§ 12) tribus mensibus iterum legatos ad se mitti iubeat, in altero (§ 13) legati ad regem uenisse dicantur, hos suspicor de eis rebus apud Antigonum uerba fecisse de quibus ut ad se referretur rex statuerat, scilicet de quibus inter Teios et Lebedios conuenire non poterat.

§ 13.

Primum quidem legati cum rege disseruerunt de pretiis domorum Lebediis soluendis quas hi relinquere cogebantur (cf. p. 19. 22). Qua de re etiam antea se deliberasse Antigonus refert. Pecunia enim quam Teii expedire poterant, parua erat, cum pecuniae ordinariae eorum certis tantum temporibus redirent. Hoc illud est quod exprimitur uerbis *τὰ ἐκ τῶν προσόδων γινόμενα κατὰ χρόνους προσπορεύεσθαι*, quae uerba de redeuntibus, non de expensis pecuniis intellegenda esse iure monet Dittenbergerus, cum Waddingtonus suppleuerit: *εἰς ἄλλα*, hac usus interpretatione: „parce que tous vos revenues avaient d'autres destinations". Immo quoniam statim sumptus satis magni desiderabantur, reditus ordinarii maioribus interuallis redibant, his ad illos procurandos Teii uti non poterant. Huic tamen sententiae ne id quidem quod Dittenbergerus dubitanter suppleuit, *διαφόρους*, sufficere uidetur. Certis enim temporibus saltem Teios reditus suos exspectare potuisse, nisi res eorum prorsus perturbatae erant, sumas. Itaque *κατὰ χρόνους — μακροτέρους* potius suppleui.

Quae cum ita essent, Antigonus legatos, qui de ea re ad eum rettulerunt, iussit sententiam dicere, unde pecuniae extraordinariae comparari possent. Atque illi responderunt unam tantum uiam qua id effici posset, relictam esse, quam rex satis obscuris significat uerbis *τὰ περὶ τὰ τέλη*. Quam obscuritatem inde ortam esse iudico, quod legati non nisi ciuitatis iussu locuti sint, ita ut Teiis explicatione nullo modo opus esset. Nos quidem quid sibi uelint illa uerba decernere non possemus, nisi Antigonus huic consilio adsensus esse uideretur. *Τέλη* enim plerumque quidem uectigalia sunt, de quibus tamen hoc loco cogitari non potest, cum ea in redituum ordinariorum numero certe fuerint, quos ad eam de qua agitur rem non sufficere rex exponit. *Τέλη* autem interdum etiam alii reditus publici dicuntur[1]. Quae cum ita sint, etiam

---

[1] Ut apud Demosthenem (or. 20, 19 p. 462): *οἱ μὲν τοίνυν πλουσιώτατοι τριηραρχοῦντες ἀεὶ τῶν χορηγιῶν ἀτελεῖς ὑπάρχουσιν, οἱ δ' ἐλάττω τῶν ἱκανῶν κεκτημένοι, τὴν ἀναγκαίαν ἀτέλειαν ἔχοντες, ἔξω τοῦ τέλους εἰσὶ τούτου.* Antiph. 5,77 (p. 138) *οὐκ ἔστιν — οὐδ' ἥστινος λειτουργίας ἡ πόλις ἐνδεὴς*

nostro loco de tributis (*εἰσφορᾷ*) uerbum *τέλος* usurpatum esse, Antigonus autem in eis quae sequuntur, non nouam uiam monstrasse, sed legatorum consilio adstipulatus esse uidetur. De quo postquam accuratius una cum illis deliberauit, hoc ni fallor praecipit: cum antea non nisi ditissimi ciuium Teiorum tributa ante tempora legitima soluerint, si quid ciuitati sumptibus extraordinariis opus esset: ut nunc non solum illi sed omnes ciues locupletes, qui sint sexcenti, e censu statim tributi loco tantam pecuniam soluant, ut quarta pars pretiorum ilico Lebediis dissolui possit.

Ut autem Lebediis simul stimulum admoueat, quo magis domos exstruere maturent, ut qui primi materiam coemerint, ita primis pretia solui rex iubet.

§ 14.

Ut quarta pars pretiorum Lebediis statim soluatur, priore paragrapho statuitur. Cetera unde procuranda essent, indidem nimirum unde illa, dici opus non erat; hoc autem praetermitti uix poterat, intra quod tempus ceterae tres partes soluerentur. Qua re cum Waddingtono fere in initio huius paragraphi suppleui: *τῶν δὲ τιμῶν ἔτους διεστῶτος πασῶν συνταοσομένων.* *ἔτους* scripsi, ne lacunam relinquerem, quamquam quid in lapide fuerit, diiudicari non potest. In uno nimirum offendimur, hanc rem genetiuo absoluto ad ea quae sequuntur adnexam esse, quibuscum minus arte cohaeret. Cui tamen difficultati mederi nescio.

Secundo loco de legatis mittendis, et de eis qui aestimatores domorum Lebediarum et de eis qui leges e Coorum ciuitate arcessituri essent, Teii et Lebedii apud regem uerba

---

γεγένηται, οὔτε ἡ ὑμετέρα οὔτε ἡ Μιτυληναίων, ἀλλὰ καὶ χορηγίας ἐχορήγει καὶ τέλη κατετίθει, ubi de tributis potius quam de uectigalibus portitori solutis uocem accipias, siquidem etiam in Dinarchi or. 2 (p. 107) § 17 uerba *εἰ τὰ τέλη τελεῖ* diserte respondent his quae paullo post leguntur in § 18: *τῶν δ' ἄλλων Ἀθηναίων εἰσφερόντων ἐκ τῶν ἰδίων, οὗτος οὐδὲ τῶν δημοσίων καὶ ὧν ὤφλε τὸ ἀργύριον ἅπαν ἐκτέτικεν.* Cf. Aristot. Polit. 5, 11: *ἡ εἰσφορὰ τῶν τελῶν.* Etiam Pollux (9, 31) ad uerbum *τέλος* inter alia adscripsit *εἰσενεγκεῖν.*

fecisse uidentur. Eorum alteros rex priore edicto iusserat tribus diebus Coum proficisci (v. 62 sq.). Itaque cum eo tempore quo hoc alterum edictum editum est, i. e. aliquot mensibus post, profecti nondum essent, etiam huius morae causam fuisse, quod inter Teios et Lebedios aliquid non conuenisset, conieceris, quamquam quid hoc fuerit, ex Antigoni uerbis effici non potest.

Iubet enim legatos illos, et quos ad aestimatores et quos ad leges arcessendas mitti oportebat, eligi ubi primum leges pristinae abrogatae sint. Hoc modo uidetur explicanda esse *ἀποψήφισις* illa, quae quid sibi uelit minime primo aspectu apparet, cum in priore edicto de ea uerba facta non sint. Nam *ἀποψηφίζειν* est suffragiis abrogare. Cum autem haec abrogatio cum legatis mittendis artissime coniungatur, ac uix cogitari possit, quo modo cohaereat cum aestimatoribus domorum arcessendis, apparet ad leges eam referendam esse. Itaque priusquam leges Coae arcesserentur, pristinas leges Teiorum abrogandas fuisse iudico. Quod autem suffragia de ea re ferebantur, dicis causa potius factum esse uidetur, cum Antigonus dubitationem nullam relinquat, utrum leges Coae arcessantur necne.

Sin quaeras cur haec abrogatio coniungatur cum legatis qui ad aestimatores arcessendos mittuntur, eius rei explicationem nullam uideo, nisi etiam aestimatores e Coorum ciuitate eligendi erant, quapropter utraque legatio ut una proficiscatur statuitur (cf. p. 19).

Denique ut statim eligantur uiri qui domos Lebediis secundum § 2 dandas quindecim diebus dinumerent, praecipitur. Quae res uidetur ita efficienda fuisse, ut una quaeque tribus parem domorum numerum Lebediis concederet: itaque si recte Waddingtonus uersum 126 restituit, uiri illi a singulis tribubus eligentur.

Hoc titulo optime illustrantur iuris et usus rationes quae intercedebant inter ciuitates Graecas et reges Asiae, praecipue Antigonum. Qui non regni solum Alexandri hereditatem sibi uindicabat, sed etiam quam ille in tractandis rebus publicis rationem secutus erat, eam diligentissime imitabatur, et maxime quidem quod ad ciuitates Graecas pertinebat. Alexander enim postquam Asia minore potitus est, ducis summi Graecorum ad bellum Persicum gerendum electi partes satis obseruauit, cum ciuitates Graecas sociorum liberorum et immunium nomine condonaret. Quae libertas nimirum qualis fuerit, unus quisque uidet. Neque enim fierentne socii regis Graecis permissum erat, neque Alexander ipse a domesticis ciuitatium rebus manus abstinebat: exsules enim suo arbitrio reduxit, quae res ansam etiam grauius se illis interponendi ei praebuit[1]. — Nec secus Antigonum Graecorum liberatoris nomen diligentissime iactasse, quo blandimento eos deuinciret et rebus suis adiungeret, cum aliunde constat, tum huius tituli § 10 illustratur. Quo modo autem intèllegendum fuerit illud nomen speciosum, ex hoc titulo certius quam ex ullo alio fonte apparet.

Tributum quidem ciuitates Graecae Antigono non magis quam Alexandro tulisse uidentur (cf. p. 43) — nisi forte uectigalia in portubus earum exercebat (cf. p. 46) — quod idem fortasse Alexander fecerat. Quod quamquam ex hoc titulo non certo efficitur, quomodo res domesticas earum curauerit, iuris dictionem (§ 6. 7), rerum publicarum constitutiones et leges (§ 8), administrationem (§ 9. 11), res pecuniarias (§ 4. 10) et sacras (§ 1), singulis eius partibus docemur.

Quarum omnium grauissima res certe synoecismus ipse est, quo e duabus ciuitatibus, institutis earum fere omnibus sublatis, nouam ciuitatem suis auspiciis condidit. Neque in Teo et Lebedo solum hoc consilio usus est. Quamquam enim non tam frequens est memoria urbium quarum isto modo condendarum uel instaurandarum Antigonus per breue illud quo regnauit tempus auctor fuerit[2], quam a Seleucidis

[1] Cf. CIG 2166,23. 2671,44 sq.
[2] Cf. Droysen, Hellenism. III 2 p. 254 sqq.

et Ptolemaeis per longa dominationis saecula conditarum, tamen hac quoque in re Antigonus consulto Alexandri uestigia pressit.

Alexander enim ut Asiam superiorem oppidis munitis obseuerat et coercuerat, ita etiam ciuitates Graecas in Asia minore condere coeperat quae ipsi omnia deberent, ipsius nutui parerent, ipsius res fulcirent. Hoc certe consilium sectatus Iliensium res quam maxime augere instituit, uico qui antea fuerat, ciuitatis liberae ac foederatae iure donato et communi concilio ciuitatium Troadis cum panegyri Mineruae Iliadis constituto[1]. Atque huius concilii ciuitatiumque priuilegia Antigonus postea confirmasse uidetur[2]. Absoluta autem res quam Alexander incohauerat, a Lysimacho est, qui ciuitates uicinas synoecismo cum Iliensibus coniunxit. Lysimachus enim ipse ualde huic rerum gerendarum parti studebat[3], qui qua ratione in hac re usus est, ea etiam nostrum titulum aliquid lucis accipere opinor, cum ex hac ipsa diserte appareat, quo praecipue consilio omnia haec regum studia suscepta sint: nimirum ut terris suis ciuitates illas tamquam praesidia firma imponerent.

Etenim Lysimachus cum ora Asiae potiretur, synoecismos ab Antigono institutos partim sustulit; aliis in eorum locum substitutis, partim ita ampliauit, ut funditus permutatas ciuitates a conditoris partibus ad suas transduceret. Quod non fecisset, nisi Antigoni auctoritatem hoc modo infringi posse sperasset. In illarum numero erat Teos, in harum Smyrna, Alexandria-Troas, Antigonia-Nicaea. Nulla igitur urbe ab Antigono condita earum quae in potestatem suam peruenerunt, Lysimachus abstinuit. Praeter has quas com-

---

[1] Boeckh in lemmate CIG 3595 (II p. 878). Cf. Strabo XIII 593 et titulus Iliacus Dittenb. Syll. 125 cum Droyseni adnotationibus III 2, 386 sq. CIG 3597. 3601—3604. v. etiam Arrian. Anab. I 11, 7. — Errare autem mihi uidetur Dittenbergerus, qui hanc rem in dubitationem uocare conatus est contra luculentissimum Strabonis testimonium (in adnotatione ad Syll. Inscr. Gr. 81). Nam quos ille attulit Xenophontis locum (Hell. III 1, 16) et titulum Iliacum (Syll. 81), ex eis comparato Strabonis loco citato, uindicasse sibi Ilienses ciuitatis iura etiam medio IV fere saeculo, neque tamen obtinuisse colligam.

[2] Cf. eiusdem tituli (Dittenb. Syll. 125) v. 9. 25.

[3] Cf. Kuhn, Enstehung d. St. p. 335—359.

memoraui, Antigonum ad Orontem magnam urbem condidisse eique suum nomen imposuisse nemo nescit. Quae ad nostrum propositum minus pertinet, cum non synoecismo, sed colonis deductis eam ortam esse constet[1]. Quam urbem a Seleuco eodem consilio quod in Asia minore Lysimachus secutus est, dirutam et incolis priuatam esse, certioribus testimoniis fulcitur, quam ut cum Droyseno addubitare liceat[2]. Quod enim Dio ultimo a. Chr. saeculo illo loco oppidum fuisse commemorat, exiguae hae atque miserae reliquiae magnificae eius quam Antigonus condidit urbis facto illi minime repugnant.

Diodorus situm eius urbis ad rem militarem aptissimum fuisse demonstrat. Certe locus ille etiam mercaturae bene fauebat. Quas rationes Antigonum secutum esse etiam in ea Antigonia quae postea Alexandria Troas erat, condenda, probari potest. Haud longe enim ab Hellesponti exitu sita, prope Asiae et Europae confinium, his condicionibus et ipsa efflorescere poterat et conditoris rebus Thraciam uersus firmo munimento esse. Atque hanc urbem synoecismo conductis incolis conditam esse quos Antigonus sedes et ciuitates separatas relinquere coegerit, certissimis testimoniis constat. In oppidorum illo modo sublatorum numero certe Cebrene et Scepsis erant (Strabo XIII p. 597). Quae praeter has enumerantur, Larisa, Chrysa, Hamaxitus, Colonae, Neandria (ib. p. 604), num ab Antigono an a Lysimacho cum noua urbe coniunctae sint, nescimus. Hic Scepsiis, ut in sedes suas reuerterentur, permisit (p. 597. 607)[3]; quibus dimissis alios eum in synoecismum adhibuisse ueri simile est. Urbis nomen mutauit (p. 593), quo facilius memoria pristini conditoris exstincta, suis rebus ciuitas adiungeretur. Nam quod heroicis honoribus conditores in ciuitatibus Graecis colebantur, haud spernendum certe uinculum erat quo fidei regibus seruandae Graeci admonerentur.

Simili modo Lysimachus aliam Antigoniam tractauit, cui et ipsi nomen nouum induit: Nicaeae scilicet in Bithynia

[1] Cf. Malal. VIII p. 201 a Droyseno citatum III 2, 292.

[2] Droysen l. c. cf. locos ab ipso adlatos Diod. XX 47, 5. Malal. l. c. Cass. Dio. XL 29. Wesseling ad Diod. l. c.

[3] Cf. titulum Iliacum Dittenb. Syll. 158 v. 23—25 cum adnotatione.

sitae. Nomine huius urbis mutato etiam alia mutata esse, quamquam testes non exstant, conicere licet. Hanc quoque Antigonus condiderat[1], oppiduli loco, Graeci opinor, quippe cui Olbiae nomen esset. Quod utrum synoecismo an colonia deducta factum sit, non apparet. Certe haec urbs arte Hippodamea exstructa erat, ut Strabo testatur (XII p. 565.) Qua de urbe fortasse intellegenda sunt quae Stephanus Byz. s. v. *Ἀντιγόνεια* adfert: *τετάρτη Βιθυνίας πρὸς τῷ Δασκυλίῳ.*

Castellum cui idem erat nomen in Cyzicenorum finibus situm ad nos non attinet[2]. Memoria autem dignum est, etiam Smyrnam ab Antigono denuo conditam esse. Hanc circa annum a. C. 600 Alyattes rex Lydiae captam — ut refert Herodotus I 16 — diruisse uidetur: facere enim uix possumus, quin ad illam rem ab Herodoto traditam referamus quod Strabo narrat XIV 646: *Λυδῶν κατασπασάντων τὴν Σμύρναν περὶ τετρακόσια ἔτη διετέλησεν οἰκουμένη κωμηδόν. εἶτα ἀνήγειρεν αὐτὴν Ἀντίγονος καὶ μετὰ ταῦτα Λυσίμαχος.* Centum quidem annis in computandis his temporibus Strabo errauit (nisi pro Y scribendum T[3]). Certe ex uerbis illis colligimus synoecismo hic Antigonum usum esse. Cum enim antea neque moenia neque ciuitatis iura Smyrnaei haberent, sed per uicos dispersi habitarent, ciuitatem Antigonus constituit, urbem denuo exstruxit, Hippodameo genere.

Atque facile cognoscimus, quare hunc potissimum locum Antigonus elegerit. Sita enim est Smyrna fere in exitu uallis Hermi, portuque insignis qui paeninsula praetenta a uentis tutus est. Hac condicione ad mercaturam satis apta est, qua etiam nunc eam florere constat. Atque quam recto iudicio Antigonus usus sit, cum speraret fore ut haec ciuitas celeriter efflorescerct et auctoritatem firmitatemque nancisceretur, inde apparet, quod uix dimidio saeculo post Seleucidarum dominationi firmissimo munimento erat, quo tempore

[1] Cf. R. Rochette, Hist. crit. des colonies Grecques IV 124.

[2] Droysen l. c. p. 260.

[3] Cf. R. Rochette, Hist. des colonies grecques IV 121. Qui quod quorundam fabellas Alexandrum Smyrnam restituisse tradentium respuit, optimo iure fecisse mihi videtur. Brandis, Münzwesen p. 330. Mylonas, De Smyrnaeorum rebus gestis. Gotting. 1866 p. 26 adn. 2; p. 30 sq.

non multum aberat, quin illa dominatio tota exstingueretur eis bellis quae Seleucus II cum Ptolemaeo Euergeta simul atque cum domesticis hostibus gerebat [1]. Huius urbis synoecismum, quem non minus quam Teiorum et Lebediorum Antigonus imperfectum reliquisse uidetur, Lysimachus excepit. Nam huius loci condicio aptior erat, quam ut synoecismum hunc quoque sicut Teium tolleret. Itaque laboris quem aduersarius incohauerat, fructum sibi uindicare malebat.

Quam ob rem cum Teiis aliter egerit, iam quaeramus. Dubium enim non est, quin Lysimachus prohibuerit, quominus hoc quod in manibus est, consilium Antigoni perficeretur. (v. p. 17 sq.). Atque in huius locum aliud substituit. Nam Lebediorum urbem nihilo secius sustulit, itemque Colophoniorum, utrosque Ephesum traduxit [2]. Nouae enim ciuitates quaecumque condebantur, fore ut eius rebus maxime fauerent, spes aliqua esse uidebatur, a quo conditae et ad conditoris commoda institutae essent. Qua re Lysimachi non intererat Teiorum ciuitatem Antigoni consilio augeri, nisi sicut Smyrnam, Alexandriam, Nicaeam, eam immutaret. Cui tamen rei aliam praetulit.

Ephesus enim urbs non solum ad dominationem maritimam obtinendam prae aliis opportuna uidebatur: quapropter hic classem Antigonus constituisse atque hanc potissimum ciuitatium Graecarum orae Asiae occidentalis praesidio, cui obsides Rhodios tradiderat, firmesse uidetur, ita ut nisi obsidione Prepelaus eam occupare non posset [3]. Quam ob rem hanc primam Demetrius autumno anni 302 recuperare studuit, atque huc post cladem Ipsensem confugit. Sed etiam Ephesiorum populum in eorum numero fuisse qui maxime omnium Demetrio fauerent, efficitur e titulis nonnullis Ephesi a Woodio inuentis, quorum hos adferam: a) Inscr. from the T. of Diana n. 8, quo gratulantur Ephesii Antigono et Demetrio, uictoria ut uidetur apud Cyprum nuperrime parta (306), et sollemnia quaedam ideo instituunt. b) ibidem n. 25 = Hicks, Gr. Hist. Inscr. 150, qui sagacissime ad res a Diodoro XX 107

[1] V. infra partem II.
[2] Paus. I 9, 7. VII 3, 4 sq.
[3] Diodor. XX 107, 4.

narratas hunc titulum pertinere coniecit. c) ibidem n. 7 = Hicks, Gr. Hist. Inscr. 151. Quo in titulo Demetrius et Seleucus reges cum ad ceteros Graecos tum ad Ephesios legatum misisse dicuntur, qui propter beneficia et regi et populo oblata ab Ephesiis ciuitate donatur. Quapropter ad annum 299 hunc titulum Hicksius sollerter rettulit, quo tempore Demetrius et Seleucus una in Syria degentes familiaritate utebantur. Neque dubito quin hic titulus re uera illo tempore scriptus sit, cum aliud tempus quo Demetrius et Seleucus una legatos ad Graecas ciuitates miserint, reperiri uix possit. Nam de eo tempore quo Demetrius captiuus apud Seleucum degebat (286—283 a. C.), cogitandum non uidetur. Quae cum ita essent, Ephesiorum ciuitatem, prae aliis Demetrio obnoxiam, Lysimachi maxime intererat funditus de nouo constituere et hoc modo suis rebus adnectere. Atque ad hanc potissimum rem perficiendam ea suscepta esse mihi uidentur quae Lysimachus de illa ciuitate facienda instituit.

Quibus de rebus quamquam saepius a uiris doctis disputatum est, facere non possum, quin hic aliqua repetam. Atque recte quidem pleraque de eis iudicasse uidetur E. Guhlius (in Ephesiacis. Berol. 1843. p. 58—61). — Deinde E. Curtius in Actis Acad. Reg. Berol. 1872. p. 1 sqq. (Beitraege zur Geschichte und Topographie Kleinasiens) praeter ea quae de aedibus sacris et profanis — sine dubio de Ephesiorum rebus cognoscendis insigniter meritus — docuit, sententiam dixit (p. 26. cf. p. 16 sq.), magistratibus ciuitatis potestatem rerum gerendarum, a Croeso olim ereptam, a Lysimacho demum plane restitutam esse. Interim his annis trecentis sacerdotes Dianae res ciuitatis fere solos moderatos esse. Vel cum Smyrnaeorum fortuna, qui per tot saecula in uicis habitantes omni uita ciuili carebant, Ephesiorum res comparat uir doctissimus. Atqui eius rei in fontibus ne minimam quidem significationem ut deprehenderem mihi contigit. Immo etiam Croesum Ephesiis libertatem concessisse, et Aelianus et Polyaenus eis quos Curtius citauit locis diserte testantur[1].

[1] Aelian. V. H. III 26: *τοῖς μὲν Ἐφεσίοις συγχωρῆσαι · τὴν μετ᾽ ἐλευθερίας ἀσφάλειαν.* Polyaen. VI 50: *καὶ πρὸς τοὺς Ἐφεσίους ἐπὶ ἐλευθερίᾳ συνθήκας ἐποιήσατο.*

Mihi quidem Lysimachus prorsus aliter cum Ephesiis egisse uidetur. Nam quin non solum sedes, sed etiam rem publicam Ephesiorum immutauerit, dubitari non potest. Qua re illustratur, quam arte, ut supra significaui, ciuitatium synoecismi cum commodis regum, ciuitatium, partium ciuilium persequendis coniuncti esse soleant. Cum enim popularium potissimum potestatem, cum Demetrii rebus intime coniunctorum, quam maxime diminuere uellet, noua collegia instituit[1], ex optimatibus nimirum, *γερουσίαν* scilicet et *ἐπικλήτους*, quibus summas ciuitatis res moderandas tradidit[2]. Atque immutasse Lysimachum anno 302 Ephesiorum rem publicam etiam Droysenus (II 2, 211) et Guhlius (p. 58 adn. 23) perspexerunt. Collegia autem illa de quibus Strabo certiores nos facit, huc referenda esse, luculenter apparet e titulo quodam Woodiano (Inscr. from the temple of Diana n. 19 = Dittenb. Syll. 134), in quo senatus populusque (*βουλὴ καὶ δῆμος*) Ephesiorum ex auctoritate *τῆς γερουσίας καὶ τῶν ἐπικλήτων* Euphronium quendam laudant, quod legatis a *γερουσίᾳ* et *ἐπικλήτοις* ad Prepelaum missis officia quaedam praestiterit. Hoc igitur decretum factum est eo tempore quo Prepelaus Lysimachi nomine in Ionia imperitabat, quem uere anni 302 eo missum esse constat[3]. Itaque cum omnium titulorum Ephesiorum, quotquot mihi innotuerunt, in hoc solo *γερουσία* una cum

[1] Strabo XIV p. 640: *ἦν δὲ γερουσία καταγραφομένη, τούτοις δὲ συνῄεσαν οἱ ἐπίκλητοι καλούμενοι καὶ διῴκουν πάντα.*

[2] Hoc modo cum merito omnes fere homines docti eum locum interpretati essent, frustra oblocutus est Dittenbergerus, qui ad titulum Syll. 134 (p. 216) haec adnotauit: „ex hoc titulo apparet falli Droysenum Hell. III 1, 33 (immo II 2, 294) et Guhlium Ephes. p. 60, qui hos magistratus a Lysimacho demum institutos existimant. Neque id Strabo dicit.“ Neque enim quo modo ex eo titulo hoc appareat, Dittenbergerus exposuit, et Strabonis arti scribendi parum fidei habeas, si credas temere eum narrationi synoecismi Lysimachei hanc rem adscruisse, nisi quodam modo cum synoecismo instituendo eam coniunctam fuisse sibi persuasisset.

[3] Diod. XX 107. Neque enim ad annum a. C. 314 hunc titulum referendũm esse, quo anno Prepelaus a Cassandro in Cariam missus est (Diod. XIX 68, 5) ex eis quae modo exposui intellegitur. cf. Droysen Hell. II 2, 202 adn.

ἐπικλήτοις occurrat[1], dubium, opinor, esse amplius non potest, quae fuerint illa instituta quae Demetrium autumno anni 302, cum urbe potiretur, sustulisse legimus apud Diodorum XX 111.

Ceterum ex eodem titulo apparet, praeter haec noua collegia senatum quoque (βουλήν) et comitia nihilo minus in ciuitate a Lysimacho instituta fuisse, ita tamen ut de rebus gerendis antequam ad senatum et populum ferrentur, γερουσία cum epicletis auctores fierent. Item res externas haec collegia moderabantur, quippe quae dicantur legatos ad Prepelaum misisse.

Iure autem dubites, num anno 302 etiam Lebedios et Colophonios Ephesum Lysimachus traduxerit, quamquam non leue e quo id efficias, argumentum praebere uidetur titulus ille anno 299 oriundus (Hicks 151), in quo legimus: [ἔλαχε] φυλὴν Ἐφεσεύς, χιλιαστὺν Λεβέδιος.

Et profecto, si haec Lebediorum χιλιαστύς cum illo Lysimacheo synoecismo coniungenda uideatur, facere non possimus, quin aestate anni 302 illum Lebedios Ephesum traduxisse iudicemus. Nam inde ab autumno eiusdem anni ciuitas Ephesiorum in Demetrii potestate erat, quocum a. 299 societate coniunctam eam in ipso eo de quo dixi titulo deprehendimus, et cui usque ad annum 295 eam paruisse, Droysenus (II 2, 258) effecit e Plutarchi Demetr. 35.

Concedendum tamen est posse huius χιλιαστύος nomen aliter explicari, cum etiam Teiorum et Carenensium tribus Ephesi fuerint. Quos a Teiis et Carenensibus ciuibus qui olim Ephesum transmigrassent, ortum duxisse Ephorus tradidit[2]. Praeterea si recte C. Curtius[3] coniecit Lysimachum

[1] Ea enim γερουσία quae aetate imperatorum Romanorum Ephesi erat (Wood, Disc. at Eph. Inscr. from the Gr. Theatre 1 col. 3 v. 28 sq. col. 6 v. 82; 4 v. 6. 8; 17 v. 13; 18 v. 3. cf. 1 col. 5 v. 72. Le Bas, Asie min. 141. C. Curtius, Hermes IV p. 178 n. 1 v. 4. 13; p. 198 n. 11 v. 7. 10; p. 207 n. 15 v. 2; p. 209 n. 18. v. 14; p. 215 n. 29 v. 5. 7), ad hanc rem non adtinet. Cf. de eo collegio C. Curtius l. c. p. 223 sq. E. Hatch, Organization of the Early Christian Churches p. 65 n. 25—27.

[2] Apud Steph. Byz. s. v. Βέννα. Cf. Wood l. c. temple of Diana p. 42.

[3] Herm. IV p. 221 cf. tit. 35 p. 218.

tribuum numerum auxisse, Lebedii uix *χιλιαστύος* loco *Ἐφεσέων* tribui adtributi fuerint.

Accedit quod ueri simillimum uidetur, illum Lebediorum et Colophoniorum synoecismum cum ipsius Ephesi urbis transpositione coniunctum fuisse, de qua et Strabo et alii[1] certiores nos faciunt. Nam id quod Tei Antigonum facere uoluisse supra conieci (p. 39 sq.), ut urbem e loco demisso et palustri ad elatiorem et salubriorem collocaret, id Ephesi Lysimachum perfecisse constat. Quamuis enim inuitis ciuibus e pristinis sedibus traductis, ad Pionem et Coressum montes urbem denuo exstruxit, et muro muniuit, cuius reliquiae adhuc exstant. Atque de aedificiis quae illi tempori a uiris doctis adtribuuntur[2], hic non locus est disputandi. Certe etiam huius urbis nomen Lysimachus mutauit: ciuitatem enim a se ex Ephesiis, Lebediis, Colophoniis conscriptam Arsinoen e coniugis nomine appellauit. Quam Arsinoen cum anno fere 299 Lysimachus in matrimonium duxerit (Plut. Demetr. 31), non ante annum 295, quo fere ciuitatem rursus in potestatem redegit, hunc synoecismum instituisse uidetur. Atque ne tum quidem statim sed aliquanto tempore interiecto, fortasse post annum 287, hoc factum esse, quamquam non ex eo argumento quod E. Rohde[3] attulit, tamen e nummis quibusdam a Droyseno (II 2, 258) citatis atque e decreto quodam concilii Ionum (Dittenb. Syll. 137) conicere licet, cui praescriptum est: *ἔδοξε Ἰώνων τῶι κοινῶι τῶν τρε[ισκαί]δεκα πόλεων.* Hoc igitur decretum, quod certe Lysimachi temporibus neque tamen ante annum 295 factum est, Lebedi et Colophonis destructione antiquius esse uidetur. Nam uiuo Lysimacho has urbes restitutas non esse inde coniciam, quod Arsinoes nomen post regis mortem demum pristino Ephesi nomini cessisse Stephanus significat.

Ceterum hoc synoecismo certe Lebedii et Colophonii omnes Ephesii facti, ager eorum Ephesio adscriptus est, quem

---

[1] Strabo XIV p. 640. Steph. Byz. s. v. *Ἔφεσος*. Eustath. ad Dionys. Perieg. 828 (Müller, Geogr. Gr. min. II p. 363), ubi recte iam cum codd. *γυναικός* pro *θυγατρός* legitur.

[2] Cf. praeter Woodium et E. Curtium (l. c.) Guhl p. 177 sqq.

[3] Der griechische Roman p. 76 adn.

[1] Cf: Tacit. Ann. III 60--62. IV 14. Le Bas, Asie min. 60—85. Usener Rh. Mus. 29 p. 38 sq. cum appendice VI (p. 50). Eckhel IV 306 sqq. Aradiis et ipsum Seleucum eadem de causa atque Smyrnaeis ius asyli praestitisse ea condicione, ne quem qui aulam regiam fugiens eo iure usus esset, inuito rege urbe excedere paterentur, Strabo XVI 754 testatur, idemque commoda quae inde ciuitati orta sint, exponit. Postea Antiochus III Teiorum uoluntatem sibi comparauit eo, quod a Cretensibus et Aetolis imprimis ius asyli eis confirmandum curabat, nimirum cum illi praecipue maritimis latrociniis non abstinere solerent. — Atque quanti illud ius ciuitates fecerint, praeter Taciti locos citatos, et Teiorum legationes ad minimas ipsas ciuitates missas, nummi ostendunt, in quibus ius asyli significabant. Ut enim Teii Bacchi (Eckhel II p. 563), ita Smyrnaei Veneris Stratonicidis imaginem, asyli patronae, nummis impressisse uidentur. Hanc enim esse iudico figuram illam muliebrem quae in nummis Smyrnaeis saepissime occurrit, stantem, inter-

Smyrnaei igitur socii liberi regis erant: non eadem Magnetum condicio, quamquam et ipsi sociorum nomine utebantur: v. 19. 37. De qua ut certius aliquid efficiamus, accurata huius tituli interpretatione opus est.

Qui enim in eo saepissime commemorantur *οἱ ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι*, de eis Boeckhius ad v. 14 haec adnotauit: „Duo tantum genera hominum qui Magnesiae sint, distinguuntur, alteri *οἱ κάτοικοι*, alteri *οἱ ὕπαιθροι ἱππεῖς καὶ στρατιῶται*: illi sunt quicunque firmam Magnesiae sedem habent, „hi castrenses apud Magnesiam in statiuis degentes, ut *τὰ ὕπαιθρα* Polybiano usu castra fere significat, distincta ab „urbibus arcibusque. Eodem modo v. 21 *κάτοικοι* et *ὕπαιθροι* „simpliciter distinguuntur. Sed posthac v. 35 *κάτοικοι* generale est, iique *κάτοικοι* diuiduntur in tria genera, *τοὺς κατὰ πόλιν ἱππεῖς καὶ πεζούς, τοὺς ἐν τοῖς ὑπαίθροις* (scilicet *ἱππεῖς καὶ πεζούς*) et *τοὺς ἄλλους οἰκητάς* (ciuiles non militares). Sic etiam „vs. 43—45 distinguitur, quamquam ibi ita dictum uidetur, quasi „soli pedites et equites qui in urbe et castris essent, uocarentur „*κάτοικοι*, non etiam ciuiles incolae: sed hoc tamen tantum per „neglegentiam aliquam accidisse iudico." Atque paullo post addit: v. 49 „omnes milites, etiam castrenses, comprehenduntur „*τοῖς (ἐκεῖ) κατοίκοις*, et oppositi sunt *οἱ ἄλλοι οἰκηταί*, qui tamen „et ipsi *κάτοικοι*." Itidem quod v. 47 legitur *οἱ ἀποδειχθέντες ὑπὸ τῶν ἐμ Μαγνησίαι κατοίκων ἄνδρες*, omissum esse *ἄλλων* censuit, uocem *κάτοικοι* interpretatus de incolis ciuilibus, ut v. 84 de omnibus Magnesiam habitantibus. Atque de uersibus 59 sq., 71 sq., quin etiam de 73 sq. non secus ac de 35 sq. iudicauit:

---

dum columnae innixam, uelatam, tum tutulo tum calatho siue modio ornatam, sinistra Victoriolam, dextra sceptrum interdum tenentem, ad cuius pedes auicula est, nimirum columba. Neque quod Mionnetus (Descr III. p. 218 sq. Suppl. VI p. 328) Astarten eam dicit, huic opinioni repugnare uidetur. Columba autem ut Veneri ei adtributa est, eandemque modio non raro ornatam esse Prellerus docet (Gr. Mythol. I[3] 305). Tutulus uel diadema sceptrumque reginam notant. Victoriola nomen Stratonices significat. Quamquam columna quid sibi uelit nescio. — Praeter autonomos in Augusti et Tiberii nummis ea inuenitur: cf. Taciti l. c. Descripsit Eckhel II p. 537. 539. 546. 548. Mionnet, Descript. III p. 189 sq. n. 909. 1056—1091. 1215 sq. 1221. 1225. Suppl. VI p. 301 sqq. n. 1515. 1517 —1545. 1625 sq. 1629 sq. Planche V n. 3.

v. 92 autem ita interpretatus est, ut distingueret *τοὺς κατοίκους καὶ ὑπαίθρους ἱππεῖς, τοὺς πεζούς* (tam *κατοίκους* quam *ὑπαίθρους*), denique *τοὺς ἄλλους*.

In his partem tantum ueri uidisse uirum doctissimum iudico, atque antequam tantam dicendi neglegentiam quantam Boeckhius in sollemni actorum publicorum sermone statuamus, uidendum, nonne accuratiore interpretatione uerborum usum sibi ipsi conciliare possimus. Nam v. 73 sq. diserte habes primum *τοὺς ἐμ Μαγνησίαι κατοίκους*, qui diiuiduntur in *τοὺς κατὰ πόλιν* et *τοὺς ὑπαίθρους*: deinde *τοὺς ἄλλους* (*τοὺς οἰκοῦντας ἐμ Μαγνησίαι*): qui si et ipsi *κάτοικοι* essent, comprehenderentur in eorum numero qui dicuntur *οἱ κατὰ πόλιν*. Item v. 43 sq. diserte distinguuntur *οἱ κάτοικοι — ὁμοίως δὲ οἱ ἄλλοι οἱ οἰκοῦντες ἐμ Μαγνησίαι*: item v. 49 sq. *τῶν ὄντων παρ' αὐτοῖς κατοίκων — τῶν ἄλλων οἰκητῶν*: qui quomodo inter se diuersi sint, manifestum est: alteri milites sunt, alteri ciuiles incolae: v. 45—47 *τοὺς μὲγ καταλοχισμοὺς τῶν ἱππέων τε καὶ πεζῶν — τῶν δὲ ἄλλων οἰκητῶν τὴν γραφήν*. Indeque apparet etiam uersibus 35, 36, 59 sq., 71 sq. non tria genera *κατοίκων* distingui, sed duo, *τοὺς κατὰ πόλιν* et *τοὺς ὑπαίθρους* milites, et intellegendum esse: *οἱ ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι — καὶ οἱ ἄλλοι οἰκηταί*. Hi enim a *κατοίκοις* distinguuntur. Itaque etiam v. 47 et v. 84 qui dicuntur *κάτοικοι*, milites sunt, neque de uersu 101 aliud quicquam quam de ceteris omnibus statuamus.

Atque ad uersus 14, 21, 92 mox reuertar. Certe quales sint illi milites *κάτοικοι*, dubitare non possumus: coloni sunt militares. Nam *κατοικεῖν* primum quidem [1] est habitare, consistere aliquo loco, sedem stabilem habere: tum domum uel agros possidere [2]. Inde *κατοικία* a Strabone de habita-

[1] Quapropter inquilini Ephesi habitantes *οἱ κάτοικοι* dicebantur: ei distinguuntur a ciuibus (Wood, Disc. at Eph. temple of Diana n. 8 *στεφανηφορεῖν Ἐφεσίους καὶ τοὺς κατοίκους*); et qui sint illi *κάτοικοι*, deprehendes in titulo Ephesio Dittenb. Syll. 253, v. 25 et 44: *τοῖς πολείταις καὶ τοῖς κατοικοῦσιν τήν τε πόλιν καὶ τὴν χώραν*, qui enumerantur v. 44: *τοὺς ἰσοτελεῖς καὶ παροίκους καὶ ἱεροὺς καὶ ἐξελευθέρους καὶ ξένους*. Item inquilini dicuntur *Ἐχεδαμιεῖς ἐν Τειθρωνι κατοικέοντες*: Wescher et Foucart 318. Cf. CIG 3046 = Le Bas, Asie min. 85. Polyb. XVIII 10 (17, 10 Bk) § 10. Dittenb. Syll. 119; 135. CIG 4957 v. 33. al.

[2] Polyb. IV 37, 8. V 45, 2. 77, 1. X 48, 1. S. C. Thisbaeum Dittenb. Syll. 226 v. 29 sq. Strabo III 148. Diod. IV 74; XI 65; XIX 68.

tionibus usurpatur, siue urbes sint, siue uici[1]. *Κατοικίζειν* est sedes dare, coloniam deducere, *κατοικισμός* agrorum assignatio, coloniae conditio[2]. Itaque *κατοικίας πόλεων* Plutarchus colonias dixit[3], similiter cleruchos e. g. Phylarchus (ap. Athen. VI p. 254 extr.) *τοὺς ἐν Λήμνῳ κατοικοῦντας Ἀθηναίων*. Sollemniter autem sermone militari successorum Alexandri *κάτοικοι* coloni militares appellati esse uidentur, *κατοικίαι* coloniae militum, unde Plutarchus et Appianus ad Caesarum et Antonii colonias ueteranorum significandas hanc uocem adoptauerunt[4]. Cuius sollemnis sermonis praeter nostrum titulum testimonia habes[5] Polybii V 65, 10, ubi exercitus Aegyptii partes enumerantur: *συνήχθη δὲ καὶ Θρᾳκῶν καὶ Γαλατῶν πλῆθος, ἐκ μὲν τῶν κατοίκων καὶ τῶν ἐπιγόνων εἰς τετρακισχιλίους, οἱ δὲ προσφάτως ἐπισυναχθέντες ἦσαν εἰς δισχιλίους*. 78, 5: Attalus Gallis mercennariis suis *ἐπηγγείλατο κατὰ μὲν τὸ παρὸν ἀποκαταστήσειν αὐτοὺς πρὸς τὴν διάβασιν καὶ τόπον δώσειν εὐφυῆ πρὸς κατοικίαν*.

Quibus locis comparatis non amplius dubitabis opinor statuere *κατοίκους* qui cum Smyrnaeis paciscuntur, colonos militares fuisse. Quorum alteri, ut recte Boeckhius monet, Magnesiae in urbe ipsa habitabant, alteri in statiuis. Utrique enim in pacto ipso *κατοίκους* se appellant. Quod autem Smyrnaei in populi scitis eos tantum *κατοίκους* dicunt qui urbem ipsam habitabant, et ab *ὑπαίθροις* eos distinguunt (v. 14. 21.

Hicks, Gr. Hist. Inscr. 179 v. 15 sq. Plut. Rom. 1; Thes. 9. 16. 35; Solon 10. Cf. [Aristot.] Oecon. II 2, 33 (p. 1352a Bk): *καταπλεύσας εἰς τὸν Κάνωβον πρὸς τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς κτήματα ἔχοντας ἐκεῖ*, qui mox dicuntur *οἱ ἱερεῖς καὶ οἱ κάτοικοι*.

[1] III p. 143. 151. 153. 159. V 237. 249. VI 272 sq. cf. etiam XIII 624. XVI 753. Polyb. II 32, 4. V 77, 7. XXXI 2. Imperatorum aetate *κατοικίαι* sollemniter uici appellati esse uidentur in Asia: CIG 3454. Le Bas, Asie min. 1676. Mittheil. d. d. arch. Inst. z. Ath. VI 273. Wagener. Inscr. gr. rec. en Asie min. n. 1 p. 3.

[2] Diod. XIV 87, 1. Plut. Rom. 24; Pericl. 23; Timol. 20; Lucull. 19. 21; Nic. 16; Sertor. 9; Alex. 9; Caes. 29; Arat. 45; Timol. 35; C. Gracch. 10. 11.

[3] Pomp. 45. 47.

[4] Plut. Anton. 16 bis. Appian. bell. ciu. V 14. 19.

[5] Cf. etiam Strabo XIII 625: *πόλις ἐστὶν ἐν ἀριστερᾷ Θυάτειρα κατοικία Μακεδόνων*.

92), in eo non inhaerendum est, leuis enim sermonis sollemnis immutatio uidetur: quin etiam inconstantiam quandam et neglegentiam inesse Boeckhio concedam, dummodo κατοίκους milites fuisse, non ciues teneas, quippe qui in ἱππεῖς et πεζοὺς uel στρατιώτας diuisi, neque in tribus, sed in cohortes et centurias (τάγματα v. 46. καταλοχισμούς 45. 47) distributi essent.

Atque colonias militares ab Alexandro in Asia superiore, deinde ab eius successoribus in omnibus illius regni partibus plurimas conditas esse constat: quarum plerasque Droysenus collegit III 2, 187 sqq. Qualis autem illarum condicio fuerit, cum expressis uerbis a ueteribus scriptoribus traditum non sit, ex hoc ipso titulo comparatis Polybii quae citaui uerbis (V 65, 10) de ea re aliquid effici posse uidetur. Nam primum quidem e Polybio id colligam, ad militiam praestandam colonos obligatos fuisse: quos autem ille commemorat ἐπιγόνους, filios colonorum esse[1]. Qui cum eadem obligatione teneri uideantur, et militiam et agros militibus illis assignatos hereditarios fuisse censeam. — Deinde eis condicionibus quibus pactum inter Smyrnaeos et Magnetes conuenit, post fidem Seleuco denuo promittendam primo loco Magnetes obligantur, ut ea quae acceperint a rege, omni diligentia praestita seruent et regi restituant: scilicet quando primum restitui possint, cum eo ipso tempore et rex ipse procul absit, et Lydiae praefectus Alexander a rege defecerit (cf. p. 75 adn. 5). Quae autem sunt ea quae coloni a rege acceperant? An res quaelibet uel pecuniae eorum fidei commissae? At hostes regis fuerant Magnetes usque ad hoc ipsum tempus: praeterea cum ipso iure ad talia restituenda obligati fuissent, uix tam insigni loco pacti, sed in παρέργῳ potius ea commemorata esse expectabas. Atque cum Magnesia sui iuris esse desinat, Magnetes in singulas Smyrnaeorum tribus distribuantur, neque amplius suis magistratibus utantur, probabilius erat, Smyrnaeorum magistratuum fidei, sicut praesidium et claues Magnesiae ipsius, illas res traditas fuisse, si traditionem res ipsae passae essent. Itaque de nulla alia re hunc locum inter-

[1] Perperam Droysenus (De Lagidarum regno p. 24 adn. 2) κατοίκων ad Θρᾳκῶν, ἐπιγόνων ad Γαλατῶν pertinere censuit.

pretor quam de agris militibus assignatis, qui ea condicione eis commodati fuerint, ut militiam praestarent, fructus autem agrorum stipendii loco essent. Immunitate uectigalium et tributorum colonos usos esse, docemur tituli v. 100—102. Atque eisdem fere condicionibus postea imperatores Romanos in finibus imperii milites collocasse Gothofredus ad tit. cod. Theodos. de terris limitaneis (7, 15) docuit[1]: siue imperatores illi regum Macedonum exemplum consulto imitati sunt, siue casui haec similitudo debetur. Atque ut ab illis statutum est, ne unquam agri militibus assignati priuati iuris fierent, similiter hos agros colonis non in patrimonium dati, sed in dominio regis fuisse uidentur, militibus quasi feudi loco, ut Gothofredi uerbis utar, traditi. Quapropter cum Magnetes militia se abdicantes ciues Smyrnaei fiant, iura eorum in agros deficiunt: colonia enim militari sublata agri ad regem redeunt, quasi feudum uacuefactum.

Denique de equitibus et peditibus, quorum utrorumque quidam in urbe, quidam in castris habitabant, e v. 101 sq. hoc effici potest, equitibus maiora quam illis heredia assignata fuisse. — Urbani autem et castrenses aeque rerum coloniae regendarum participes erant, utrique enim una agunt cum Smyrnaeis (v. 122).

Ceterum colonorum Magnesiae solorum potestatem fuisse, ceteris incolis in regendis rebus publicis iura nulla, ne ipsos quidem in tribus uel ordines distributos fuisse, neque magistratus habuisse, ex ipso titulo apparet. Ad colonos enim Smyrnaei legatos mittunt, coloni totius Magnesiae nomine agunt, coloni pacti condiciones cum Smyrnaeis constituunt, a colonis eliguntur uiri qui ceterorum nomina ad Smyrnaeorum magistratus deferant (II § 6), coloni cippos ponunt, quibus pactum inscribatur (§ 14). Attamen pactum ipsum conuenit inter Smyrnaeos ex altera, ex altera parte *τοὺς κατοίκους καὶ τοὺς ἄλλους οἰκητάς*: ita ut hi quasi in appendice colonorum sint. Quamquam igitur ad condiciones constituendas adhibiti non erant, tamen una cum illis paciscuntur, et in pacti uerba

---

[1] II p. 398 sqq. ed. Ritter. Cf. Kuhn, Staedtische Verfassung des roem. Reichs I p. 139 cum locis ibi citatis.

una cum illis iurant, quoniam nescio qua de causa ut et ipsis ciuitas a Smyrnaeis daretur statutum est. Quae cum ita sint, neque admodum multos, neque ciues, sed inquilinos eos fuisse censeam.

Haec igitur colonia Magnetum erat, quae quo tempore et a quo rege deducta sit, nescimus. Caue enim e uerbis ὅσα παρείληφαν παρὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου (II § 2. 11), efficias a Seleuco eam conditam esse. Immo haec uerba nihil significant nisi regi illos agros deberi: neque Seleucum, qui de regni possessione inde a patris morte continuo pugnabat, ante annum 241, quo hoc pactum conuenit, colonias deduxisse probari potest.

Alia colonia, cui tertia tituli parte Smyrnaei ciuitatem dant, et ipsa militaris, Palaemagnesiae condita erat, ab Antiocho I nisi fallor[1]. Nam quod Droysenus (I 2, 291) e uersu tituli 100 sq. effecisse sibi uisus est, ab Alexandro Magno huic coloniae agros assignatos esse, eum locum iure suo aliter interpretatus est Waddingtonus (ad tit. Bargyl. Le Bas, Asie min. 87) adsentiente Dittenbergero. Veri autem parum simile est Alexandrum hoc loco coloniam militum condidisse, qui in Asia superiore quidem multas certe huius generis colonias constituit, nullas tamen, quantum scimus, in parte occidentali Asiae minoris[2], quippe quae eius temporibus tali praesidio minime egeret, cum tutissima ea possessione Alexander uteretur. Quod contra accidit successorum aetate, cum omnium fines, omnium iura, omnium spes hic inter se concurrerent. Coloniae enim illae militares accurate discernendae

---

[1] Hic enim esse uidetur ille θεὸς καὶ σωτὴρ Ἀντίοχος (v. 100); nam quod Hicksius (p. 307) et Dittenbergerus (in indice Sylloges p. 671) Antiochum II intellexerunt, dei nomine decepti sunt, e quo nihil effici potest, cum consecrati sint reges Seleucidae non solum hic illic alii, sed ad unum omnes. Apollinis autem Seruatoris nomen Antiochi I proprium est: cf. p. 82 adn. et CIG 4458.

[2] Unum enim atque solum huius generis exemplum quod Droysenus in sua Graecanicarum urbium Asiae enumeratione deprehendisse sibi uisus est, Apollonia scilicet in Phrygia sita (p. 197 sq.), in cuius nummis Alexander κτίστης appelletur (Eckhel II p. 577 sq. Mionnet, Descr. III p. 332 n. 169—171. Suppl. VI p. 469 n. 170), suo iure iam Raoul Rochette (Hist. des colonies grecques IV 122) in suspicionem uocauit.

sunt ab eis urbibus quas non solum ut regna sua firmarent, sed ad augendam Graecam urbanitatem et artes pacis promouendas reges Asiae condiderunt.

Praeterea mirabimur opinor quodam modo 1) agros illos ab Antiocho assignatos ante eos commemorari quos secundum Droysenum Alexander Magnus colonis condonauerat, immo ordinem inuersum exspectabamus: 2) deinde uiam rectam demonstrant ipsa haec uerba *περὶ οὗ Ἀλέξανδρος γεγράφηκεν*, quippe quae aliud quid significent atque „quem Antiochus eis concessit (*ἐπεχώρησεν*).“ Agri enim eius nomine appellari uidentur cuius nomen diplomati quo assignati erant, praescriptum erat. Hi igitur a rege ipso colonis adtributi erant, illos regis iussu (fortasse Antiochi II) Alexander Lydiae praefectus (v. titulum Bargyliensem supra p. 88 citatum) militibus assignauerat.

Ceterum interpretatio totius loci v. 100—102 satis dubia est. Tantum affirmari potest, fuisse in castello Palaemagnesiae praeter colonos etiam milites qui stipendia etiamtum facerent, eo autem tempore a legione segregati et ad praesidium illud missi essent. Haec enim est Timonis cohors quae dicitur *οἱ ἀποταχθέντες ἀπὸ τῆς φάλαγγος ἐπὶ τὴν φυλακὴν τοῦ χωρίου:* eademque condicione Persae sub Omane ibi collocati esse uidentur. Hi igitur neque coloni erant neque ueterani: praeterea autem colonorum ipsorum quidam *ἀκληρούχητοι* esse dicuntur, quibus Smyrnaei agros castelli finibus uicinos se assignaturos esse promittunt: qui fortasse *ἐπίγονοι* minores natu uel patrum superstitum uel coloni nescio quo modo agris priuati erant.

Colonorum igitur pars ab Antiocho I, pars ab Alexandro Lydiae praefecto heredia acceperat — ita enim, neque uero de binis herediis singulis hominibus assignatis, illos *δύο κλήρους* intellegam. Tum de tertio agro uerba fiunt, quem tenere dicuntur *οἱ πρότερον ὄντες ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι.* Quos *κατοίκους* cum Boeckhius pristinos incolas urbe ipsa expulsos atque alicubi in agris habitantes fuisse censuerit, ita sine dubio ut Smyrnaeos faceret promittentes, se incolas illos agris priuaturos et Palaemagnetibus eosdem condonaturos esse, monendum est: 1) *κατοίκους* colonos militares esse, non quoslibet in-

colas, 2) tum quod dicitur *ὑπάρχειν αὐτοῖς τοὺς τρεῖς κλήρους δωρεάν, ἐὰν προσορισθῆι τῆι πόλει τῆι ἡμετέραι ἡ χώρα ἣν ἔχουσιν οἱ πρότερον ὄντες ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι*, haec uerba assignationem nouam minime sapere. Nam primum quidem *προσορίζειν* non est publicare, sed territorio ciuitatis adtribuere, qua re domini agrorum patrimoniis non priuantur. Deinde uocem *δωρεάν* Boeckhius ipse cum Seldeno rectissime interpretatus est — non „doni nomine", — sed „ita ut immunes sint" (scil. agri [1]). Denique si tertius ager Palaemagnetibus his uerbis condonaretur, tum eis qui *ἀκληρούχητοι* erant, exspectes primum de hac terra consulturos fuisse Smyrnaeos: id quod minime fieri apparet, dummodo uerba recte interpretatus concedas uerba *καὶ τὴν ἀτέλειαν αὐτοῖς μένειν τὴν νῦν ὑπάρχουσαν* non pendere a condicione ea quae significatur uerbis *ἐὰν προσορισθῆι*. Immo immunitas tributi omni modo colonis confirmatur.

Quae cum ita sint, ad explicandum hunc locum coniciam colonorum eorum qui Magnesiae collocati erant, nescio quo tempore (fortasse belli causa) quosdam Palaemagnesiam se contulisse, itaque in Palaemagnetum numero habitos esse. Quorum agri cum iure nimirum pertineant ad coloniam Magnesiae constitutam, hac sublata iura horum colonorum in agros deficiunt. Smyrnaei autem sperant fore, ut rex iure suo coloniae agros confiscandi non utatur, sed hos agros terrae Smyrnaeae adtribuendo Magnetibus retinendos concedat. Quapropter agrorum possessio eis qui antea Magnesiae coloni fuerant sub illa condicione, ceteris Palaemagnetibus omni modo confirmatur. Nam hoc opinor manifestum est, multum interesse inter colonos qui pacto publico in ciuitatem Smyrnaeorum concedunt, militia se abdicantes, et illos quibus populi scito ciuitas adtribuitur ea condicione, ut ciuium Smyrnaeorum iure fruantur, simul autem in militia perseuerent: quapropter ut heredia retineant, constitui potest.

I. Smyrnaeorum populi scitum, quod prima tituli parte continetur, duas, ut solent *ψηφίσματα* Graecorum, partes am-

[1] Haec igitur immunitas diuersa est ab ea quae mox dicitur *ἀτέλεια*, quam de libertate tributi (*εἰσφορᾶς*) intellegas.

plectitur, quarum priore enarrantur causae quibus populus ad ea quae in altera parte constituuntur, commotus sit, atque eae res gestae quae pactum ipsum praecesserunt.

Smyrnaeorum praetores primum, cum et ciuitatis et Seleuci rebus pacto cum Magnetibus, qui a rege defecerant, ineundo consulendum esse decreuissent, uno ex ipsorum numero ad illos misso, fore ut commoda quaedam et a rege et a ciuitate eis concederentur promiserunt, si in illius potestatem coloni reuerterentur, scilicet Smyrnaeos in ciuitatem eos recepturos et a rege impetraturos esse, ut agrorum possessio etiam sublata colonia eis confirmaretur. Neque Magnetes, sociis tum temporis quantum uerisimile est destituti (p. 78), haec proposita reiecerunt, sed legati quattuor Smyrnam missi sunt, qui et condiciones sympolitiae ineundae scriptas secum tulerunt, et uerbis cum populo de eis egerunt. Tum a Smyrnaeis hoc populi scitum factum est, cuius in altera parte haec decernuntur:

1) ut populus Smyrnaeorum cum Magnetibus amicitiam publicam faciat ita, ut e rebus Seleuci regis maxime esse uideatur;
2) ut pacti condiciones (ratione habita nimirum earum quas legati Magnetum obtulerant) constituat[1];
3) ut legati tres Magnesiam mittantur, qui colonis eas con-

---

[1] V. 25: *τὴν ὁμολογίαν ἥτις ἂν δόξηι τῶι δήμωι.* Smyrnaeos pacti uerba constituisse, ab illis constituta Magnetes comprobasse, uestigia in ipso pacto exstant. Nam Smyrnaeorum magistratuum nomina praescripta sunt. Deinde quae de comparanda hostia ad sollemnia iuris iurandi conficienda in § 13 uerba fiunt, ad res Smyrnaeorum spectant: non item de Magnetum hostia statuitur, sed de ea statuendum Magnetibus permittitur. Similiter § 6 constituitur, ut inquilinorum nomina ad magistratus Smyrnaeos deferant homines quibus coloni mandauerint. Cf. § 15, imprimis v. 87, ubi uertas: et suis sigillis et publico si quod est. — Cf. Thucyd. IV 118 sq. cum Kirchhoffii adnotationibus: Monatsber. d. Berl. Acad. 1880 p. 834 sqq. et titulum Hierapytnensem (Cauer[1] 44 = [2]181) foedus Rhodiorum et Hierapytniorum continentem. Rhodiorum enim populi scitum uerbo tenus Hierapytnii repetierunt, mutatis nullis nisi quod v. 9 loco uerborum *ὑπάρχειν συμμαχίαν ποτὶ τὸν δᾶμον τὸν Ἱεραπυτνίων* scripserunt *ὑπάρχειν συμμαχίαν ποτὶ τὸν δᾶμον τὸν Ῥοδίων*, quae uerba in Rhodiorum populi scito ferri non posse Naberum, qui eum titulum edidit, fugisse miror.

diciones proponant et comprobandas commendent: quas si illi comprobauerint, ius iurandum eorum accipiant;

4) id si factum sit, ut Smyrnae ea quibus ad pactum ratum faciendum opus sit, conficiantur;

5) ut hoc decretum inter acta publica referatur, et lapidibus eisdem inscribatur atque sympolitia, (quorum in uno inscriptum etiam nunc exstat);

6) ut prytanes[1] legatos Magnetum in prytaneum inuitent.

II. Formula sympolitiae, quae altera tituli parte continetur, constat e praescripto et condicionum enarratione.

In praescripto post temporis significationem, quae fit nominibus et sacerdotis (uel Matris Sipylenae uel Veneris Stratonicidis) et *στεφανηφόρου*[2], praeterea mensis, totius pacti summa paucis uerbis adumbratur.

---

[1] Ad hanc partem Boeckhium miror adnotauisse '*ἐπιμήνιοι* non prytanes sunt, ut cuidam uisum, sed menstrui sacrificuli'. At quis a sacrificulis legatos in prytaneum uocari unquam audiuit? Itaque de his recte iudicasse uidetur Doermerus in appendice libri quem inscripsit: De Graecorum sacrificulis qui *ἱεροποιοί* dicuntur. Argentorati 1884 p. 73: 'Sane nihil impedimur quominus prytanes hos epimenios fuisse iudicemus'. Idem plura de epimeniis docte disseruit.

[2] *Στεφανηφόρων* nominibus Smyrnaeos etiam altero p. Chr. n. saeculo annos significasse Boeckhius docuit testibus usus et titulis (CIG 3150. 3162. 3173. 3386. cf. 3148. 3190. 3194.) et Philostrato (Vita sophist. II 26, 2). Ceterum hic magistratus Smyrnae interdum a mulieribus gerebatur inde a primo (ut uidetur) p. Chr. saeculo. (CIG 3173. 3150. — 3173 in eodem titulo duobus annis 80 et 83 p. Chr. altero uirum, altero mulierem *στεφανηφόρον* deprehendimus). Eadem res inuenitur Phocaeae (CIG 3415. cf. 3413); Trallibus (2927); Mylasae (? Euromi. Le Bas, Asie min. 313 sq. = CIG 2713 sq. cf. Le Bas ibid. 394) aetate imperatorum; Aphrodisiade eadem aetate (Le Bas 1592. 1602. CIG 2820. 2829. 2835. 2840); Trapezopoli (3953 d cf. 3953 c); Thasi (v. infra).

Atque de hoc magistratu uide quae exposuit Fustel de Coulanges, La cité antique p. 214. cf. Boeckh ad CIG 2330. — Est enim is fortasse qui olim non solum summus, sed solus ciuitatium fere omnium magistratus fuerat; eaque causa esse uidetur, quod *ἐπώνυμος* in plerisque ciuitatibus erat. Qui cum non minus sacerdos olim quam magistratus fuisset, postea in aliis haec, in aliis ciuitatibus illa muneris pars superstes erat. Neque unquam sacerdotalem quandam naturam prorsus ab

Sympolitiae condicionum prima constituitur:

§ 1. Ut in fidem regis Magnetes reuertantur.

§ 2. Altero loco ut ad agros quos militiae causa acceperant, asseruandos omnem diligentiam praestent, scilicet ne

---

hoc magistratu alienam fuisse recte monet Fustelius. Qua etiam Atheniensium archontes quodammodo praeditos fuisse diserte Aeschines testatur his uerbis: (c. Tim. § 19. p. 3,31:) *Ἄν τις Ἀθηναίων ἑταιρήσῃ, μὴ ἐξέστω αὐτῷ τῶν ἐννέα ἀρχόντων γενέσθαι, ὅτι οἶμαι στεφανηφόρος ἡ ἀρχή.* Sacerdotii enim ideoque sanctitatis signum erat corona: cf. C. F. Hermanni Ant. Gr. I[5] § 124 a. 13 cum locis ibi citatis: Lys. or. 26 § 8 (p. 175 extr.). Demosth. Mid. § 32 sq. (p. 524 sq.); in Theocr. § 27 (p. 1330). Cf. etiam Plut. Quaest. Rom. 40 (p. 274) et CIG 6012 e „*Φοίβου στεφανηφόρος ἱερεύς*". — Nomine autem *στεφανηφόρων* praeter insulas quasdam non nisi Asiae minoris ciuitates usae esse uidentur.

Atque re uera sacerdotes sunt nonnulli, ut dixi, eorum *στεφανηφόρων* quos nouimus et e litteris et e titulis Graecis. Qui num omnes *ἐπώνυμοι* in ciuitatibus suis fuerint, nescimus. Teste enim Athenaeo (V p. 215 b) Tarsis *στεφανηφόρος* erat Herculis sacerdos. Atque Dionysius Hal. AR II 64 flamines Romanorum dicit *τοὺς καλουμένους ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων στεφανηφόρους* (*στεφηφόρους* codd.). Item Mileti sacerdos erat *στεφανηφόρος*, Apollinis nimirum, idemque anni eponymus, cuius nomine tam tertio (CIG 2852 — cf. p. 81 adn. — additis quaestorum sacrorum nominibus. cf. 2879), quam altero a. Chr. saeculo (2855 — insuper addito prophetae Pythionis nomine) annos Milesii significabant. Cf. Arch. Ztg. 1876 p. 128 = Hicks. Gr. hist. Inscr. 200 = Dittenb. Syll. 240 v. 40. ca. 140 a. Chr. addito mense. -- Revue arch. 1874. XXVIII 107 = Dittenb. Syll. 314. CIG 2853 sq. 2856 sqq. 2868. 2879 sq. (incertae aetatis). — Erat autem etiam imperatorum aetate hoc sacerdotium (2881. 2885): dicitur *στεφανηφόρος τοῦ θεοῦ* 2855. — Etiam Prienenses a *στεφανηφόρῳ τοῦ θεοῦ* annos appellauisse apparet ex iudicio Rhodiorum (CIG 2905 B. 3.) III uel II a. Chr. saeculo conscripto. Cf. Le Bas, Asie min. 200. 202. — Thasi quoque sacerdos fuisse uidetur imperatorum aetate (CIG 2162) illa *Αἰλία Μακεδονία ἡ ἀνθοφόρος καὶ δὶς ἀρχεῖτις καὶ τιμοῦχος καὶ διὰ βίου στεφανηφόρος.* — Item Cyzici *στεφανηφόρους*, qui distinguuntur a magistratibus (Dittenb. Syll. 279, 22), sacerdotes fuisse censeam I p. Chr. saeculo. — Sacerdos domus Augustae *στεφανηφόρος* audit Lampsaci CIG 3642, siue Tiberii siue Septimii Seueri aetate hic titulus scriptus sit. *Στεφανηφόρον* Apollinis habes Calymnae: Newton Inscr. of. Brit. Mus. CCXXXI. saec. a. C. III uel II (cf. infra). — (Cf. etiam titulum Syracusanum CIG 5421: *Εὐχομένην σε θε[οῖς] στεφ[ανηφόρον εἶλε Π]οσειδᾶν*).

Contra Pari deprehendimus aetate imperatorum (CIG 2379) quendam *ἄρξαντα την στεφανηφόρον τοῦ πολειτάρχου ἀρχήν*, quem *ἐπώνυμον* fuisse

abalienent, immo aduersus hostes, si opus sit, defendant et quam primum fieri possit, regi restituant (cf. p. 86. 90).

§ 3. Ut Smyrnaeorum ciuium officia in se recipiant, (qua de re infra dicam). Addita est formula sollemnis

---

ueri simile est. Item fuisse ἐπώνυμον Teni τὸν ἄρχοντα τὴν στεφανηφόρον ἀρχὴν Boeckhius censuit ad CIG 2330. cf. 2331 (II saec. a. C. ?) 2332. 2333. 2337. 2336b (Antoninorum aetate). — Neque minus Magnesiae ad Maeandrum magistratus fuisse uidetur quinto a. C. saeculo, siquidem Themistocles teste Athenaeo (XII p. 533 d) cum στεφανηφόρος illius ciuitatis esset, et Mineruae et Dionyso sacrificauit et sollemnia dedicauit. Si enim sacerdos alterius numinis fuisset, alteri eo tempore non consuluisset. Quamquam dubium hoc quidem esse confiteor. Certe Smyrnae magistratus erat (cf. Philostr. l. c.), fortasse Nysae (v. infra).

Haud paucae autem sunt ciuitates quarum στεφανηφόροι utrum sacerdotes fuerint an magistratus, diiudicare non licet. In quibus Mysiae quaedam ciuitas est apud Klisse-Koei sita (fortasse Elaea: cf. Gelzer in Actis Acad. Berol. 1872 p. 68). De Phocaeensium στεφανηφόρῳ v. supra. Deinde Thyatirae aetate Romana commemoratur στεφανηφόρος, de quo dubites (CIG 3485); Sardibus saec. I p. Chr. (3461 sq.); Alabandae uel Alindae imperatorum aetate (2900); eisdem temporibus Bargyliae (Le Bas 496); Trapezopoli (v. supra); Aezanis (CIG 3831 a9 — prouinciae sacerdotem? — 3831 a13. 14b.). Acmoniae (CIG 3858c = Le Bas 756); Laodiceae ad Lycum (3942); Ancyrae (Le Bas 1011 = CIG 3847b: cf. Waddington ad hunc tit.); Minoae Commodi aetate (CIG 2264 m); Coi II p. Chr. saeculo (Ross, Hellenica I, II p. 95 n. 17).

Annos autem significant στεφανηφόρων nominibus:

Gambreotae aetate post Alexandrum Magnum (CIG 3562 = Dittenb. Syll. 470 v. 27 sq.)

Cymaei aetate Augusti (3524 v. 59) nominibus sacerdotis Romae et Augusti et summi sacerdotis et prytanis et στεφανηφόρου.

Smyrnaei (v. supra).

Maeonienses (cf. Eckhel III p. 105, IV 212—14. Ceterum nummos non perlustraui.)

Hyrcanienses Lydiae (ibidem).

Coloenses aetate Romana anni numero, mense, στεφανηφόρῳ (Wagener, Inscr. rec. en Asie min. 1).

Hierapolitae aetate Romana (Le Bas 741 = CIG 3912 a).

Prienenses (v. supra).

Milesii (v. supra).

Trallenses (v. supra).

Nysaei Augusti aetate (2943. cf. 2950).

foederis iniqui, non quasi foedus hoc pactum esset, quo multo artius Magnetes cum Smyrnaeis coniunguntur, sed ita ut foedus iniquum tamquam fundamenti loco sit sympolitiae et ipsius iniqua condicione initae, quippe qua Magnesia rei publicae loco esse desinat, Magnetes omnes iuris Smyrnaei fiant.

§ 4. Ut in pacti uerba utrique iurent. Qua de re §§ 11—13 accuratius agitur.

§ 5. Si cui in bello quod inter Smyrnaeos et Magnetes gestum erat, alterius ciuitatis ciui aliquis nocuerit, ne liceat eo nomine, postquam in pacti uerba utrique iurauerint, amplius quemquam persequi neque iudicio neque alio quocunque modo: si quis litem intenderit, irrita ut sit. — Iura quae e contractibus oriuntur, persequi nemo uetatur. Cf. quae supra exposui ad tituli Teii § 6 p. 26.

§ 6. In hac parte summa totius rei uersatur. Est enim haec: ut in ciuitatem Smyrnaeorum recipiantur Magnetes, et coloni et inquilini quicunque liberi et Graeci sint, iure integro et aequo quo pristini Smyrnae ciues fruantur. — Nomina colonorum ad magistratus Smyrnaeos deferre iubentur scribae cohortium, ceterorum incolarum uiri quos ad hanc rem coloni

---

Aphrodisienses (v. supra) imperatorum aetate (2826 sq. — 2835. 2836 = Le Bas 1633. 2836b. 2840 = Le Bas 1637. 2842. 2843. 2848. cf. 2766. 2778. 2785. 2789. 2795. 2814. Le Bas 1602a. 1639. 1641a. CIG 2850b = Le Bas 1643.

Iasenses quarto a. Chr. saeculo (Bull. de Corr. Hell. V p. 493 = Dittenb. Syll. 77); III ? saeculo (2673—2675. 2677); II. a. Chr. saeculo (cf. Waddington in Le Bas, Asie min. p. 87 sq. CIG 2679 = Le Bas 251) στεφανηφόρῳ et scriba; στεφανηφόρῳ et ἀγωνοθέτῃ (Le Bas 252—299: cf. CIG 2681). II. p. Chr. saec. (Le Bas 300).

Olymenses (Mylasenses?) aetate incerta (Le Bas 323. 332. 338. 339).

Mylasenses II saeculo a. Chr. στεφανηφόρῳ, scriba senatus, 3 archontibus (Le Bas 394); aetate Romana (ib. 358) summo sacerdote et στεφανηφόρῳ. — aetate incerta (403 [CIG 2963 c] — 409. 416 = CIG 2963e cf. 348).

Stratonicenses I p. C. saeculo (CIG 2715 = Le Bas 519).

Calymnenses I fere p. C. saeculo Journal of Hellenic Studies II. p. 362. — II saec. p. C. Newton Inscr. of Brit. Mus. CCCX sq. CCCXIV. Aetate incerta CCCVI d. Cf. ibid. CCXXXI (III uel II saec. a. C. v. supra). CCXCVIII v. 64 (aet. inc.).

Syrii M. Aurelii temporibus (CIG 2347 k).

elegerint. Utraque Smyrnaeorum *ἐξετασταί*[1] cum iure iurando accipient, et sorte inter tribus Smyrnaeorum distributa ciuium catalogis (*κληρωτηρίοις*) inscribent. Magnetum catalogos eidem rei publicae scribae tradent, ut inter acta publica referat.

---

[1] *Ἐξεταστῶν* collegium quale sit, Aristoteles docet Polit. VI 8, 10: *Ἐπεὶ δὲ ἔνιαι τῶν ἀρχῶν, εἰ καὶ μὴ πᾶσαι, διαχειρίζουσι πολλὰ τῶν κοινῶν, ἀναγκαῖον ἑτέραν εἶναι τὴν ληψομένην λογισμὸν καὶ προσευθυνοῦσαν, αὐτὴν μηθὲν διαχειρίζουσαν ἕτερον· καλοῦσι δὲ τούτους οἱ μὲν εὐθύνους, οἱ δὲ λογιστάς, οἱ δὲ ἐξεταστάς, οἱ δὲ συνηγόρους.* Athenis erant *ἐξετασταὶ τῶν ξένων*, qui examinabant, ne mercennarii plures in catalogos inscriberentur, quam stipendia faciebant teste Aeschine (c. Tim. § 113 p. 16, 7, quocum cf. Lex. Rhet. p. 252. Etym. M. 386, 12. — Aeschin. f. leg. § 177 p. 52, 2). Extraordinarii magistratus fuisse uidentur. — Ab eis diuersus est is *ἐξεταστής* qui in titulis quibusdam olympiadis 120 et 121 (a. C. 299/8. 295/4) occurrit una cum trittyarchis: CIA II 297 sq. 300. Quos quod Hicksius (Journ. of Hell. Stud. II 1881 p. 100) tribuum potius quam populi magistratus fuisse censet, trittyarchos quidem praetermitto, de exetasta autem contra iudico. Neque quod de pecuniis tribuum expendendis in illis titulis agi censet, adstipulari possum uiro doctissimo. Nam cum populus (300 v. 37 sq.) hoc decernat: *στῆσαι αὐτο[ῦ τὸν δῆμον καὶ ε]ἰκόνα χαλκῆν — χειροτονῆσαι δ[ὲ τὸν δῆμον ἤδη τ]ρεῖς ἄνδρας ἐξ Ἀθηνα[ίων ἁπάντων οἵτ]ινες ἐπιμελήσονται [τῆς ποιήσεως τῆς] εἰκόνος, μερίσαι δ' αὐτ[οῖς τὸν ἐξεταστ]ὴν καὶ τοὺς τριττυάρ[χους εἰς τὴν εἰ]κόνα ὅ τι ἂν ἀνάλωμα γέ[νηται*, manifestum est publicis impensis statuam erigi, non tribus. Publicas autem pecunias trittyarchos interdum administrauisse Aeschines testatur (p. 58 in Ctesiph. § 30); quod cum sub *ἐξεταστοῦ* custodia fieri iubeatur, hic fere respondet Aristotelis definitioni. Atque etiam magis ei *ἐξετασταί* qui occurrunt in Magnetum decreto (eorum qui Thessalis uicini erant), saeculo p. Chr. I secundum Lollingium, qui eum titulum edidit in Mitth. d. d. arch. Inst. z. Athen. VII 1882 p. 69—76. Hi enim una cum sacerdote Iouis intersunt rebus quibusdam Iouis Acraei nomine uendendis, deinde a ceteris magistratibus ius iurandum accipiunt, hoc decretum ipsos omni diligentia praestita obseruasse. Quod ius iurandum si quis non praestiterit, *ὑπόδικος ἔστω τοῖς ἐξετασταῖς καὶ ἄλλωι τῶι βουλομένωι τῶν πολιτῶν.* Ab exetastis rationem exigunt eorum successores. — Chii *οἱ ἐξετασταί* ultrotributa locant IV a. C. saeculo. Cf. titulum a Gerhardo editum in Act. menstr. Acad. Berol. 1863 p. 265: *τοὺς ἐξεταστὰς τοὺς ἐνεστηκότας ἐγδοῦναι τὸ ἔργον, διαστολὴν ποιησαμένους μετὰ τοῦ ἀρχιτέκτονος καθότι συντελεσθήσεται ὡς πρότερον εἶχεν· ὑπηρετεῖν δὲ αὐτοῖς τὸγ κατὰ μῆνα ταμίαν.* — Item Nasi eodem fere tempore: Hicks, Gr. hist. Inscr. 138 *τὰ δ' ἐψαφισμένα προσαναγράψαι τοῖς ἐξετάσταις εἰς ταὶς στάλλαις ταὶς ὑπὲρ τῶ Θερσίππω· τὸ δ' ἀνάλωμα δότω ὁ ταμίας.* — Item Halicarnassi II (?) a. Chr. saeculo: Bull. de Corr. hell. V 212 *ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα τοὺς ἐξεταστὰς*

§ 7. Cum hoc pacto territorium Magnesiae, quod in regis dominio est, agro Smyrnaeo non contribuatur, propria clausula praecipitur, ut non solum Smyrnae sed etiam Magnesiae (h. e. extra Smyrnaeorum fines), ciues noui in negotiis faciendis et in litibus persequendis ciuitatis legibus utantur: scilicet in eis quae cum ciuibus Smyrnaeis fiunt uel in ciues Smyrnaeos aguntur, quae uerba etiam ad Magnetes spectant, quippe qui hoc ipso pacto Smyrnaei fiant. Cum peregrinis enim non iure ciuili sed *συμβόλων* legibus agitur.

§ 8. Eadem de causa constituitur, ut nummi Smyrnaei pretio legitimo Magnesiae uersentur.

§ 9. Ut summum imperium militare Magnesiae ad praefectum a Smyrnaeis institutum transferatur: qui tamen cum Magnesia urbs eiusque territorium in regis dominio sint, regis nomine hoc munere fungi iubetur.

§ 10. Ut omnibus eis Magnetibus qui sedes Smyrnam transtulerint, in semenstre tempus habitationes tot cubiculorum quot populo placuerint, publicis impensis dentur, utque quaestor rei publicae una cum summis Smyrnaeorum magistratibus habitationes illas conducendas curet. — Cum haec pars admodum similis sit paragraphi alterius decreti Teiis ab Antigono dati (p. 11. 22 sq.), animaduertas tamen quaedam inter

---

τοὺς ἐπὶ Τιμοθέου εἰς στήλην λιθίνην, ἔγδοσιν ποιησαμένους μετὰ τοῦ πωλητοῦ ἐμ μηνὶ Ἐλευθεριῶνι καὶ στῆσαι ἐν τῶι ἱερῶι τοῦ Ἀπόλλωνος. — CIG 106. (cf. Hicks l. c.) *ἐπιμεληθῆναι δὲ τῆς ἀναγραφῆς τοὺς ἐξεταστάς· τὸ δὲ ἀνάλωμα τὸ εἰς τὴν στήλην δοῦναι τὸν ταμίαν.* — Newton, Discov. at Halicarnassus etc. II p. 689 n. 3 *ὅπως δ' ἂν οἱ προδανείσαντες εἰς τὴν στοὰν ἣν ὁ δῆμος ἀνατίθησιν τῶι Ἀπόλλωνι καὶ βασιλεῖ Πτολεμαίωι φανεροὶ ὦσιν πᾶσιν, τοὺς ἐξεταστὰς ἐφ' ὧν ἂν συντελεσθῆι ἡ στοά, ὅσοι ἂν προδανείσωσιν ἄτοκα μὴ ἔλασσον ἢ δραχμὰς φ' ἀναγράψαι, αὐτῶν τὰ ὀνόματα κτλ.* Eis summa pecuniarum publicarum et sacrarum custodia mandata fuisse uidetur, quippe quibus solis liceret quotannis thesaurum Dianae aperire et pecuniam inde dissoluere (CIG 2656 = Dittenb. Syll. 371, 32). — Deinde Erythris recensentur in summis ciuitatis magistratibus qui populum iure rogant (Dittenb. Syll. 160. 172. 190). Eorum auspiciis sacerdotia quaedam ueneunt, quorum *ἐπώνια* aerario publico, ut uidetur, soluebantur (Dittenb. Syll. 370, 25). — Denique in titulo Laodicensi (ad Lycum) CIG 3945 *ἐξεταστὴν* restituit Boeckhius, recte sine dubio. — Smyrnaeorum *ἐξετασταῖς* praeter pecuniarum publicarum etiam catalogorum ciuium cura mandata fuisse uidetur.

has duas causas interesse. Nam primum Lebedii omnes coguntur Teum transmigrare, cum regis hoc maxime intersit, ut uno loco magnam ciuitatem constituat. Magnetibus autem permittitur, utrum sedes Smyrnam transferre uelint necne. Deinde Lebediis praeter fundos qui eis assignantur, in tres annos habitationes gratis dantur, Magnetibus fundi nulli, habitationes autem in sex menses. Quae differentiae arte inter se cohaerent. Nam cum Lebediorum traductio non ad ipsorum commodum efficiatur, damna quibus afficiuntur, eis compensanda sunt. Contra Smyrnaei non id agere uidentur, ut Magnesiam desertam faciant, neque omnino sibi tam quam Magnetibus hac re consulere. Nam si cui e Magnetibus ipsi uolenti non erat Smyrnam transmigrare, certe sex mensium habitatione libera concessa ad hoc uix commoueri poterat. Tota igitur res pro commodo Magnetibus concesso habenda est, eo consilio, ut qui Smyrnae quam Magnesiae habitare mallent, eis semenstri spatio proprias habitationes sibi comparandi facultas praestaretur. Quamquam non negauerim Smyrnaeos sperasse, fore ut artius inter utramque ciuitatem uinculum necteretur, si quam plurimi Magnetum Smyrnam transmigrassent, utque eo modo firmius sympolitia staret.

Reliqua pacti pars ad exsequendas condiciones in superioribus paragraphis enumeratas pertinet.

§ 11. 12. Iuris iurandi utriusque ciuitatis uerba constituuntur. — Dei per quos iurant Magnetes et Smyrnaei, eidem sunt, praeterquam quod Apollinis ἐμ Πάνδοις loco, qui Magnetum praecipue πάτριος θεὸς fuisse uidetur (cf. v. 85), in Smyrnaeorum iure iurando Venus Stratonicis est, atque in colonorum iure iurando post reliquos deos deasque additur Fortuna regis Seleuci, quae e sacramento militari fortasse huc recepta est. (Magna Mater Sipylene in nummis tam Smyrnaeorum quam Magnetum efficta est: cf. Eckhel II p. 537 sq. III 106.)

Magnetum ius iurandum duas partes amplecti uidetur, quarum altera (v. 60—64) in pacti uerba iurant, altera ciuium officia communia in se recipiunt. Popularis potestatis conseruandae in hac parte praecipue ratio habetur, uelut in iure

iurando iudicum Atheniensium (Demosth. 24, 149 sq.), quod et ipsum magna e parte non tam ad iudicum quam ad ciuium officia spectat. — Smyrnaei iurant non solum ea quae unusquisque in se recipiat, sed omnes totius ciuitatis nomine: v. 74 sq. *καὶ ποιήσομαι αὐτοὺς πολίτας — καὶ εἰς φυλὰς αὐτοὺς ἐπικληρώσας καταχωριῶ* etc. Quae non sunt unius cuiusque ciuis, sed magistratuum [1].

§ 13. Constituitur quomodo utraque ciuitas alterius ius iurandum accipiat. Quam rem Smyrnaeos legatis etiam ante pactum initum mandasse supra uidimus p. 92. (cf. praeterea adn. p. 91.)

§ 14. Ut pactum cippis quinque inscribatur. Eorum quod a Smyrnaeis duo, tres a Magnetibus eriguntur, mirum uideri possit, cum alias in pactis publicis utrique ciuitati aequa pars attribui soleat, ita plerumque ut imparis numeri cipporum unus communibus impensis ab utrisque erigatur. Res insolita quae hic occurrit, ita explicanda esse uidetur, ut totum pactum pro concessione Magnetibus facta, si in fidem regis reuerterentur, habendum esse statuamus. Nam cippos erigendi non tam onus ciuitati imponitur cui hoc mandatur, quam ius conceditur, ut alteram pacto stare obliget.

§ 15. Ut pactum inter acta publica Smyrnaeorum referatur, eiusque exemplaria muniantur alterum eorum hominum sigillis quibus Magnetes id mandauerint, et publico si quod sit, alterum ciuitatis et summorum Smyrnaeorum magistratuum. Cf. p. 91 adn. Eggeri Études historiques sur les traités publics chez les Grecs et les Romains. Parisiis 1866. p. 59 sq.

Hoc pactum sympolitiae nomen prae se ferre manifestum est, siquidem uerba *πολιτεύσονται μετὰ Σμυρναίων* (§ 3) idem ualent quod *συμπολιτεύσονται τοῖς Σμυρναίοις*, quibus

[1] Hoc in iuribus iurandis Graecorum insolitum non est, cf. ius iurandum iudicum et senatorum Atheniensium Chalcidensibus datum (CIA IV 27a = Dittenb. Syll. 10), cuius Dittenbergerus iniuria censuit primam partem (v. 6—10) iudicum esse, quae sequuntur senatorum: immo utrique totius populi nomine totum ius iurandum iurant.

eisdem, scilicet πολιτεύεσθαι μετὰ τῶν Ἀχαιῶν etiam Polybius utitur de Achaeorum sympolitia (II 57, 5 al.) Atque quod supra dixi, sympolitiam effici ciuitatis et legum communione, hoc exemplo comprobatur.

Colonia autem Magnetum, quae rei publicae propriae loco adhuc erat, hoc pacto tollitur. Cohortes et centuriae colonorum nimirum dissoluuntur, praefecti qui antea eis erant, abolentur. Magnetes sui iuris esse desinunt, atque in ciuitatem Smyrnaeorum concedunt. Quam rem animaduertas alio modo effici, atque quo Lebedii in Teiorum ciuitatem recepti sunt, et quo, ut infra uidebimus, etiam in sympolitiis huius generis faciendis plerumque Graeci utebantur (cf. p. 8). Ciuium quidem Smyrnaeorum iura integra cum Magnetibus communicantur, cum diserte statuatur v. 53, ut participes fiant omnium rerum quarum pristini ciues Smyrnaei: in quibus v. 77 expresse praedicatur, ut etiam iure honorum inde ab eo tempore fruantur. Item officia ciuium Smyrnaeorum omnia Magnetes in se recipiunt, legibus et populi scitis Smyrnaeorum se oboedituros esse iurant, neque minus ad iura et priuilegia ciuitatis seruanda omnem diligentiam se praestituros, et singulorum ciuium securitatem et iura se obseruaturos et aduersus unumquemque sedulo defensuros esse.

Sed cum plerumque tribus locum obtineat ciuitas quae in alteram ciuitatem concedat, hoc Magnetibus non tribuitur, sed in tribus Smyrnaeorum distribuuntur. Quae res quanti momenti sit, teneas. Nam cum tribus ciuitatium Graecarum suas res quae non ad rem publicam ipsam pertinerent, suis tribuum magistris atque suis suffragiis administrari et decernere solerent, in quibusdam rebus eae ciuitates quae sympolitia cum altera coniungebantur, quasi sui iuris manebant. Quae res a Magnetibus longe aliena est: qui neque magistros suos, neque comitia sua, ne aerarium quidem suum inde a sympolitiae initae tempore habere possunt, cum eis qui alii aliis Smyrnaeorum tribubus adscripti sint, iam nihil commune sit.

Territorium Magnesiae, quippe quod non in Magnetum sed regis dominio sit, quamquam non ipso pacto Smyrnaeorum

agro contribuitur, sperant Smyrnaei fore ut sibi a rege concedatur. Tum igitur Magnesia *κώμη* quidem Smyrnaeorum fit, sed talis ut in re publica ei locus sit nullus, cum uici iure careat. Omnes res quae ad eam pertinent, curantur pro ipsarum natura partim a ciuitate Smyrnaeorum ipsa eiusque magistratibus, partim a magistris tribuum quibus Magnetes adscripti sunt. Illa praefectum dat, qui claues portarum nunc quidem regis, postea nimirum si rex Smyrnaeorum spei respondeat, populi Smyrnaei nomine seruet. Iuris dictionem et sacrorum aliarumque rerum administrationem a magistratibus populi exerceri consentaneum est.

Quae cum ita sint, nummos Magnetes non percussisse donec haec sympolitia steterit, per se intellegitur. Itaque cum tamen exstent nummi Magnesiae Sipylenae tempore huius sympolitiae inferiores [1], iniuria Boeckhius iudicauit ad aetatem imperatorum Romanorum usque eam perdurasse: tituli autem quos huc rettulit (CIG 3157. 3408) aliter explicandi sunt. Strabo enim, ut recte Kuhnius monet (Entstehung der Staedte p. 360), haec testatur: XIII 621 extr.: *οὐκ ἄπωθεν δὲ τούτων τῶν πόλεων οὐδ' ἡ Μαγνησία ἐστὶν ἡ ὑπὸ Σιπύλῳ, ἐλευθέρα πόλις ὑπὸ Ῥωμαίων κεκριμένη.* (Quamquam ceteri loci quos Kuhnius adtulit, non ad Sipylenam sed ad Maeandriam Magnesiam spectant). Quo autem tempore a Smyrnaeis secesserit, si requiras, caue cum hac re coniungas eiusdem Strabonis testimonium, qui XIV 646 tradit Dolabellam anno a. Chr. 43 a Smyrnaeorum ciuitate aliquos uicos separasse. Nummus enim ille qui est apud Mionnetum IV p. 71 n. 385, ad M. Tullii honorem excussus est, eo fortasse tempore quo Cicero Ciliciam administrabat. Itaque cum Sullae Magnesiae emancipatio tribuenda non sit, cuius tempore Mithridati ea fauebat (Appian. Mithr. 21), a Smyrnaeis quidem antea Magnetes secessisse, liberae autem ciuitatis iure a Pompeio donatos esse coniciam.

---

[1] Eckhel III p. 106 sq. Leake, Num. Hell. Asiatic Greece p. 79. Suppl. ib. p. 67. Mionnet, Descr. IV p. 68—83 n. 361—452. Suppl. VII p. 371—389 n. 247—336.

III. Tertia tituli parte, quae paullo post alteram conscripta est (v. 91), ciuitate Smyrnaei donant colonos et milites regios qui Palaemagnesiae collocati erant. Hi quoque a Seleuco defecisse uidentur, quapropter Smyrnaei etiam hoc praesidium ut in regis fidem reducerent, suae dicioni subiciendum putabant. Cuius rei causa legatis ad Palaemagnetes missis, fore ut et ipsis similia atque Magnetibus commoda concederentur, si praefecto a ciuitate misso portarum claues et custodiam castelli traderent, promiserunt. Quas condiciones cum illi acciperent, pactum quidem cum eis non factum, neque colonia militaris quae Palaemagnesiae collocata erat, sublata est, sed hoc populi scito Smyrnaei eis ciuitatem ita dederunt, ut simul in militia regia perseuerarent, et ciuium Smyrnaeorum iure fruerentur. Itaque coloniae condicio et iura hoc populi scito non immutantur. Coloni agros sibi assignatos retinent: iure nimirum eo utuntur quod in constituenda colonia a rege eis datum erat, item milites qui praeter colonos in castello sunt, legibus militaribus. Utrique praefectos suos retinent, quamquam imperium castelli praefecto a ciuitate misso traditur: qui tamen non Smyrnaeorum sed regis nomine hoc munere fungi iubetur (v. 96 sq.).

Causis in priore parte expositis, in altera decernuntur haec:

1) Ut coloni Palaemagnetes ciues Smyrnaei sint integro iure.
2) Ut agros qui eis assignati sint, retineant (v. p. 90), eademque qua antea immunitate fruantur.
3) Ut eis qui agris careant, equestre heredium singulis a Smyrnaeis condonetur finibus castelli uicinum.
4) Ut etiam ceteris militibus ciuitas et immunitas detur. Horum tria genera sunt: cohors Timonis, Persae sub Omane praefecto in castello collocati, denique mercennarii Smyrnaeorum qui cum Menecle praefecto ad custodiam castelli suscipiendam missi erant.
5) Ut omnibus eis quos ad n. 4 enumeraui, frumenta (μετρήματα[1]) et stipendia (ὀψώνια[2]), quae aliquamdiu

---

[1] Cf. Polyb. VI 38, 3. IX 27, 11.
[2] Cf. Polyb. VI 39, 12—15. I 66, 3. 5. 11; 67, 1; 69, 8.

Timonis et Omanis militibus data non esse uidentur (εἰώθει), ex horreis et aerariis regis danda Smyrnaei ea qua apud regem fruebantur auctoritate curent.

6) Ut hoc populiscitum cippis eisdem inscribatur quibus pactum inter Smyrnaeos et Magnetes conuentum, atque inter acta publica referatur.

III. DE MELITAEENSIUM ET PEREENSIUM SYMPOLITIA.

Titulus hic inuentus in ecclesia uici Avaritzae in Thessalia Phthiotide siti et editus est ab I. L. Ussingio (Inscriptiones graecae ineditae. Hauniae 1847 n. 2; cf. Bergkium, Zeitschrift für Alterthumswissenschaft V 1847 p. 1095), deinde a Rangabaeo (Antiquités Helléniques II Athenis 1855 n. 692). Uterque commentarium addidit. Litteris maiusculis repetitus est a Lebasio (Voyage archéologique P. III n. 1179), minusculis a Fickio (Bezzenbergers Beitraege VI p. 312) et Cauero (Delect. [1]104 = [2]239). Scripserunt de eo Wilh. Vischer (Basileae 1849 Ueber die Bildung von Staaten und Bünden = Scr. min. I p. 374: cf. ibid. p. 577) et Kuhnius (Rh. Mus. XV 1860 p. 29 sq. = Entstehung der Staedte p. 124 sq.).

Inest arbitrium trium ciuium Calydoniorum ad componendam litem ciuitatium Melitaeensium et Pereensium factum, quae sympolitia inter se coniunctae erant.

1. *Μελιταιέοις καὶ Πηρέοις ἔκριναν οἱ ὑπὸ τῶν Αἰτωλῶν αἱρεθέν|τες δικασταί, Δωρίμαχος Πολεμαῖος Ἀργεῖος Καλυδώνιοι, αὐτῶν | ἐπιχωρησάντων ἐξ ὁμολόγων.*

2. *Ὅρια μὲν εἶμεν τᾶς χώρας Μελιταιέ|οις καὶ Πηρέοις, ὡς ὁ Ἀκμεὺς ἐμβάλλει ἐν τὸν Εὔρωπον, καὶ ἀπὸ τοῦ || Ἀκμέος ἐν τὰν παγὰν τοῦ Γαλαίου, καὶ ἀπὸ τοῦ Γαλαίου ἐν τὰν Κολώ|ναν, καὶ ἀπὸ τᾶς Κολώνας ἐπὶ τὸ Ἑρμαῖον, ἐπὶ τὰ Εὐρύνια, καὶ ἀπὸ*

---

1 *Μελιταίοις* R.

τῶν Ε[ὐ]|ρυνίων κατὰ τῶν ἄκρων ὡς ὕδωρ ῥεῖ ἐν τὸν Εὔρωπον, ἐκ τοῦ Εὐρώ|που ἐν τὸν Ἐλιπῆ, ἀπὸ τοῦ Ἐλιπέος ἐν τὸ νέμος τὸ ἄγον ἐν τὰν Ἄμ[πε]|λον, ἀπὸ τᾶς Ἀμπέλου κατὰ τῶν ἄκρων ἐπὶ τὸ Ὕπατον, ἀπ[ὸ] ‖ τοῦ Ὑπάτου ἐν τὸν Κερκινῆ, ἀπὸ τοῦ Κερκινέος ἐν | τὰν Μύνιν, ἀπὸ τᾶς Μύνιος ἐν τὸν Εὔρωπον, τοῦ Σκαπεταίο[υ] | καὶ τοῦ Εὐρώπου ἐν τὰν συμβολάν.

3. *Τὰν δὲ δαμοσίαν χώ|ραν, τούς τε Καράνδας καὶ τὰν Φυλιαδόνα, μὴ ἀποδόσθων Μ[ε]|λιταεῖς, ὥστε πατρώιαν ἔχειν τὸν πριάμενον, πολιτευόντω[ν] ‖ Π]ηρέων μετὰ Μελιταιέων, ἀλλὰ κατ' ἄνπαλον μισθούντω κ[α]|θὼς καὶ τὸ πρότερον.*

4. *Εἰ δέ κα ἀποπολιτεύωντι Πηρεῖς ἀπὸ Μελ[ι]|ταέων, περὶ μὲν τᾶς χώρας ὅροις χρήσθων τοῖς γεγραμμένοις, καὶ ἔ|χοντες ἀποπορευέσθων βουλευτὰν ἕνα, καὶ τὰ δάνεια συναπο|τινόντω, ὅσα κα ἁ πόλις ὀφείλη, κατὰ τὸ ἐπιβάλλον μέρος ‖ τοῦ βουλευτᾶ, καὶ ἐμφερόντω τὰ ἐ[ν] τοὺς Αἰτωλοὺς γινόμε|να κατὰ τὸν βουλευτάν.*

5. *Ἀποδόντων δὲ οἱ Πηρεῖς τὰς δεκάτας | τὰς γινομένας τοῖς δανεισταῖς ἃς ὀφείλοντι ἐτέων τριῶν, ἀ|ναβολὰν λαβόντες ἔτη τρία.*

6. *Ὅσα δὲ καὶ πρότερον ἐλάμβανον ο[ἱ] | Πηρεῖς παρ τᾶς πόλιος κατ' ἐνιαυτόν, τοῖς τε ἀρχόντοις ἀργυρίου ‖ μνᾶς τρεῖς, καὶ κάρυκι στατῆρας δέκα, καὶ εἰς τὸ ἔλαιον τοῖς νεανί|[α]ις στατῆρας δέκα, καὶ εἰς τὰν θυσίαν τῶν Σωτηρίων στατῆρας πέντε, [κ]|αὶ νῦν λαμβανόντω· καὶ τὰ λοιπὰ ἐπιμελέσθω ἁ πόλις τῶν Μελιτα|έων κοινῶν τῶν ἐμ Πηρέοις καθὼς καὶ τὸ πρότερον.*

7. *Νόμοις δὲ χρήσ|θων Πηρεῖς τοῖς αὐτοῖς καὶ Μελιταεῖς.*

8. *Τὰς δὲ ἐν ἀγορανόμοις δίκας γινομέ|νας Πηρέοις ποτὶ Πηρεῖς κατὰ τετράμηνον δικαζόντω ἐμ Πηρέοις οἱ ἐγ Με|λιτείας ἀγορανόμοι.*

9. *Ἀναγραφήτω δὲ ταῦτα ἐν στάλας ἕν τε Μελιτείαι | καὶ ἐν Δελφοῖς καὶ ἐν Καλυδῶνι καὶ ἐν Θέρμωι. Μάρτυρες τὸ συνέδριον Α[ἰτω|λ]ῶν τὸ ἐπὶ γραμματέος Λύκου καὶ οἱ προσστάται τοῦ συνεδρίου [Οἰνό]μαος Σπάττιος, Δύσωπος Ἀπολλωνιεύς, καὶ ὁ γραμματεύ[ς Ἔπο]|χος Ἐρυθραῖος, καὶ ὁ ἱππάρχας Ἀλέξων Ἑρμάττιος, Παντալέ[ων Ἀτ]|τάλου Πλευρώνιος, Νικόστρατος Νικοστράτου Ναυπάκτιος, Δαμόξενος Θεοδώρου Ἡρακλεώτας.*

8 *Ἐλιπῆ, ἐκ τοῦ* R. ‖ 16 *ἀποπολιτεύοντι* R. ‖ 17 [*λα*]*χόντες* U. ‖ 18 *ἀπον πορευέσθων* R. ‖ *συναπ|οτινόντω* R. ‖ 20 *τὰ ἐς τοὺς* R. ‖ 23 *ο*[*ἱ*] omittit R. ‖ 27 *Μελιτί|ων* R. ‖ 28 *τῶν κοινῶν ἐμ* U. ‖ 33 *γραμματέως* R. ‖ [*Ἑρμ|ό*]*λαος* U.

Factum est hoc arbitrium auctoritate communis Aetolorum concilii, quorum sympolitiae illo tempore adscripti erant Melitaeenses et Pereenses [1]. En habes exemplum ciuitatium duarum quae et in maiore Aetolorum sympolitia continentur, et artiore inter se ipsos sympolitia simul coniunguntur. Qua ex re, nisi omnino constaret, hoc efficeretur, minime tam certas fuisse sympolitiae condiciones, ut non tam artiora quam laxiora uincula hoc nomine appellarentur, dummodo communi ciuitatis iure et communibus legibus uterentur ei qui inter se coniungebantur, ita ut in rebus externis unius ciuitatis loco essent, separata tamen quaedam iura haberent partes ita in unum compositae. Cuius rei similia etiam apud Achaeos inueniuntur.

Ex oppidis enim quinque (in quae Patrensium plerique anno a. C. 279 dispersi erant) [2] cum Patris ipsis sympolitia coniunctis constitisse uidetur illud quod Polybius XXXIX 9 (XL 3) commemorat Patrensium *συντελικόν* (*Πατρεῖς καὶ τὸ μετὰ τούτων συντελικόν*).

Contra eius separationis quam Graeci *διοικισμοῦ* nomine appellare solebant, exemplum habes apud Plutarchum [3], qui (anno fere a. C. 193) uicos quosdam (scil. Alipheram, Aseam Dipaeam, Gortyn, Pallantium, Thisoam: cf. Freeman, History of Federal Government I p. 626 adn. 4) a Megalopolitarum ciuitate separatos esse refert, ita ut inde ab eo tempore et ipsae ciuitates Achaicae essent. Nec secus postea Tenea a Corintho secessit (Strabo VIII 380). Qua de re miras sententias quidam homines docti protulerunt. Ipse Freemanus (l. c. p. 256) „Megalopolis, inquit, certainly and Corinth probably had subject districts, whose inhabitants appear to have had no direct share in the general Federal citizenship“. Idem tamen p. 628 adn. 1 rectius de eadem re iudicauit, ubi cum diuisione qualis exempli gratia fingi possit, ciuitatis cuiuslibet sympolitiae Americanae has res comparat

[1] Recte ex nostro titulo apud Rangab. 682 *Αἰ[τωλὸν] | ἀπὸ Μελιτείας* restituit Buecher De gente Aetolica amphictyoniae participe p. 32 adn. 5.

[2] Pausanias VII 18, 6. cf. C. F. Hermann, De syntelia p. 14. R. Weil, Münzwesen des ach. Bundes in Salleti Ztschr. f. Num. IX 1882 p. 202.

[3] Philop. 13.

aptissime. Dum enim uici illi cum Megalopoli synoecismo coniuncti erant, uicani nimirum Megalopolitae erant, omnibusque horum iuribus fruebantur. Philopoemen autem unum membrum sympoliticum, quod iusto maius esse uidebatur, in compluria minora diuisit, quod quamquam satis arbitrario modo factum esse uidetur, tamen ex ea re effici non potest, iure ciuium sympoliticorum priuatos antea fuisse Aliphaerenses, Gortynenses, ceteros: non magis quam in nostro exemplo Pereenses communi Aetolorum iure priuati sunt. — Atque etiam a Messenia, cum seditione facta iterum Achaicae sympolitiae adscriberetur, partes quaedam separatae et in ciuitatium sympoliticarum modum constitutae sunt (Polyb. XXIII 17 [XXV 1 sq.] § 1 sq.), Abia scilicet et Thuria et Pharae, quod ideo factum est, ut Messeniorum, quibus iure suo minus confidebat Lycortas praetor Achaeorum, auctoritas diminueretur, neue si forte iterum a communi sympolitia deficerent, illas ciuitates secum traherent.

Ut igitur sympolitiae membra interdum ita diuisa sunt, ut partes in modum ciuitatium sympoliticarum constituerentur, sic contraria ratione ciuitates sympoliticae duae poterant in unam contrahi, cuius rei et hic et in pacto Stiriensium et Medeoniorum exempla in manibus habemus.

Haec scilicet Melitaeensium et Pereensium sympolitia artior erat quam communis sympolitia Aetolorum, neque a synoecismo longe diuersa. Qua de re infra nobis erit dicendum.

Nunc quaenam fuerint illae ciuitates et ubi fuerint sitae quaeramus. Quarum altera ex scriptorum ueterum commemoratione nota est. Qui fere omnes[1] *Μελίτειαν* eam dicunt, quae forma in nostro titulo est v. 30/31, praeterquam quod in Thucydidis[2] et Pseudo-Dicaearchi[3] et quibusdam Diodori[4] codicibus legitur *Μελιτίας* et *Μελιτίαν*, apud Ptolemaeum

[1] Theopomp. apud Steph. Byz. s. v. Polyb. V 97 (quidam cod. male *Μελιτείαν*). Strabo IX p. 434. Diod. 18, 15, 1 (cod. Par. unus recte). Plut. Sull. 20. Philo ap. Steph. Byz. cf. Rhangabe 682.

[2] IV 78 bis.

[3] Geogr. Gr. Min. I p. 109 (Mueller), quam lectionem idem Muellerus non adnotat ad eundem locum in FHG II 264.

[4] L. c. ceteri codices.

(3, 12, 43. I p. 523 Mueller) Μελίτεια alii libri, alii exhibent Μελιτάρα; Μελιτταία est in Stephani codicibus, apud Pseudo-Scylacem 63 Μελιτιάδες. Melite eadem dicitur a Plinio 4, 9 (16), 32 et ab Antonino Liberali (13). Vera igitur forma est Μελίτεια, pro qua male a quibusdam editoribus restitutum est nomen Μελίταια, uelut apud Pseudo-Dicaearchum a Muellero, apud Strabonem a Xylandro; immo uidendum erit, nonne recte idem Muellerus postea etiam Thucydidi Μελιτείας, Μελίτειαν reddendum esse censuerit (ad Ptolem. l. c.). Nec tamen ut probabili modo explicarem mihi contigit, qua ratione ciues, quos Μελιτειεῖς appellari exspectes, ab eisdem scriptoribus [1] atque in titulis et nostro et apud Curtium (Anecd. Delph. 50) semper dicantur Μελιταιεῖς praeterquam quod Μελιταεῖς, Μελιταέων iuxta solitam illam formam (v. 1. 3. 15) legitur in nostro titulo (v. 14. 17. 27 sq. 29). Μελιτεαίων semel inuenitur in Polybii codicibus IX 18, 5, qui tamen alias sibi constat in formis Μελιταιῶν (ita recte pro Μελιταίων, quod codices exhibent, scripsit Hultschius: IX 18, 6); Μελιταιεῖ V, 63, 11; Μελιταιεῖς V, 97, 6. Apud Strabonem Μελιτεεῖς haud insolito errore pauci codices exhibent pro Μελιταιεῖς, quod recte habent plerique. Forma Μελιτεύς, Μελιτεῖς non legitur nisi apud Stephanum Byzantium et Antoninum Liberalem (l. c.). Μελιταιεῖς igitur genuinam formam esse apparet.

Urbem eorum in Achaia Phthiotide sitam fuisse constat; quod autem posteriores geographi Thessaliae urbem eam fuisse dicunt, non mirabimur, cum a Romanis Achaei Thessalis adtributi sint (cf. p. 111. Kuhn l. c. p. 98 sq.). De situ urbis accuratius egerunt praeter Leakium (Travels in Northern Greece IV 469 sq.) et Rangabaeus et Ussingius in commentariis ad hunc titulum scriptis: ille cum summo doctrinae apparatu, hic breuiter et perspicue. Ille cum Leakio apud uicum qui hodie est Keuzlár urbem sitam fuisse censuit, quod uerum non esse etiam e Thucydidis uerbis apparet. Unde Kiepertus etiam ante Ussingium urbis situm recte cognouerat. Postea Ussingius in libro quem inscripsit Griechische Reisen und Studien (p. 118—120), luculenter certiores nos fecit de loco

[1] Praeter eos quos citaui Ephor. ap. Steph. Byz.

ubi et titulum, qui Meliteae positus erat (v. 31), inuenit et ruinas urbis antiquae haud exiguas uidit, scilicet apud uicum qui hodie est Avaritza, tres horas inter meridiem et orientem solis ab urbe Thaumacis (Domokhó), paulum ad orientem uersus a faucibus montis Othryis per quas uia fert a Lamia urbe (Zeituni) Pharsalum[1].

Situ Meliteae urbis cognito, ubi Pereenses habitauerint, dubitare amplius non licet. Finitimi enim illius erant, urbs autem Pereensium non erat, sed uicus (*κώμη*), ut recte monet Ussingius. Nam Melitea simpliciter *ἁ πόλις* dicitur (v. 19. 24). Quod autem apud Hesychium legimus *Πηρίη πόλις ἐν Θεσσαλίᾳ*, tantum a ueritate abest, ut ne nomen quidem Periae tituli huius aetate fuisse inueniamus: immo *ἐμ Περέοις* dicitur. Propius ad uerum accessit Stephanus qui dicit: *Πήρεια Θεσσαλίας χωρίον. τὸ ἐθνικὸν Πηρεύς.*

Hunc uicum ab Homero primum commemoratum esse (Il. B 766) Ussingius et Rangabaeus consentiunt. Quod tamen mero errori adtribuendum esse non uiderunt. Quamquam enim uulgo scribitur illo loco: *τὰς ἐν Πηρείῃ θρέψ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων,* hoc neque in codicibus legitur, neque recte se habere potest. Minime ueri simile esse, uiculum illum nouisse poetam praetermitto. Sed in plurimis libris est *πιερίῃ*, in aliis *πηερίῃ*. Atque antiquam esse mendam Eustathius docet, qui et *πιερίῃ* et *πηρείῃ* circumferri testatur; quod autem ad uocem *πηρείῃ* haec addit: *καὶ εὕρηται οὕτω καὶ ἐν τῇ κατὰ στοιχεῖον συλλογῇ τῶν ἐθνικῶν, ἔνθα κεῖται ὅτι Πήρεια χωρίον Θετταλικόν* (uide supra), *ὅπερ τυχὸν* (fortasse!) *ἑλῶδες ἦν καὶ ἀγαθὸν τρέφειν ἵππους,* unusquisque uidet hoc merae coniecturae deberi, neque aliud quicquam atque nos in Stephano suo Eustathium legisse. Verum quid esset, Valckenarius uidit (ad Ammon. p. 206). In Macrobii enim libris, qui illum locum citat (I 17, 44) pro *πηρείῃ* legitur *Φηρει* et *Φηριφι* et *Φηρῃ*, quapropter *Φηρείῃ* Valckenarius rectissime restituit. De Eumeli enim equis uerba fiunt, Admeti filii, qui Pheris regnabat. *Φηρείῃ* autem eadem ratione pro *Φερείῃ* dixit poeta qua paucis uersibus ante *Φηρητιάδης* (v. 763) pro *Φερητιάδης*: et ut *Φήρης*

[1] Ussingium secutus est Bursianus (Geogr. Gr. I p. 85).

nihil nisi alia forma nominis *Φέρης*, sic etiam *Φηρείη* forma poetica est nominis regionis circa urbem notissimam sitae, quam Pheres ille condidisse ferebatur (Apollod. I 9, 14. Schol. Il. 2, 591). Certe poeta hoc loco regionem nominauit quae ad equos pascendos prae aliis apta esset, quod ad Pheras quidem, nec uero ad Periam quadrat. Nam in montibus Pereenses habitabant. *Πηρείη* igitur uel *Πιερίη* ne scribamus sententia ipsa prohibemur: grammaticos autem iusto doctiores, qui tamen quid sit illud *Φηρείη* non perspexerint, ex geographorum operibus uel uicos collegisse non miror.

Quo autem tempore ciuitates Achaiae Phthiotidis cum Aetolorum sympolitia coniunctae sint, expressis uerbis a ueteribus memoriae traditum non est. Schornius (Hist. Graec. p. 88) partim Demetrii partim Antigoni Dosonis temporibus hoc factum esse censuit, Freemanus (p. 395) eo bello quod una cum Achaeis post Antigoni Gonatae mortem contra Macedones Aetoli gesserunt. Hoc enim tempore in Achaiam Phthiotidem eos progressos esse, inde apparet, quod Aratus apud Phylaciam a Bithye Macedonum duce uictus est. Droysenus aliter iudicauit (III 2, 68), profectus a coniectura minus probabili, certo aliquo pacto Achaiam et Pharsalum a Macedonum rege Aetolis concessas esse, quod effecit ex Polybii loco XVIII 38 (21) § 3[1], ubi tamen hoc nullo modo significatur. Antigonum anno a. C. 229 tale pactum cum Aetolis iniisse censuit. Quae tamen sententia omni fundamento firmo caret. Vel quin Thessalia in Macedonum potestate illo tempore fuerit dubitari potest[2].

Cum igitur certius definire tempus quo Achaia Phthiotis cum Aetolia coniuncta sit, non liceat, probari tamen potest, quod Freemanus olympiadi 135 (a. Chr. 240 sqq.) hoc factum tribuit. Permanebat autem in Aetolorum potestate certe usque

[1] Anno a. C. 197 cum Tempis de componendis Graeciae rebus inter Flamininum et Philippum et legatos Graecorum ageretur, *ὁ δὲ τῶν Αἰτωλῶν Φαινέας "τί οὖν ἡμῖν οὐκ ἀποδίδως, Φίλιππε, ἔφη, Λάρισαν τὴν Κρεμαστήν, Φάρσαλον, Θήβας τὰς Φθίας, Ἐχῖνον;"* cf. § 6 *καὶ λεγόντων ὅτι δέον αὐτοὺς εἴη . . . κομίζεσθαι τὰς πόλεις τὰς πρότερον μεθ' αὐτῶν συμπολιτευομένας.*

[2] Cf. Trogi prol. 28. Iustin. 28, 3, 14.

ad annum 217 a. C., quo anno Philippus Melitea urbe potiri frustra conatus (Pol. V 97) Thebas Phthiotidas oppugnauit et cepit (c. 99—101). Tamen non statim tota Achaia a Macedonibus expugnata est. Anno enim a. C. 210 Aetoli Echinum obtinebant, quam urbem eo tempore Philippus cepit (Pol. IX 41 sq.). Romani anno 196 Thebas Aetolis restituerunt, non tamen ceteras urbes Achaiae, quas praeter Pharsalum Thessalorum sympolitiae adtribuerunt. (Polyb. XVIII 38 [21], 5; 47 [30], 7).

Inter ol. 135 (a. C. 240) igitur et 140 uel 142 (a. C. 212) nostrum titulum fere conscriptum esse ex eis quae adtuli testimoniis apparet. Saeculo alteri exeunti conuenire recte monuit Ussingius et litterarum huius inscriptionis formas et aeris alieni mentionem, quo illo tempore Aetolos oppressos fuisse Polybius refert (XIII 1 sq.).

Est autem titulus satis idoneus ad cognoscendam sympolitiam Graecam, quoniam exemplum exhibet discordiae inter ciuitates duas ex illa condicione ortae. Quamquam eam ipsam ob rem multum abest, ut sympolitiae leges omnes quae inter Melitaeenses et Pereenses conuenerant, ex hoc arbitrio cognoscamus, in quo earum tantum ratio habetur de quibus controuersia erat. Causa autem litis, quantum ex ipso titulo effici potest, fuisse uidetur, quod Pereenses iura sua a Melitaeensibus diminuta esse censerent. Atque imprimis de agro quodam publico lis erat, ad utrorum fines pertineret, et utris potestas esset de eo decernendi. Ager publicus enim utriusque ciuitatis, sympolitia facta, communis iuris erat. Qua re magistratus Melitaeensium, qui res communes curabant, sibi uindicarunt potestatem, in ciuitatis communis commodum, quid fieret de eo agro statuendi. Atque antea quidem publice uidentur eum locasse: tum temporis autem cum uendere eum uellent, contra dixerunt Pereenses, atque suum esse illum agrum contenderunt. Minati sunt, se nisi satis sibi fieret, a Melitaeensibus secessuros esse. Videntur autem non de agro illo tantum, sed etiam de usuris aeris cuiusdam alieni et de pecuniis quibusdam quae ex aerario publico eis soluebantur, et de magistratuum communium iurisdictione (quam fortasse condicionibus sibi iniquis fieri contendebant) iurgia Melitae-

ensibus fecisse. Res tamen composita est eo modo, ut utrique in concilium commune Aetolorum compromitterent. Hoc igitur arbitros creauit.

§ 1. Monuisse hoc loco iuuabit, ea quae de iudiciis sympoliticis quidam censuerunt, hoc titulo non confirmari. MHE Meier enim ut hunc solum citem uirum iuris publici Graecorum peritissimum in libello quem inscripsit: Die Privatschiedsrichter und öffentlichen Diaeteten Athens, in parte III: Die Austraegalgerichte bei den Griechen: sententiam dixit in hunc modum: „Am ersten hatten noch den Charakter bleibender Austraegalgerichte die bei den verschiedenen κοινά, συστήματα und συντέλειαι vorhanden gewesenen richterlichen Instanzen, natürlich nur für die zu diesen Vereinen gehörigen Staaten." Addit hoc iudicium apud Achaeos et Aetolos concilium commune ipsum exercuisse. Sed exempla non exstant quibus probetur, concilia communia Achaeorum et Aetolorum lites inter ciuitates sympoliticas ortas diiudicauisse. Neque apud Achaeos concilium commune uidetur iudicii loco omnino fuisse, quamquam iudicium sympoliticum ita cum concilio coniunctum erat, ut non nisi eius iussu constitueretur. In hoc iudicio actum esse in eos qui leges communes sympoliticas uiolassent, multis exemplis cognoscimus, nullis tamen in hoc iudicio lites ciuitatium diiudicatas esse.

Apud Aetolos non secus atque apud Achaeos praetorem iudicii ἡγεμονίαν habuisse, senatum autem in quibusdam causis iudicii loco fuisse, apparet imprimis ex eo titulo qui est Dittenb. Syll. n. 215 v. 20 sq. (ubi de lacuna recte expleta non est cur dubitemus). Cf. CIG 2350. 3046 = Le Bas, Asie Min. 85.

Alia ratione in nostra causa actum est. Lites enim ciuitatium Aetolicarum iudicium sympoliticum, ut uidetur, diiudicare non consueuit. Immo arbitros[1] datos esse, quamquam δικασταί appellantur, plane apparet e uerbis (v. 2 sq.) αὐτῶν ἐπιχωρησάντων ἐξ ὁμολόγων. Quod cum in iudicio legitimo satis insolitum fuisset, necessarium erat in

[1] Errat Ussingius qui Aetolorum hoc iudicium esse dicit: Griechische Reisen und Studien p. 120.

arbitrio inter duas ciuitates faciendo. Neque raro sententiis huius generis expressis uerbis additum legimus, a ciuitate utraque arbitros constitutos uel constituendos recipi ea condicione, ut quod iudicassent, ratum fieret[1].

Nostrum exemplum simile est ei quod adtuli Argiuorum iudicio (Le Bas, Asie Min. 1). Ut enim illic inter Cimolios et Melios conuentum est, ut ab Amphictionibus (hoc enim esse uidetur illud commune Graecorum concilium[2]) arbitros peterent, sic Melitaeenses et Pereenses arbitros petiuerunt a concilio Aetolorum. Illis populus Argiuorum datus est, his tres uiri Calydonii, qui rem composuerunt arbitrio, quod hoc titulo continetur.

§ 2. Prima arbitrii parte fines Pereensium et Melitaeensium constituuntur, qua ex re apparet de his maxime ciuitates inter se litigasse (v. § 3). Nomina locorum quae in hac tituli parte occurrunt, aliunde fere omnia nobis ignota esse dolendum est. Tamen Rangabaeus ex his uerbis terminos Pereensium restituere posse sibi uisus est. Quam rem satis mirum in modum confecit uir doctissimus. Cum enim diserte uerba non fiant nisi de Melitaeensium et Pereensium confinio, terminos Rangabaeus ita constituit, ut eis undique includatur terra quaedam, quam Pereensibus tribuit. Nisi igitur ager Pereensis Melitaeensium agro totus includebatur, id quod probari nullo modo potest, frustra consumptam esse operam haud exiguam quam in hanc rem uir doctissimus impendit,

[1] Cf. titulum Olympicum (Arch. Ztg. 1876 p. 128 = Hicks 200 v. 45 sq.), et Argiuum Le Bas, Asie Min. 1. cf. etiam ibid. 195—198 p. 77 = CIG 2905 v. 9 sqq. atque CIG 2265, titulum iudicium continentem iudicum ἐκκλήτων Eretriensium in causa ciuium Pariorum et Naxiorum factum, ubi poena constituitur ei ciuitati quae hoc iudicium irritum fecerit v. 15. Qua de re inter has duas ciuitates ante iudicium factum conuenisse uidetur. Itaque etiam CIG II Add. 2561b v. 25 nescio an scribendum sit: ἐξ] ὁμολόγων [ἑκατ]έρω. Cf. etiam pactum Latiorum et Olontiorum cum Cnosiis factum (Bull. de Corr. Hell. III 290 sq.) et R. Dareste in Bull. VI 241 sq.

[2] Kirchhoff, Stud. z. Gesch. d. gr. Alph. [3] p. 87. cf. Aesch. c. Ctes. § 161 p. 76 et § 254 p. 89 extr. cum Dem. de cor. § 322 p. 331 extr. A. Schaefer, Demosth. III 198. 52, qui citat Paus. 7, 10, 10. Cf. etiam Cic. de inv. II 23 § 69.

prima specie unus quisque uidet. Accedit quod in ea ipsa terra quam Pereensibus Rangabaeus uindicauit, Meliteam urbem sitam fuisse iam constat (vide supra p. 108 sq.). Neque iuuat laborare de eis rebus quas scire nullo modo licet. Immo non feliciores quod ad hos fines adtinet, nos esse concedendum est, quam in tot aliis titulis, Creticis imprimis, quibus fines ciuitatium duarum accuratissime constituuntur, quos tamen nos recognoscere nullo modo possumus. Sed quantum ad grammaticam quidem pertinet, uerba saltem recte interpretari nobis licebit. Qua in re cum cetera plana sint, in uersibus 6. 7 explicandis mire lapsus esse uidetur Ussingius. Virgula enim posita in v. 7 post κατὰ τῶν ἄκρων, sic uerba coniunxit: ὡς ὕδωρ ῥεῖ ἐν τὸν Εὐρωπὸν ἐκ τοῦ Εὐρωποῦ, ἐν τὸν Ἐλιπῆ κτλ.: quae ita interpretatus est, secundum iugum montis (κατὰ τῶν ἄκρων) fines duci, unde ex altera parte aqua omnis in Europum defluat, ex altera in alium quendam fluuium, neque ad Europum hoc loco confinium omnino accessisse. Sed haec uerbis illis significari non possunt, neque omnino graecum est ὡς ὕδωρ ῥεῖ ἐν τὸν Εὔρωπον ἐκ τοῦ Εὐρώπου. Recte igitur post ἐν τὸν Εὔρωπον interpunxit Rangabaeus, qui cum tamen in mappa quam commentario adiunxit, eodem modo quo Ussingius uoluit, terminos constituerit, scil. secundum iugum aliquod, uerba ὡς ὕδωρ ῥεῖ quid sibi uellent, non perspexit.

Ὡς enim dictum esse pro 'ubi', ipse Ussingius ad v. 4 recte adnotauit. Itaque ἀπὸ τῶν Εὐρυνίων κατὰ τῶν ἄκρων ὡς ὕδωρ ῥεῖ ἐν τὸν Εὔρωπον est „ab Euryniis deorsum secundum riuum qui defluit in Europum", ex Europo deinde ad Elipea fines ducuntur, neque quo modo huic explicationi obstet praepositio ἐκ, quod Ussingio uisum est, intellego.

§ 3. Finibus utriusque ciuitatis constitutis, de agro publico illo quem praecipue causam litis fuisse supra conieci, statuitur, quo modo inde ab illo tempore eo utantur Melitaeenses. Hic ager ad quorum fines pertineat, expressis uerbis non dicitur, quoniam hoc plane nimirum apparebat e finium ipsorum constitutione. Nos igitur quibus illos fines recognoscere non licet, utri ciuitati addictus sit, prima specie non intellegimus. Cum autem de hac praecipue re tota causa

acta esse uideatur, ad eam recte cognoscendam uidendum erit, alione modo rem diiudicare possimus, dummodo uerba recte interpretemur.

Neque magna in his inest difficultas praeter illud *κατ' ἄνπαλον* v. 15, quod Ussingius interpretatus est „ad licitationem". Addit „substantiuum esse puto τὸν ἀνάπαλον ab ἀναπάλλω deriuatum, auctionemque significare, qua pretium semper quasi sursum iactetur". Contra ἀνάπαλον ab ἀναπάλλω nullo modo deriuari posse, neque omnino fuisse illud substantiuum, contendit Boeckhius ad Pind. Ol. 7, 110: quare illo loco, ubi traditum est: *μνασθέντι δὲ Ζεὺς ἄμπαλον μέλλεν θέμεν*, scripsit *ἄμ πάλον μέλλεν θέμεν* i. e. *τὸν πάλον ἀναθεῖναι*.

Sed quamquam ab *ἀναπάλλω* deriuatum non est, cur uerbo *πάλλω* respondere non possit substantiuum *ἀνάπαλος* eodem modo quo *σύλλογος, πρόλογος, ἐπίλογος* al. respondent uerbo *λέγειν*, non intellego. Substantiuum autem esse *ἀνάπαλον* uel *ἄμπαλον* nostro loco comprobatur addita praepositione *κατά*. Rangabaeus et ipse „*κατ' ἄνπαλον*" inquit „parait signifier ici: par voie d'enchères": coniecit tamen lapicidam unam *τ* omisisse et *κὰτ' τὰν πάλον* scribendum fuisse, quasi femininum esset *πάλος*! Mihi quidem dubium non est, quin substantiuum sit *ἄμπαλος*, sed uidentur haud recte hoc interpretati esse Ussingius et Rangabaeus, neque licitationis hic mentio fieri: quamquam multum abest, ut negem hoc modo re uera agrum locatum esse. Proficiscendum autem est a Pindari loco supra citato, ubi de sententia dubitare non licet. Recte enim eam interpretati sunt scholiastae[1]. Itaque *ἀνάπαλος* proprie est noua sortitio. Atque *μισθοῦσθαι κατ' ἄνπαλον* nihil aliud esse potest quam de nouo locare, cum de sortiendo hoc loco proprie dictum esse non possit. Hoc igitur statuitur, ne Melitaeenses illum agrum uendant (*ὥστε πατρῴαν ἔχειν τὸν πριάμενον*), sed certis temporis interuallis eum locent, sicut antea factum erat.

Quae cum ita sint, uidendum est, utrius ciuitatis fuerit ille ager. Atque uideri possit, cum Meliteae hunc titulum poni iubeant arbitri, non Periae (v. 31), pro Melitaeensibus

[1] Cf. locos a Boeckhio citatos ad l. c.

non pro Pereensibus sententia pronuntiata esse. Sed alia huius rei causa est. Cum enim Peria non urbs esset, sed uicus, non in hoc sed in urbe titulus uidebatur ponendus esse. Sin Melitaeensibus, non Pereensibus ille ager addictus esset, qua re illorum iura ita deminuerentur, ut de suo agro potestas eis non relinqueretur, non perspicio. Immo animaduertas hanc sententiae partem ratam factam non esse, nisi Pereenses in sympolitia permanerent (v. 13). Tum igitur locandi illum agrum magistratibus Melitaeensium potestas esto: sin secesserint Pereenses, hi nimirum eum tenento. Nam ager publicus Pereensis sympolitia inita communis iuris factus est. Bona publica autem non Pereenses curabant, sed tota Melitaeensium ciuitas (cuius Peria pars erat) uel eius magistratus.

§ 4. Ceterum Pereensibus copia facta est, uellentne Melitaeenses esse necne. Qua re et quid faciendum sit, si in sympolitia permaneant, statuitur, et quid, si secesserint. Nam secessione facta fines rati erunt ei qui prima sententiae parte constituti sunt. Tum uero constituenda erant iura quae intercederent inter Pereenses, qui iam ciuitatis separatae locum obtinebant, et sympolitiam Aetolorum. Atque hunc locum grauissimi momenti esse ad constitutionem sympolitiae Aetolorum cognoscendam, monuerunt iam Vischerus (l. c.) et Kuhnius (l. c.). Statuitur enim ut Pereenses ad concilium commune unum eorum senatorum mittant quos antea Melitaeenses miserant, et tributa ferant pro rata parte huius senatoris. Qua ex lege recta uia colligitur, pro magnitudine unius cuiusque ciuitatis et iura et officia apud Aetolos distributa fuisse: omnes ciuitates certum sed pro ipsarum magnitudine diuersum numerum suffragiorum in senatu Aetolorum tulisse, atque ad hunc suffragiorum numerum adcommodatam fuisse sumptuum publicorum partem quam una quaeque ciuitas ferret.

Ceterum animaduertendum hoc quoque est, senatorem illum *βουλευτάν* appellari, non *ἀπόκλητον* neque *σύνεδρον*. Quaeritur igitur, quae ratio intercesserit inter *βουλευτάς, συνέδρους, ἀποκλήτους*. Quae non tantum diuersa eiusdem collegii nomina esse suboluit etiam Tittmanno (Griechische

Staatsverfassungen p. 727). Post quem raro dubitationes de hac re ortae sunt. Nam etiam Boeckhius CIG II p. 633 ad n. 3046: „Synedri, inquit, sunt concilii Aetolici magistratus ordinarii, Senatus quippe". Qui cum de apocletis nihil addat, num hos pro eisdem habuerit non perspicitur. Ceterum eam rem nollem umquam in dubitationem uocatam esse: *συνέδριον* senatum esse, *συνέδρους* senatores[1]. Quod non bene Droysenus[2] negauit (III 1, p. 447 adn. 1), qui *συνέδρους* consilium ex apocletis delectum fuisse coniecit, prytanium Atheniensium simile. Quae sententia probari posse mihi non uidetur. Senatus enim omnium foederum et amphictioniarum *συνέδρια* uocabantur. Ei autem qui ad haec collegia a ciuitatibus mittebantur, et *σύνεδροι* appellabantur et *βουλευταί* (cf. p. 22). Ad hoc igitur collegium Pereenses unum senatorem mittere iubentur. Restat, ut quaeramus, num idem sit collegium *ἀποκλήτων*, quod Liuius appellat 's a n c t i u s c o n s i l i u m' (XXXV 34, 2. cf. XXXVI 28 extr.).

Quibus uerbis plerique uiri docti prohibiti non sunt, quominus *ἀποκλήτους* pro senatu haberent, i. e. pro eisdem atque *συνέδρους*, quod fecerunt et Schornius (Geschichte Griechenlands. Bonn. 1833 p. 26 sq.[3]) et Schoemannus (Ant. iur. publ. Gr. p. 439) et Ussingius (p. 5) et Kuhnius (Entstehung d. St. p. 125 sq.[4]) et Vischerus in iudicio quod scripsit de libro Freemani (Scr. min. I p. 577). Idem antea (ib. p. 374) Freemani sententiae magis adnuerat, cum et ipse cum demiurgis Achaeorum *συνέδρους* compararet, quam sententiam postea iure spreuit. Apocletos et synedros distinxit

[1] Quamquam quod Ussingius hoc Polybii uerbis XXI 32 (XXII 15), 1 fulcire sibi uisus est (p. 4), mire errauit. Illud enim quod hoc loco commemoratur *συνέδριον*, Romanorum nimirum senatus est: cf. c. 30 (13), 6. 16. c. 31 (14), 1.

[2] Etiam Freemanus p. 335 sq. *ἀποκλήτους* senatores, *συνέδρους* magistratus demiurgorum Achaeorum similes fuisse arbitratur.

[3] Is mira quaedam de apocletis refert, uelut contra Aetolorum leges potestatem de summa rerum eos sibi arrogasse.

[4] Qui cum satis infeliciter a Liuii uerbo 'principes' profectus sit, mirum non est hunc uirum sagacissimum nihil quod magni momenti sit de apocletis effecisse. Neque enim minus constanter umquam ullo uerbo scriptor usus est: cf. locum notissimum Liv. XXXIII 35 cum Polyb. XVIII 48, 7.

Brandstaeterus[1], qui tamen rationem quae inter eos intercessisset non definiuit.

Mihi quidem parum ueri simile uidetur, idem collegium tot diuersis nominibus appellatum esse, multo minus autem totum Aetolorum senatum, qui certe ualde magnum numerum hominum amplectebatur, cum uel Melitaeensium ciuitas satis parua plus uno senatore haberet, perpetuo consedisse (quod Schoemanno uisum est l. c.). Immo ut Achaeorum senatus nisi ad concilia communia non conuenire consueuit, idem apud Aetolos moris fuisse opiner. Tamen ut apud Achaeos erat collegium quoddam hominum qui perpetuo munere fungentes eas quibus opus erat res quotidie curabant, demiurgi scilicet, ita necessario etiam in Aetolorum ciuitate praeter summos magistratus collegio opus erat, quod in illis officiis curandis praetorem adiuuaret. Neque quodnam illud collegium fuerit, dubitare licet, si Polybii historiam satis respexeris. Cuius praeter ceteros locos unum IV 5, 9 adferam, ubi de Dorimacho et Scopa tumultuose bellum lacessentibus dixit: οὔτε κοινὴν τῶν Αἰτωλῶν προσδεξάμενοι σύνοδον, οὔτε τοῖς ἀποκλήτοις συμμεταδόντες. Quibus uerbis luculenter apparet, apocletos perpetuo consedisse, quod etiam Schoemannus recte perspexerat. Idem certe efficitur e Liuii XXXV 34, 2: 'Concilium quidem uniuersae gentis post dimissos Romanos non habuerunt, per apocletos autem — id agitabant'. ib. c. 46 init. 'dimisso concilio — rex postero die cum apocletis eorum — consultabat'. Hanc ipsam autem ob rem fieri non posse, ut apocletos pro toto senatu habeamus, uiri docti, quantum uideo, non perspexerunt. Quomodo enim collegium hominum trecentorum uel quingentorum — nam quot fuerint, non accurate scimus — negotia continua curare poterat? Quod apocletos fecisse cum multis aliis locis tum e Polyb. XX 9 sq. apparet. Hi enim cum legatis exterarum ciuitatium agebant (Pol. XXI 4 [2], 7. 14. c. 5 [3], 1): hi concilia extra ordinem conuocabant (XX 10, 11. 14): hos igitur Polybius saepe Αἰτωλῶν ἄρχοντας dicit (IV 26, 5. XXI 4 [2] 7, eosdem quos c. 5 [3], 1 ἀποκλήτους uocat. X 42, 4). Quod minus aptum est

[1] Geschichten des aetolischen Landes etc. p. 309. 312.

senatui, optime autem conuenit collegio perpetuo prytanium simili. Neque ullam noui totius antiquitatis ciuitatem cuius senatus perpetuo consederit. Immo ut Athenis prytanium, sic apud Aetolos apocletorum collegium ex senatoribus selectum fuisse uidetur, quod simili atque prytanes Atheniensium munere fungebatur (praeterquam quod potestas eorum maior fuerit). Quae res comprobatur Liuii uerbis XXXV 34: 'apocletos — ita uocant sanctius consilium: ex delectis constat uiris'; XXXVI 28: 'consilio delectorum, quos apocletos uocant'.

Ceterum et ipsos apocletos satis multos fuisse ab omnibus fere qui de hac re scripserunt uiris doctis animaduersum est, cum ex eis triginta delecti sint, qui cum Antiocho rege de bello consultarent (Pol. XX 1. a. C. 191). Tamen maiorem eorum numerum fuisse quam prytanium Atheniensium ex hac re effici non potest[1].

Haud minoris certe momenti est quod de tributis Aetolorum ex hoc loco discimus, scilicet pro rata parte senatorum quos singulae ciuitates ad synedrium mitterent, ea distributa fuisse. Qua re refelluntur ea quae de ciuitatibus tributariis neque iuris sympolitici plene participibus quidam contenderunt, in quibus est ipse Droysenus III 1, 447. Hic enim ex Aeliani quibusdam uerbis (apud Suidam v. *ἀνήνασθαι*) efficere conatus est, Locros Opuntios non tam sympolitiae Aetolorum participes, quam *φόρου ὑποτελεῖς* fuisse, eundemque uel similem in foedere Aetolico locum et Cephalleniis et Boeotis et Mantineensibus, Tegeatibus, Orchomeniis et ciuitatibus quibusdam Hellespontiis, quin etiam Ceiis attribuit. Quam sententiam uellem etiam confidentius quam fecit, Vischerus reiecisset (Scr. min. I p. 373 adn. 2; p. 578). Quare hoc moneo, *δασμόν* illum Locrorum qui ab Aeliano commemoratur, nihil aliud esse quam quae in nostro titulo sollemniter dicitur *ἐσφορά* (v. 20 *ἐμφερόντω*); quo nomine etiam Achaei utebantur pro tributis quae ciuitates eorum ad sumptus publicos sympolitiae conferebant (Pol. IV 60, 4). Cephal-

[1] De senatus Aetolorum *προστάταις* cf. infra ad § 9.

lenios autem, de quibus ad Schornium (p. 29) legentes relegat Droysenus, hic quidem tamquam subditicios Aetolorum fuisse censuit. At si hoc inde demonstrare conatus est, quod Cephalleniae in pace Aetolorum et Romanorum mentio fiat (Pol. XXI 32 [XXII 15] 12), non item Eleorum: unde non eandem inter Aetolos et Cephallenios atque inter Aetolos et Eleos foederis rationem intercessisse coniecit, huic argumento iure diffidas. Quamquam hoc Schornio concesserim, Cephallenios, quantum ex Polybio colligimus, sympolitiae Aetolorum participes non fuisse.

Boeotos quidem bello uictos ab Achaeis ad Aetolos defecisse, Polybius refert (XX 5, 2). Sed inde nihil eius modi quale Droysenus censuit, effici posse, cognoscas e Polybii uerbis: *προσένειμαν Αἰτωλοῖς τὸ ἔθνος,* quibus eisdem uerbis de Arato usus est, qui Sicyonios Achaeorum sympolitiae adtribuit: II 43, 3 *τὴν πατρίδα . . . προσένειμε πρὸς τὴν τῶν Ἀχαιῶν πολιτείαν.*

Multo minus autem, quod etiam ciuitates Peloponnesi, Tegeam scil., Mantineam, Orchomenum et Phigaliam, non omnibus ciuitatium Aetolicarum iuribus usas esse contendit, cum Polybii uerbis conuenit: II 46, 2. IV 3, 6. (Cf. Vischerum l. c.)

Quod uero Droysenus et Lysimachenses et Chalcedonios et Cianos Aetolos fuisse dicit (III 1, 448; 2, 72), de his difficilius iudicium est, quoniam Polybius sibi ipse aperte obloquitur, cum XV 23, 8 dicat: *φίλων ὑπαρχόντων καὶ συμμάχων Αἰτωλῶν Λυσιμαχέων, Καλχηδονίων, Κιανῶν.* XVIII (17) 3, 11: *Λυσιμάχειαν μετ' Αἰτωλῶν ταττομένην καὶ στρατηγὸν ἔχουσαν παρ' αὐτῶν . . . .* § 12 *Κιανοὺς παραπλησίως μετ' Αἰτωλῶν συμπολιτευομένους.* Uterque enim locus ad unum idemque tempus, scil. annum a. C. 202 referendus est, quo tempore Philippus urbes illas cepit. Hic tamen nodus eo fortasse modo solui potest, ut Polybium priore loco minus accurate dixisse coniciamus, sed cum ciuitates tres quae non eodem sed diuerso modo cum Aetolis coniunctae erant, uno enuntiato complecteretur, eo uerbo usum eum esse quod laxiorem coniunctionis modum significaret; posteriore autem loco, ubi Aetolum quendam Philippo obiurgantem fecit, de

Cianis uidetur eis uerbis usus esse quae regis facinori plus inuidiae inferrent. Tamen ne ita quidem, opinor, Cianos sympolitiae Aetolorum participes fuisse dixisset, si socii tantum fuissent. Qua re hos quidem Aetolis adscriptos, Chalcedonios autem socios eorum fuisse censeam. De Lysimachensibus dubitare licet, cum parum perspicue dicta sint uerba μετ' Αἰτωλῶν ταττομένην, quamquam haec de sympolitia potius quam de societate acceperim propter ea quae sequuntur: παραπλησίως μετ' Αἰτωλῶν συμπολιτευομένους. Ceterum subditicias uel tributarias has ciuitates fuisse, nusquam traditum est, neque has minus quam alias ciuitates senatores ad concilia communia misisse. Comitia quidem Panaetolica ciues obire non potuisse per se intellegitur (cf. Vischer p. 578); id tamen, non quo inde iure excluderentur, sed propter longinquitatem sedium eorum fieri non potuit.

Denique de Ceiis Droysenus prorsus errauit, quod titulos CIG 2350—2352 pro decretis habuit quibus Ceii in sympolitiam Aetolorum recepti sint. Immo isopolitiam, non sympolitam Naupactios et Ceios sibi inuicem his populi scitis praestitisse, Aetolos autem nihil nisi amicitiam publicam renouasse et asyliam Ceiis decreuisse, etiam Kuhnius monuit (p. 120), qui tamen uerba ὡς Αἰτωλῶν ὄντων τῶν Κείων, ea nimirum, quae causam lapsus praebuerunt, non recte interpretatur „gleich als ob sie Aetoler waeren". Tum enim ὡς ἂν εἰ dictum esset, non ὡς ὄντων. Verum quid esset, sagaciter uidit Buecherus (De gente Aetolica Amphictyoniae participe. Bonnae 1870 p. 19), qui a Naupactiis Ceios originem deriuasse docuit, citato Heraclide Pont. πολ. Κείων (c. 9), in illorum autem locum Aetolos successisse, postquam illi in horum gentem nomenque concessissent. Hoc igitur illis uerbis indicatur: origine sua propinquos esse Ceios Aetolis. Qui cum eis amicitiam facere non potuissent, si sympolitiae ipsorum adscripti fuissent.

Ussingii autem (p. 9) errorem, qui titulum Aetolicum CIG 3046, quo asylia Teiis datur, adeo non perspexit, ut hos quoque Aetolos fuisse dicat, post Vischerum (p. 578) commemorare uix opus est. Denique de Polyb. IV 25, 7 cf. Vischer p. 578.

Nugae igitur sunt ciuitates illae tributariae uel subditiciae Aetolorum.

§ 5. Qua ratione computatur, quam partem tributi, quod e communi aerario antea soluebatur, secessione facta Pereenses susciperent, eadem etiam aeris alieni portio illis adtribuitur, quod ciuitates coniunctae communiter contraxerant (v. 19 sq.). Haec plana sunt, paullo difficiliora ea quae sequuntur: *ἀποδόντων δὲ οἱ Πηρεῖς — ἔτη τρία.* Recte quidem hanc sententiam ab eis quae praecedunt, seiunxisse uidentur Ussingius et Rangabaeus. Haec enim non tum fieri iubentur, cum Pereenses a Melitaeensibus secesserint, sed etiam si sympolitia eorum permaneat. Quod apparet e uerbis *ἃς ὀφιίλοντι ἐτέων τριῶν.* Praeter aes alienum commune igitur Pereensium uicus solus pecuniam mutuam acceperat, de qua cum Melitaeensibus litigabat. (Nisi enim lis de ea orta esset, arbitri certe hanc non curassent.) Verbum *δεκάτας* Ussingius pro uectigalium genere habuisse uidetur, cum sic uerteret: 'decumas quasdam creditoribus oppignoratas'. Aliter Rangabaeus iudicauit, qui pro usuris aeris alieni has decumas habuit. Hoc mihi magis placere confiteor.

Causam autem litis quae de hoc aere alieno orta erat, si quid conicias, eam dixeris, quod Pereenses non a se, sed ab aerario communi id deberi contenderint, itaque ut usurae ex illo soluerentur, proposcerint. Melitaeenses hoc a se defendebant. Ita fortasse factum est, ut per tres annos usurae non soluerentur. Arbitri Perensibus aes alienum adtribuunt atque usuras retro debitas intra tres annos soluere eos iubent.

§ 6. Aerarium igitur suum Pereenses habebant. Tamen redituum publicorum pars certe non ad hoc, sed ad aerarium commune redibat, ut supra de agro publico uidimus, qui non Pereensium sed Melitaeensium, id est aerarii communis nomine locabatur. Quam ob rem non omnes sumptus qui ad administrationem rerum publicarum Pereensium desiderabantur, e Pereensium, sed pars eorum e communi aerario soluebatur.

Atque de pecuniis quae quotannis Pereensibus soluendae erant, hos cum Melitaeensibus litigasse ex hac

parte arbitrii apparet. Qua re Rangabaeus Melitaeenses illam obligationem neglexisse coniecit. Utut hoc erat, arbitri ad quasdam certas res quantum in futurum Pereenses acciperent, constituerunt. Admodum paruos hos sumptus esse, ut magna omnium rerum uilitas illo tempore fuisse uideatur, Ussingius monuit; sed subsidiine loco fortasse hae pecuniae Pereensibus datae sint ad sumptus ab ipsis praestandos, non requisiuit. Itaque ut de Pereensium rebus aliquid inde efficiamus, de singulis rebus uidendum erit. — Aegineticam pecuniam esse quae commemoratur, recte haud dubio docuit Ussingius. (Cf. Hultsch, Metrol. p. 190 sq.). Soluere igitur iubentur Melitaeenses:

1) archontibus Pereensium argenti minas tres. Minam argenteam aegineticam Hultschius (p. 199) ualere computauit nostrae pecuniae M. 108. 85 Pf. Tres minae igitur respondent fere 330 M. Dubitaueris num haec pecunia pro mercede archontum Pereensium habenda sit, quos mireris pecuniam accipere. Sed si quis coniciat ad suppeditandos sumptus administrationis uici quos archontes curauerint, in commune hanc pecuniam adsignari, eamque ob causam archontibus solutam esse, huic illud obstat, quod de his sumptibus infra summatim uerba fiunt: *καὶ τὰ λοιπά* etc. Facere igitur non possumus, quin pro mercede has tres minas archontas accepisse intellegamus. Dolendum autem est, quod non dictum est, quot fuerint illi archontes, ita ut quantum quisque acceperit non cognoscamus.

2) praeconi stateras 10. Stater argenteus aegineticus teste Hultschio (ibidem) ualet circa M. 2. 20 Pf. Praeco igitur Pereensium a Melitaeensibus fere 22 M. quotannis accipiebat. Cum autem nesciamus, num fortasse subsiciuis tantum his operis aliquis functus sit, diiudicare non possumus, utrum haec summa pro tota mercede habenda sit necne.

3) ad oleum quo in gymnasio iuuenes utantur, 10 stateras (M. 22). Secundum Boeckhium (Oec. publ. Ath. I[1] 109) Lampsaci Aristotelis temporibus olei *χοῦς* tribus drachmis Atticis constitit.[1] Aut igitur multo uilius oleum Meliteae erat, aut 10 stateribus decem fere *χόες* quotannis comparari poterant, i. e. in dies nostra mensura fere 0,1 l.

[1] Ceterum cf. editio II ibid.

4) ad sacrificium Soteriorum comparandum 5 stateras (M. 11). Hoc sacrificium non ad Soteria Delphica missum esse apparet. Ioui Soteri Pereenses haec Soteria egisse ueri simile est, cui Acraephiae (ut Boeckhio uisum[1]) et Megalopoli[2] et Sicyone[3] Soteria agebantur. Sicyne ad memoriam Arati, qui a tyranno urbem liberauerat, ea fiebant. -- Deabus Eleusiniis Eleusine ad salutem senatus populique Atheniensium[4] Soteria agebantur; item Cyzici Proserpinae, ut uidetur[5]. Tertio a. C. saeculo Apollini Deli, Athenis Ioui Soteri sacrificia Soteria Delii celebrauerunt ad honorem Philoclis regis Sidoniorum[6]. Ioui Seruatori et Apollini Pythio quinto quoque anno Soteria Delphica fiebant[7]. Ut illa, ita haec propter periculum Gallorum feliciter defensum instituta esse, Rangabaeus haud male coniecit.

Pereenses praeter sacra communia utriusque ciuitatis sua quoque sollemnia egisse uidemus, ad quae Melitaeenses pecuniam contulisse memoria dignum est.

Mireris autem ad hoc sacrificium non plus quam 5 stateras decerni, quibus ne unum quidem bouem, sed ouiculam fere comparare poterant Pereenses, si uera sunt quae de pecorum pretiis Boeckhius exposuit (Oec. p. Ath. I[1] 80 sq.). Qua re subsidii loco hanc certe pecuniam Pereensibus datam, hostiam autem ipsam aliunde comparatam esse suspicer. — Itaque de ceteris sumptibus similiter iudicabimus.

Summa igitur eorum quae Pereensibus quotannis soluere iubentur Melitaeenses, est staterum 175 (fere 385 M.). Nec tamen haec summa omnium est quae ex aerario communi accipiebant. Praeterea enim constituitur, ut ceteros quoque sumptus publicos Pereensium Melitaeenses curent, i. e. ut si ad alias administrationis partes subsidiis egeant, haec eis, sicut

---

[1] CIG 1587 = Le Bas, Béotie 585.
[2] CIG 1536 = Le Bas, Péloponnèse 331 = Dittenb. Syll. 210.
[3] Plut. Arat. 53.
[4] CIA II 315 = Dittenb. Syll. 386.
[5] Bull. de Corr. hell. IV 471 sqq.
[6] ibidem p. 327 = Dittenb. Syll. 155.
[7] Cf. Dittenb. Syll. 149. 150. De Soteriis Bithynorum v. Polyb. IV 49, 3.

antea fieri solebat, ex aerario communi soluantur. De quibus arbitri certius nihil constituerunt, cum de his non litigaretur.

§ 7. 8. Proxima arbitrii pars grauissimi ad sympolitiae rationem cognoscendam momenti est. Decernunt enim arbitri, ut legibus Melitaeensium Pereenses utantur, causae autem Pereensium quae ad aedilium iurisdictionem pertineant, eae scilicet quae e commercio forensi oriantur, quarto quoque mense aediles Melitaeenses in Peria diiudicent. Grauissima igitur sympolitiae condicio a Pereensibus ad incertum reuocata erat. Quam arte enim inter se coniuncta esse soleant *συμπολιτεύεσθαι* et *τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρῆσθαι*, supra ostendi.

Causae inter Pereenses ortae num omnes ad Melitaeensium magistratuum iurisdictionem pertinuerint, an pars earum, non expresse dicitur: illud tamen coniecerim. Certe has de quibus agitur, nimirum paruarum rerum causas aediles Melitaeensium iudicibus non adhibitis ter per annum in Pereensium uico diiudicabant. (Cf. Aristotel. Pol. IV 13, 2). Quae maioris momenti erant, eas Meliteae a iudicio e tota ciuitate, i. e. e Melitaeensibus et Pereensibus, constituto diiudicatas esse probabile est.

§ 9. Hoc arbitrium lapidibus inscriptum poni iubetur et Meliteae et Delphis, scilicet in loco sacro, et Calydone, unde arbitri sumpti erant, et Thermi in sede concilii Aetolorum.

Testes constituuntur, nimirum ratum esse hoc arbitrium, praeter ceteros senatus Aetolorum et praesides eius. Praesides septem nominari dixit Ussingius, adstipulante Vischero (p. 374 adn. 2). Contra quam sententiam Bergkius (l. c.) septem horum hominum duos aperte *προστάτας* senatus esse, recte monuit, duos magistratus, magistrum equitum scilicet et scribam, reliquos tres priuatos esse censuit. Cuius sententiae argumentum — quod optimum esse iudico — adtulit, patronymica, quae his tribus nominibus addantur, in ceteris omitti: nimirum quoniam illi homines qui essent, magistratus nomine satis indicabatur.

Commendatur autem haec sententia eo, quod omnino probari non posse uidetur, magistratus Aetolorum senatorum numero adscriptos fuisse. Προστάτας enim e senatoribus creatos esse nemo negabit. Itaque non amplius erit, cur cum Ussingio miremur, magistrum equitum fuisse in praesidum numero, praetorem non fuisse: immo ne ille quidem erat. Tamen utrum duo fuerint senatus praesides an plures, ex hoc loco effici non potest. Munus eorum eius simile fuisse uidetur quo πρόεδροι Athenis fungebantur, praeterquam quod illi ad unum tantum diem, hi uidentur in longius temporis spatium constituti esse.

Senatus anni significatur scribae nomine. Is Λύκος est, praeter quem alius scriba commemoratur, cuius nomen in -χος desiit, quare Ἔποχος suppleuit Ussing, uel hoc uel Ἀντίοχος Bergkius. Atque Λύκον illum Ussingius et Vischerus pro eo scriba habuerunt qui apud Polybium dicitur δημόσιος γραμματεύς (XXI 32 [XXII 15] § 10), qui post praetorem et magistrum equitum tertius erat summorum sympolitiae magistratuum, hunc pro scriba senatus. Et Ussingius et Rangabaeus illum anni eponymum fuisse censuerunt. Sed errauerunt uiri doctissimi: neque enim scriba sed praetor apud Aetolos eponymus erat (Dittenb. Syll. 325. 446. 447. Wescher et Foucart, Inscr. de Delphes 1). Quo magis etiam Ussingii et Vischeri sententia de scribis reicienda et Bergkio potius adstipulandum esse mihi uidetur; qui senatum a sui scribae nomine significari censuit, postea inter testes enumerari praeter senatus praesides summorum magistratuum duos. Hunc igitur Ἀντίοχον uel Ἔποχον recte, ut mihi uidetur, Bergkius δημόσιον γραμματέα intellexit.

Testium primus dicitur Spattius esse, cuius patria nobis ignota est, alter ex Apollonia ortus: „ex Epiro, ut arbitror", addit Ussingius, quod, quamquam Rangabaeus adstipulatur, sine dubio reiciendum est. Quis enim Apolloniam illam sympolitiae Aetolorum participem fuisse umquam audiuit? Ἀπολλωνιεύς quidam, ciuis ut uidetur nostri, commemoratur etiam apud Wescher et Foucart 361, 9. Dubitare autem licet, utrum Apollonia castellum Aetolorum intellegendum sit prope Eupalium situm in Locride (a Liuio XXVIII 8 comme-

moratum), de quo Kuhnius cogitauit (p. 94 a. 63), an ea urbs quam Stephanus Byz. quinto loco adfert s. v. *ε' ἐν νήσῳ τῆς Ἀκαρνανίας μία τῶν Ἐχινάδων*. Nam has in Aetolorum potestate fuisse ueri simile est, quoniam eorum etiam Oeniadae fuerunt (inde ab Alexandri M. temporibus usque ad 219 a. C. et iterum 210 – 189 a. C. Diod. XVIII 8. Polyb. IV 65. IX 39, 2. XXI 32 [XXII 15], 14).

Mirum autem est quod de Erythris (v. 35) Aetolorum Ussingius dixit: „scriba Erythraeus, e Boeotia opinor, quamquam possis etiam de Ionica urbe cogitare. siquidem et Lysimachia et Chalcedon et Teus Aetolorum foederi adscriptae erant". Erythras in Asia sitas in Aetolorum sympolitia fuisse, numquam audiui: de ceteris cf. p. 120 sq. Boeoti autem Aetolorum sympolitiae non nisi perbreue tempus adscripti fuerunt, scil. inde ab anno 244 usque ad Demetrii regis tempora, qui regnauit 239 – 229 (Polyb. XX 5, 3). Aliter censuerunt Rangabaeus et Kuhnius (p. 112. 130), qui ad „Erythras Aetolorum, quae prope Eupalium sunt" (Liv. XXVIII 8), hunc Erythraeum rettulerunt. Eandem urbem Stephanus commemorat s. v. Possis etiam de Erythris *ἐπὶ Θερμοπύλαις* cogitare (cf. Dittenbergeri Syll. 190. Mitth. d. arch. Inst. z. Athen. IV 1879 p. 206 sqq.).

Ethnicum *Ἑρμάττιος* quo referendum sit nescimus; legitur etiam apud Wescher et Foucart 178 v. 4, ubi itidem Aetolus est Lycus quidem Hermattius. Ceterorum testium unus est Pleuronius, unus Naupactius, unus Heracleensis, ex Heraclea Trachinia nimirum, quam ol. 125, 1 = 279 Aetoli sibi adiunxerant (Paus. X 21, 1. cf. c. 23, 9).

Restat ut condiciones sympolitiae Melitaeensium et Pereensium quae ex nostro titulo effici possunt, paucis uerbis complectamur.

Omnes Pereenses ciuitatis iure integro Melitaeensium usos esse, ex comparatione ceterarum sympolitiarum constat. (Cf. p. 100. 119 sq. et tituli Stiriensis v. 10 sq.) Item legibus Melitaeensium utebantur Pereenses. Fines autem utriusque ciuitatis separati erant, praeterquam quod agri publici Pereensium possessione fruebatur tota ciuitas. Quod

ad res externas adtinet, Pereenses ciuitatem separatam non habebant[1], immo hae duae ciuitates in unam coniunctae erant, quae etiam unius membri sympolitiae Aetolorum locum obtinebat. Σύνεδροι igitur communis ciuitatis nomine ad senatum Aetolorum delegabantur, itidemque tributum e communi, i. e. e Melitaeensium, aerario soluebatur.

Minus constat ex hoc titulo de iuribus quae separata Pereenses retinuerint. Archontes quidem eorum uici magistros potius quam magistratus dicas, neque potestatem his magnam fuisse conicias, quippe qui mercedem acciperent, quam accipere magistratus Graecos prorsus insolitum est. Munus igitur archontatus Pereensium erat non honos, quoniam administrationis quidem negotia curabant, omnia autem quae maioris momenti erant, a comitiis uel Pereensium uel totius ciuitatis eiusque magistratibus decernebantur.

Iurisdictionem archontes Pereensium non habuisse uidentur: immo paruae causae ab aedilibus (ἀγορανόμοις) Melitaeensium diiudicabantur, maiores uidentur apud magistratus et iudicia Melitaeensia actae esse.

Reditus publicos quosdam certe Pereenses habebant, nam aes alienum suo nomine contraxerant, et usuras eius soluere iubentur. Sed certa uectigalia uel tributa quae apud Pereenses exigebantur, uelut merces agri publici locati, ad aerarium Melitaeensium redibant. E quo inuicem subsidia ad certas quasdam administrationis partes Pereensibus soluebantur. Atque similem iuris rationem etiam inter Stiriorum et Medeoniorum ciuitates sympolitia coniunctas intercessisse infra uidebimus. Itaque aeris alieni communis usurae e Melitaeensium aerario, ad quod Pereenses illo modo conferebant, soluebantur.

Sacrorum publicorum Melitaeensium quin Pereenses participes fuerint, quippe qui ciues Melitaeenses essent, non est cur dubitemus. Praeterea autem, ut solebant tribus et δῆμοι ciuitatium Graecarum, sua quoque sollemnia agebant.

---

[1] Euromeos sympolitia cum Mylasensibus coniunctos, rerum externarum suo nomine expertes deprehendimus in titulo Mylasensi Le Bas, Asie min. 394 (II a. Chr. saeculo?).

IV. DE STIRIORUM ET MEDEONIORUM SYMPOLITIA.

Pactum publicum quo Stirii et Medeonii, ciuitates Phocicae, sympolitiam inter se fecerunt, exstat in titulo duobus eiusdem lapidis lateribus inscripto, quem inuenit anno 1880 et commentario accurato instructum publici iuris fecit Mondrius Beaudouin (in Bull. de Corr. hell. V 1881 p. 42 sqq.), repetiit addita quorundam locorum interpretatione Dittenbergerus (Syll. Inscr. Gr. 294).

Θ]εὸς τύχαν ἀγα||[θ]άν.

1\. *Στραταγέοντος | [τ]ῶν Φωκέων Ζευξίου | [μ]ηνὸς ἑβδόμου. Ὁμολο[γ||ί]α τᾶ πόλει Στειρίων καὶ | [τᾶ] πόλει Μεδεωνίων.*

2\. *Συ[ν|ε]πολίτευσαν Στείριοι κα[ὶ | Μ]εδεώνιοι ἔχοντες ἱερά, πό||[λι]ν, χώραν, λιμένας πάντα || [ἐ]λεύθερα ἐπὶ τοῖσδε·*

3\. *Εἶμεν | [τ]οὺς Μεδεωνίους πάντας | [Σ]τιρίους ἴσους καὶ ὁμοίους, | [κ]αὶ συνεκ(κ)λησιάζειν καὶ συ|ναρχοστατεῖσθαι μετὰ τᾶς || [πό]λιος τῶν Στιρίων καὶ δικά||[ζε]ιν τὰς δίκας τὰς ἐπὶ πόλι||[ο]ς πάσας τοὺς ἐνικομένους | [τ]αῖς ἁλικίαις.*

4\. *Ἱστάνθω δὲ κα[ὶ | ἱ]εροταμίαν ἐκ τῶν Μεδεω||[ν]ίων ἕνα τὸν θυσέοντα τὰς | θυσίας τὰς πατρίους Μεδεων||[ί]οις ὅσαι ἐντὶ ἐν τῷ πολιτικῷ νόμ[ῳ, | μ]ετὰ τῶν ἀρχόντων τῶν στα||[θ]έντων ἐν Στίρι. λανβανέτω || [δ]ὲ ὁ ἱεροταμίας ἀργύριον ὃ [τοὶ | ἄ]ρχοντες ἐλάμβανον, ἡμι||[μ]ναῖον καὶ τῶν χοιῶν τὸ ἐπ[ι|β]αλὸν τῷ ἱεροταμίαι.*

5\. *Συνδι||[κ]αξεῖ δὲ ὁ ἱεροταμίας μετὰ||[τ]ῶν ἀρχόντων τὰς*

δίκας ἃς | [τ]οὶ ἄρχοντες δικάζοντι, καὶ | [κ]λαρωσ(ε)ῖ τὰ δικαστήρια ἅ κα | δέη κλαρώειν μετὰ ⟨τα⟩ τῶν ἀ[ρ]||χόντων.

6. *Μὴ ἔστω δὲ ἐπάναγ||[κ]ες λειτουργεῖν τοὺς Μεδε|ωνίους ἐν Στίρι τὰς ἀρχὰς ὅσοι | γεγένηνται ἐν Μεδεῶνι ἄρ|χοντες, ξενοδίκαι, πρακτῆρες, | δαμιουργοί, ἱερεῖς, ἱεράρχαι, καὶ || τᾶν γυναικῶν ὅσαι ἱερητεύ|κατι, εἰ μή τις ἑκὼν ὑπομένοι· | ἱστάνθων δὲ ἐκ τῶν ἀλειτου|ργήτων τῶν Μεδεωνίων κ|αὶ ἐκ τῶν Στιρίων.*

7. *Δαμιουρ||γεόντων δὲ καὶ τὰ ἐν Μεδε||[ῶνι ἱ]ερὰ καθὼς ὁ πολιτικὸς νό|μος κελεύει.*

8. *Καὶ τὰν χ[ώ ρα]ν τὰν Μεδεωνίαν εἶμεν | [π]ᾶσαν Στιρίαν καὶ τὰν Στι||ρίαν Μεδεωνίαν, κοινὰν π[ᾶ|σα]ν.*

9. *Κοινωνεόντω δὲ οἱ Μεδε||[ώ]νιοι τᾶν θυσιᾶν τᾶν ἐν Στί|ρι πασᾶν, καὶ τοὶ ⟨τοι⟩ Στίριοι τᾶν ἐν Με|δεῶνι πασᾶν.*

10. *Μὴ ἐξέστω δὲ ἀποπολιτεύσασται τοὶ[ς] | Μεδεωνίους ἀπὸ τῶν Στιρί||[ων], μηδὲ τοὺς Στιρίους ἀπὸ | [τ]ῶν Μεδε|ωνί|ων· ὁπότεροι ||[δ]έ κα μὴ ἐμμείνωντι ἐν τοῖ||[ς] γεγραμμένοις ἀποτει|σάντων τοῖς ἐμμεινά[ν]||τοις ἀργυρίου τάλαν|τα δέκα.*

Latus b.

- . . . . *π]οιεόντων.* ||

11. *[Γ]ραψάντων δὲ τὰν ὁμ[ο]||λογίαν ἐν στάλαν καὶ ἀν[αθέ]||ντων ἐν τὸ ἱερὸν τᾶς Ἀ[θαν]||ᾶς, θέστων δὲ τὰν ὁμο[λογί]αν καὶ παρὰ ἰδιώταν ἐσ[φρα]||γισμέναν· ἁ ὁμολογία π[αρὰ] | Θράσωνα Λιλαιέα.*

12. *Μάρ[τυ]||ρες Θράσων Δαματρίου Ἐ|λατεύς, Εὐπαλίδας Θρά|σωνος Λιλαιεύς, Τιμο||κράτης Ἐπινίκου Τιθορρε|ύς.*

13. *Δόντων δὲ τοὶ Στίριοι | τᾶ φατρία τῶν Μεδεωνί|ων ἐν ἐτέοις τεττάροις | ἀργυρίου μνᾶς πέντε κα[ὶ || τ]όπον τὰν καλειμέναν [Δ]α[μα]τρείαν (?).*

Hic titulus cum iam ab eis quos supra nominaui uiris doctis illustratus sit, neque difficultates quae ad singulas res pertineant, multae insint, breuiore quam ceteri indiget explicatione.

Exemplum exhibet, ut supra significaui (p. 107), eiusdem rei quae in titulo Melitaeensi occurrit, scilicet ciuitatium duarum quae et sympolitiae maioris quam *ἐθνικήν* appellabant,

Phocensium nimirum participes sint, et artiore sympolitia inter se coniungantur.

Quapropter non ante sympolitiam Phocensium restitutam hoc pactum factum esse recte monet Beaudouinus (p. 53). Phocicas autem urbes a Philippo dirutas (345 a. C.) paullatim restauratas atque ciuitates ante pugnam Chaeronensem restitutas esse Pausanias tradidit (X 3, 2). Ex eodem loco nescio an efficiendum sit, anno 338 etiam sympolitiam inter Phocenses fuisse. Quam fuisse anno 323 constat[1]. Postea ciuitates Phocensium pleraeque alia post aliam in Aetolorum sympolitiam concessisse uidentur, cum in actis Amphictyonicis quibusdam duo suffragia Phocensium recenseantur (Dittenb. Syll. 184. 185), in quibusdam unum (ibidem 186—189), quorum titulorum illos (184. 185) Dittenbergerus anno 229 antiquiores, hos intra annum 228 et 216 scriptos esse iudicat[2]. Quae utut sunt, Phocensium pars etiam anno 219 cum Macedonum rege erat societate coniuncta contra Aetolos, qui eo tempore Daulin et Ambryssum expugnare conabantur (Polyb. IV 25, 2). Certe circa idem tempus ciuitates Phocicas quasdam sympolitiae Aetolorum participes fuisse testatur Polybius (XVIII 47, 9). Proximo autem anno (ibid. V 24, 12. 26, 1. 16) Philippus Phocensium urbes complures cepit et usque ad annum 197 in sua potestate retinuit (ib. XVIII 10, 4), scilicet Elateam (Polyb. l. c. Pausan. X 34, 3. 4), Lilaeam (Pausan. X 33, 3), Anticyram (ib. 36, 6), Phanotum (Polyb. V 96, 4); in quarum numero etiam plures fuisse uidentur, uelut Daulis, siquidem hieme 195/4 Delphus quidam Apollini uendit mancipium quod dicitur *Φωκὶς ἐγ Δαυλίας*, quod fieri uix potuisset, nisi aliquot annis ante hostes inter se fuissent Delphi et Daulienses. Plygoneos autem non minus quam Delphos etiam ante annum 198 Aetolos fuisse, mox ostendam. Aliae ciuitates Phocicae usque ad annum 200 Philippo fortissime restitisse (Polyb. XVI 32), sed tandem omnes fere aut in Macedonum aut in Aetolorum dicionem uenisse uidentur. Tum

---

[1] Dittenb. Syll. 118 = CIA II 184. Diod. XVIII 9, 5. 11, 1. Cf. etiam Pausan. X 20, 3.

[2] Adn. 1 ad titulum 184.

Flamininus quamquam in contione Isthmiaca Phocenses, Locros, alios libertate se donare praedicauit (XVIII 46 [29], 5), paucis diebus post Aetolis concessit, ut Phocenses et Locros sympolitiae participes facerent ita, ut antea fuissent (XVIII 47, 9). Atque re uera annis proximis Phocensium quosdam Aetolos fuisse comprobatur titulis Delphicis qui acta manumissionum ab hominibus Phocensibus factarum continent, cum eis praetorum Aetolorum nomina praescripta sint.

Horum titulorum quosdam collegit Buecherus (De gente Aetolica Amphictyoniae participe p. 33 sqq.), quibus etiam nonnulli addi possunt. Plygonei igitur praetorem Aetolorum praescribunt titulis (qui sunt apud Wescherum et Foucartium 407. 384, item Bull. de Corr. hell. V p. 410 n. 16) ante annum 198, (W. et F. 337) 197 a. C., (380. 385) 196 a. C.. (328. 346) 195 a. C., (404) 193 a. C.; — Daulienses (304) a. C. 193; — Tithronii (*Ἐχεδαμιεῖς ἐν Τειθρωνι κατοικέοντες* 318) a. C. 194 mense Heraeo; — Ambryssii (Bull. V p. 414 n. 24 = W. et F. 453) hieme 194/3; — Delphi (Le Bas II 937?, CIG 1702) ante a. 198, (W. et F. 376) a. C. 197, (310) a. C. 195, (329) hieme 195/4, (324) hieme 192/1, (Bull. l. c. n. 17) hieme 195/4, (ib. n. 25) a. C. 193.

Testimonium quo sui iuris rursus fuisse Phocenses appareat, nullum antiquius inueni quam decreta Amphictionum duo autumni 194 (Dittenb. Syll. 206. Bull. de Corr. hell. VII 421 n. IV). Tamen cum etiam paullo post hoc tempus Plygonei, Daulienses, Tithronii, Ambryssii, Delphi in Aetolorum potestate fuerint, ut supra uidimus, non omnes statim ciuitates Phocicae sympolitiae Phocensium participes factae esse uidentur, ita ut dubitatio relinquatur, utrum haec anno 196, an 195 uel 194 restituta sit. Veri similius tamen anno 196 illud factum esse iudico. Acta manumissionum quibus praetor Phocensium praescriptus sit, mihi non innotuerunt anno 178 antiquiora. E quibus titulis apparet fuisse sympolitiae Phocensium participes Tithronios (W. et F. 312. 128), Lilaeenses (312 et aliis), Ambryssios (412. 222. 122), Phanotenses (105. 122. 50), Tithorrenses (105. 35), Stirienses (62), Hyampolitas (212. 82), Elatenses (53. 47), Drymeos

(47), et siquidem etiam fideiussores e sympoliticis potissimum ciuitatibus sumebantur, Anticyrenses (47)[1].

Quae cum ita sint, restat ut quaeramus, utrum prioris an posterioris sympolitiae Phocensium tempori hic titulus adtribuendus sit. Atque litteratura saeculi alterius potius quam tertii esse uidetur. Accedit (ut docuerunt Beaudouinus et Dittenbergerus) quod eius qui huius pacti custos fit (v. 71), Thrasonis Eupalidae f. Lilaeensis, nomen legitur in titulo Delphico anni a. C. 168 (W. et F. 81) et in altero quodam, qui anno 158 uetustior non est, quippe in quo sacerdos Andronicus commemoretur. Huius filius uel pater est testium unus (v. 73: *Εὐπαλίδας Θράσωνος Λιλαιεύς*); alterius testis qui in hoc titulo appellatur, Thrasonis Demetrii f. Elatensis nomen in eodem titulo anni 168 occurrit. Hos igitur cum suo iure Beaudouinus pro eisdem hominibus habuisse uideatur, intra annos a. C. 196 uel 194 et 146 titulum scriptum esse sumamus.

Nam quod Dittenbergerus artioribus finibus hoc spatium determinauit, ideo quod ciues Medeonii commemorantur in titulis Delphicis annorum 194 (Bull. V p. 412 n. 20), 192 (W. et F. 402), 182 (W. et F. 392. 436), neglexit uir doctissimus tres fuisse Medeones, scilicet praeter Phocicam alteram in Boeotia (Steph. Byz. s. v. Strabo IX p. 410), tertiam in Acarnania (Polyb. II 2. 3). Atque sit quidem Phocensis mea pace Cratinus ille Medeonius qui testis loco fungitur in manumissione hominis Physcensis anno 194. Ceteros autem dubites quo referas. De quibus omnibus unum est iudicium, siquidem Xenocrates ille qui commemoratur et in titulo 392 et 402 et 436, ciuis est illius Medeonii cui testimonium praestat in 392. Hi autem qui in titulis 392. 402. 436 occurrunt Medeonii, anno 182 Aetoli fuisse uidentur, cum custodem libelli eligant Amphissensem (392), — Amphissa enim illo tempore in Aetolorum potestate erat, — et Xenocrates testimonium praestat homini Calydonio (436). Vades enim et testes, ut significaui,

---

[1] Denique posterioribus saltem temporibus sympolitiae participes deprehendimus Charadraeos (Curtius, Anecd. Delph. 27 = Le Bas II 899).

fere semper e ciuitatibus sympoliticis sumptos esse deprehendes, si titulos Delphicos perlustraueris. Quare si Phocensium Medeoni hos uiros adtribuas, memineris inde sequi, in Aetolorum potestate fuisse anno 182 hanc ciuitatem. Quod neque fieri potuisse nego, neque factum esse affirmo. Quare huius tituli aetatis terminos quos supra significaui, statuisse satis habeo.

Multo minus certo de causis huius ciuitatium Stiriorum et Medeoniorum coniunctionis iudicare licet, quamuis eis quae modo exposui, polliciamur, ut cum Medeoniorum ab Aetolis ad Phocenses transitione hoc pactum coniungamus, praesertim cum Magnetes eodem modo a partibus Aegyptiorum in fidem regis Seleuci reductos esse meminerimus.

Iam ad tituli interpretationem adgrediamur.

Q. B. F. F. Q. S.

1. Praetore Phocensium Zeuxia mense septimo, pacto conuento inter ciuitatem Stiriorum et ciuitatem Medeoniorum,

2. sympolitiam inter se fecerunt Stirii et Medeonii, sacra, urbem, agros, portus omnia libera retinentes[1] his condicionibus:

3. Ut Medeonii omnes ciues Stirii sint integro atque aequo iure, et comitiorum participes fiant, et magistratus eligant una cum ciuitate Stiriorum, et causas quae coram ciuitate aguntur, una cum Stiriis diiudicent omnes qui aetatem legitumam adepti sint.

4. Quaestorem sacrorum eligunto e Medeoniis unum qui sacrificia publica faciat more maiorum Medeoniorum, quotquot lege publica (Medeonia) fieri iubentur, una cum archontibus Stiriorum. — Atque accipito quaestor sacrorum portionem[2] horum sacrificiorum eam quam archontes Medeoniorum antea accipiebant, scilicet dimidiae minae (circ. 54 M.), et libamentorum quantum ad quaestorem sacrorum pertinet.

[1] Cf. p. 136.
[2] Cf. Beaudouin p. 48 sq. Dittenb. adn. 7.

5. Causas quas archontes Stirii diiudicant, quaestor sacrorum una cum archontibus diiudicato, et quae iudicia sortienda sunt, ea una cum archontibus sortitor.

6. Ne magistratibus fungi Stiriis cogantur Medeonii quicumque Medeone archontatum, praeturam inter peregrinos. exactorum administratorumue munera, sacerdotia, pontificatum gesserunt, neue mulieres quaecumque sacerdotia gesserunt, nisi quis ultro suscipiat. Sed eligunto ex eis Medeoniorum qui immunes adhuc fuerunt, et e Stiriis.

7. Sacra administranto etiam Medeonia quomodo lege publica (Stiria) administrari iubentur.

8. Et ager Medeonius totus Stirius esto, et ager Stirius Medeonius esto, communis iuris uterque.

9. Participes sunto Medeonii sacrificiorum quae Stiri fiunt omnium. et Stirii eorum quae Medeone fiunt omnium.

10. Ne liceat secedere Medeoniis a Stiriis, neue Stiriis a Medeoniis. Utra autem ciuitas pacto non steterit, ei quae steterit pacto, soluito argenti talenta decem (65 300 M.).

11. Tabulae lapideae inscriptum ponunto hoc pactum in templo Mineruae, item deponunto pacti exemplar apud priuatum aliquem sigillo munitum. — Depositum est apud Thrasonem Lilaeensem.

12. Scribendo adfuerunt Thrason Demetrii f. Elatensis, Eupalidas Thrasonis f. Lilaeensis, Timocrates Epinici f. Tithorrensis.

13. Danto Stirii phratriae Medeoniorum intra annos quattuor argenti minas quinque (c. 540 M.) et fundum quae dicitur Damatrea (?).

Quas condiciones cum respicias, iam omnium princeps est haec, ut Medeonii omnes ciues Stirii fiant. Atque quo modo differat hac lege sympolitia Stiriorum et Medeoniorum a sympolitiis eis, quae prorsus aequis condicionibus fiebant ita, ut ne in nomen quidem alterius ciuitatis altera concederet, supra exposui (p. 8). A Smyrnaeorum autem et Magnetum pacto haec sympolitia diuersa est ita, ut Medeonii phratriae Stiriensis locum obtineant (v. 77), cum Magnetes in tribus Smyrnaeorum distribuantur.

Atque leges publicas Medeoniorum hac ipsa condicione tolli, ita ut Medeonii legibus Stiriis adstringantur, quamquam non expressis uerbis dicitur, tamen intelleges, cum quam arte inter se coniuncta esse soleant συμπολιτεύεσθαι et τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρῆσθαι memineris. Qua de re eo minus dubitare licet, cum uel sacra Medeoniorum secundum leges Stirias administrari iubeantur (§ 7)[1].

Quod quidem ad res externas pertinet, Medeonii nimirum non minus quam Magnetes et Pereenses sui iuris esse desinunt. Qua re magistratus Medonii quorum fuisse uidetur has res una cum populo curare, archontes scilicet, abolentur (cf. v. 26). Haec enim iam ciuitatis Stiriae erunt, scilicet magistratuum a ciuitate coniuncta eligendorum et comitiorum quae Medeonii non minus quam Stirii obeant. Tamen ne mireris in hoc titulo legem qua quicquam statuatur de ratione quae intercedat inter sympolitiam Phocensium et ciuitates hoc pacto coniunctas, nullam contineri, cum et in synoecismo Teiorum instituendo de iure Lebediorum in concilio Ionum reseruando, et in arbitrio Aetolorum de senatoribus ad concilium mittendis et de tributis soluendis accuratissime uerba fiant. Nam de hac re statuere Phocensium concilii potius quam ciuitatium ipsarum fuisse memineris.

Ceterum in initio huius tituli occurrit quaedam res, quae in ceteris de quibus diximus pactis non praedicatur, scilicet ἔχοντες ἱερά, πόλιν, χώραν, λιμένας πάντα ἐλεύθερα. Quibus uerbis Beaudouinus et Dittenbergerus censuerunt, praestare utrosque, se omnia illa quae enumerantur aere alieno non oppignorata habere. Sed si hoc concedas, quod etiam supra uidimus, ciuitates Graecas illa aetate aere alieno adeo obrutas fuisse, ut haud superfluum uideretur illud praemittere, et fieri potuisse ut Graeci uel sacra oppignorarent, quaeras tamen quomodo hoc de urbe intellegendum sit. Urbem enim ipsam pignori dari, opinor, insolitum est. Itaque cum Thucydidis uerbis supra citatis (II 15) potius haec comparem: ξυνῴκισε

[1] Legem significari Medeoniam in uersu 22 apparet; ex contrario in uersu 46 propter appositam uocem καί lex Stiria intellegenda est. Ceterum πολιτικὸς νόμος dicitur, scilicet ut discernatur ab ἰδιωτικοῖς νόμοις h. e. priuatis legibus, quae erant de sacris priuatis.

παντας καὶ νεμομένους τὰ αὑτῶν ἑκάστους, ἅπερ καὶ πρὸ τοῦ, ἠνάγκασε μιᾷ πόλει ταύτῃ χρῆσθαι. Utrisque enim uerbis reseruari uidentur iura quaedam ciuium eorum qui in alterorum ciuitatem concedunt. Atque cum illic in uniuersum dicantur sua quique retinuisse qui in ciuitatem Atheniensium recepti sint, hic cauetur, ne de sacris, urbe, agris, portubus aliisue rebus quae Medeoniorum sint, Stiriis quidquam arbitrario statuendi potestas sit neue inuicem: exempli gratia ne iura familiarum, si quae erant in sacris, populi scito tollantur; ne sedibus relictis Stirin transmigrare Medeonii cogantur; ne agri publicentur neue ager publicus ueneat; ne uectigalia in portu Medeonio instituantur quibus commercia in portum Stiriorum transferantur. Coniunguntur igitur ciuitates quidem. sed cauetur, ne altera in alterius dicionem perueniat, uelut Corinthios sympolitia facta in Argiuorum potestatem quodammodo redactos esse significat Xenophon (H. G. IV 4, 6): *καὶ πολιτείας μὲν ἀναγκαζόμενοι τῆς ἐν Ἄργει μετέχειν, ἧς οὐδὲν ἐδέοντο, ἐν δὲ τῇ πόλει μετοίκων ἔλαττον δυνάμενοι.* Cum enim non pacto ultro inito sed ui coacti Corinthii in Argiuorum ciuitatem recepti sint, iniquis condicionibus hoc factum esse consentaneum est. (Cf. Diod. XIV 92, 1.)

Neque mirum est illam rem in uniuersum sanciri, antequam pacti condiciones singulae constituantur. Nam itidem ut sympolitiae nomen, quod in ipso capite ponitur, totius pacti hoc est fundamentum. Neque repugnare huic interpretationi censeas quae statuuntur in v. 44 sq., ut a ciuitate coniuncta administrentur sacra Medeonia. Nam et § 7 uetantur Stirii contra legem publicam de illis sacris quidquam facere, et § 3 sacrificia publica imminuere. Item v. 48 sqq. ager quidem Medeoniorum Stirius fit, aeque ac Stiriorum ager Medeonius. Memineris autem etiam Pereensem agrum publicum communis iuris factum esse, neque tamen Melitaeensibus ideo permissum esse quidquid uellent de eo decernere. (Quodsi quis dicat arbitrio, non pacto sympolitico hoc statui, ei respondendum sit arbitrorum esse quid sit iuris diiudicare, non iura condere.) Immo formula ipsa qua inuicem ciuitates agros inter se communicant, argumento est, non tam ciuitatibus ipsis, quam

singulis utriusque ciuitatis ciuibus hac lege iura quaedam adtribui, scilicet praecipue ius ubicumque uelint communis territorii fundos acquirendi, tum immunitatem rerum ex altero in alterum territorium exportatarum et importatarum, deinde ius pascui [1]. Quae iura cum Medeoniis etiam ipso ciuitatis iure adtributa sint, praedicatur, ut etiam Stiriis eadem essent in agro Medeoniorum.

Quod ad cetera adtinet quae cum Medeoniis a Stiriis communicantur, ea omnia continentur formula qua in ciuitatem recipiuntur: *εἶμεν τοὺς Μεδεωνίους πάντας Στιρίους ἴσους καὶ ὁμοίους*. In quibus nominatim ius suffragii eis adtribuitur (v. 13—15), itidemque ius honorum.

Praeterea Medeoniis reseruantur duo iura, quorum alterum ad phratriam Medeoniorum ipsam pertinet, alterum ad singulos ciues. Atque de hoc iam supra uerba feci, cum similis res etiam in Teiorum et Lebediorum synoecismo occurrat (p. 37). Cauetur enim, ne ei qui magistratum uel sacerdotium Medeone gesserint, ullo magistratu Stiriensi fungi cogantur. Quod cum de Stiriis non statuatur, intellegendum est, catalogos e quibus munera Stiriorum distribuebantur, sympolitia facta sublatos non esse, praeterquam quod ei Medeonii qui muneribus functi non erant, in eis inscriberentur.

Grauissima autem omnium rerum quotquot in hoc pacto occurrunt, ex qua potissimum quid intersit inter synoecismum et sympolitiam efficias, illa est a synoecismo alienissima, qua phratriae Medeoniorum in gerenda re publica Stiriorum sua adtribuitur pars. Quamquam enim praefectos suos, sua comitia, aerarium suum etiam tribus ciuitatium Graecarum habuisse uidimus, nullus tamen his erat locus in rebus publicis gerendis. Contra Medeoniis conceditur, ut e sua phratria eligatur magistratus quidam qui una cum archontibus Stiriorum et causas eas quae ad iudicia non deferuntur, diiudicet, et iudices una cum eisdem sortiatur.

Iudicia igitur sua Medeoniorum phratria non habuisse uidetur.

Memoria autem dignum est, hunc magistratum Medeonium

[1] De *ἐπινομίᾳ* cf Boeckh ad CIG 1569. ib. 1335. 1771 sqq.

cui iurisdictio una cum Stiriis magistratibus administranda tribuitur, appellari quaestorem sacrorum (*ἱεροταμίαν*). Quo nimirum nomine significatur ad aerarium sacrum Medeoniorum curandum imprimis eum institutum esse. In rebus sacris enim quam maxima iura reseruari ciuitati quae in alteram ciuitatem concederet, moris Graecis fuisse significaui. Tenuerunt igitur hic quasi mediam uiam inter rationem rei publicae seruandam (secundum quam phratriae non proprium est magistratus habere quorum potestas ad res publicas pertineat), et seruanda iura ciuitatis quae suae libertatis parte ultro se abdicat. Nam magistratus quidem Medeonii quorum potestas ad rem publicam praecipue pertinebat, abolentur, ea autem pars quae rerum publicarum gerendarum phratriae Medeoniorum concedenda uidetur, sacrorum quaestori adtribuitur. Qui inde a tempore sympolitiae initae e Medeoniis quidem sed omnium Stiriorum suffragiis eligetur.

In eundem transferuntur officia ea summorum magistratuum Medeoniorum ad sacra pertinentia quae neque abolentur, neque magistratibus Stiriis adtribuuntur. Summa enim sacrorum Medeoniorum administratio transfertur quidem a magistratibus Medeoniis ad Stirios, ita tamen ut lege publica teneantur (v. 46), et ut in aerario curando et sacrificiis publicis faciendis quaestori sacrorum Medeonio praecipuus locus reseruetur. Quapropter is sacrificiorum publicorum portionem non solum eam quae antea ad eum pertinebat, sed etiam eam quae archontum erat, inde ab illo tempore accipiet.

Utriusque autem ciuitatis ciues participes fiunt sacrificiorum ab utraque publice faciendorum.

Phratria Medeoniorum nimirum suas res quae non ad rem publicam ipsam pertinent, suis comitiis et per suos magistros gerit. Hi autem qui fuerint praeter quaestorem sacrorum, hoc pacto non docemur. Qui quidem ante sympolitiam initam Medeone fuerint magistratus, e uersibus 38 sq. apparet. Eorum *πρακτῆρας, ἱερεῖς, ἱεράρχας* mansisse conicias. Iurisdictionem phratriae magistros non habuisse, ex eis quae supra exposui intellegitur.

Suum aerarium quin Medeonii habuerint, nemo dubitabit.

Hoc autem, cum iam redituum publicorum pars ad Stiriorum ciuitatem pertineret, ad administrationis sumptus comparandos non sufficiebat. Quapropter pacti additamento constituitur (§ 13), ut certum quoddam subsidium eis a Stiriis detur, quale etiam Pereenses a Melitaeensibus accepisse memineris. Cum autem illis quotannis certa quaedam summa soluatur, hic semel, scilicet intra quattuor annos a pacto inito, quinque minae argenteae et ager quidam publicus Medeoniis datur, scilicet phratriae nomine locandus. Atque quantum ex hoc agro quotannis Medeoniis redierit, quod nescimus dolendum est. Ceterum argenti summa, scilicet fere M. 540, pro sorte satis exigua est, si respicias Pereenses, praeterquam quod extraordinarios sumptus eorum Melitaeenses curare iubeantur, quotannis accepisse M. 385. Quare ad certam quandam rem potius procurandam has quinque minas solutas esse coniciam, quam sortis loco cuius usuris phratria frueretur.

Denique moneam, quod § 10 statuitur, ne alteri utri ciuitati liceat ab altera secedere, multa imposita eis per quos haec lex uiolata sit, hoc in ceteris pactis non occurrere, neque inter Melitaeenses et Pereenses tale quidquam pactum uideri, cum arbitri statuant, ut Pereensibus liceat, si uelint, ciuitatem a Melitaeensibus separare.

INDEX.

Corrigenda:

P. 14 l. 14 pro *χερσόννησον* lege *χερσόνησον*.

DE

PINDARI STUDIO NOMINA VARIANDI.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS RITTER

HANNOVERANUS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXV.

Darmstadtii typis G. Otto.

PARENTIBUS SACRUM

Inter poesin Graecorum epicam et lyricam cum multa alia intercedunt discrimina, tum poetae epici ad certas leges inde ab Homeri temporibus constitutas alligati non ad suum arbitrium, sed secundum priorum poetarum usum poemata scribebant, lyricis autem multo maior erat licentia in carminibus pangendis. Nam cum carmina epici argumenti eodem versu heroo *κατὰ στίχον* conscripta sint neque ullus poeta novum metrum ad eiusmodi argumentum continuo poemate depingendum adhibere ausus sit, lyrici tanta utuntur metrorum varietate, ut summae iis laudi ductum esse videatur multiplicibus variisque versibus carmina includere. Nonne a plerisque ex clarissimis poetis nomina traxerunt metra, quae aut primum aut perfectissime ab iis composita erant? Maxime autem hoc novorum metrorum studium et cupiditas in choricis conspicitur poetis. Etenim cum in ceteris poesis lyricae generibus et is, qui metrum invenerat, eodem metro saepius ad carmina pangenda uteretur, et aliis poetis, si ipsis parum sollertiae inerat, a maïoribus inventa metra usurpare liceret, carmina chorica ad unum omnia diversis inter se metris et composita sunt et componi sine dubio debebant. Itaque Pindarus, princeps lyricorum Graecorum, singulos viros, qui Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia vicerant, novis et ad has ipsas victoriarum occasiones inventis numeris celebravit nec plus semel in duobus carminibus[1] in eundem virum scriptis consilio et ratione ductus eodem metro usus est. Sed ne hanc quidem repetitionem eiusdem metri tolerandam rati plurimi ex recentioribus editoribus duo illa

[1] Isthm. III et IV.

carmina, quae in codicum parte continuata, in ceteris dirempta sunt, in unum coniunxerunt.

Cum hac, quae inter poesin epicam et lyricam intercedit, differentia nescio an arte coniuncta sit altera haec. Nam non solum metrum, sed etiam verborum delectum si spectamus, epica oratio, cum aequabilitate quadam fluat, simplicior et humilior quodammodo esse videtur quam elatio atque altitudo lyricorum carminum. Sane etiamsi ab illis complurium versuum repetitionibus recesseris, quae a posterioribus demum poetis graecis veteri Iliadi et Odysseae adiectae sunt: magnus restat numerus certarum et quasi sollemnium appellationum et locutionum, quae in illis poematis sexcenties repetitae sunt. Nam cum metrum versus heroi *κατὰ στίχον* usurpati posceret, ut aut singulae syllabae longae cum binis brevibus aut binae syllabae longae in unum pedem colligerentur, hac certa lege epici poetae facile inducti sunt, ut ad ea potissimum vocabula vocabulorumque coniunctiones, quae in versum heroum apte caderent, iterum iterumque recurrerent atque ingentem illam copiam perpetuorum, quae dicimus, epithetorum procrearent, quibus epica oratio abundat. Itaque poetae epici deum vel hominem vel rem iam supra ab ipsis nominatam denuo commemoraturi isdem fere vocabulis significare solent. Ut ex sexcentis, quae in Homeri poematis reperiuntur, exemplis unum alterumve proferam, Od. I v. 68—77 Neptunus quater eodem nomine *Ποσειδάων* appellatus est, cum Od. IX v. 345—364 Cyclopis nomen quater et Od. X v. 276—295 Circes nomen quinquies repetitum sit. Iam vero Il. III v. 16 – 37 Paris quater *Ἀλέξανδρος θεοειδής* dictus est, ita ut eodem semper epitheto apposito *μονοτονία* augeatur. Qua repetitione eorundem nominum ne taedium audientibus moverent, veriti ii poetae lyrici, qui carmina politissima arte perficiebant, ad id artificium videntur confugisse, ut deorum heroumque nomina epithetis circumscriberent atque alia quoque vocabula non raro artificiosissime variarent. Certe enim Pindari carmina tanta appellationum ubertate et variarum translationum copia abundant, ut nisi hoc nomina variandi studio vix expediri possit. Cuius arti postquam Studemundo, praeceptore meo carissimo, suadente et impellente per longius temporis

spatium operam impendi, hanc certam legem a Pindaro observatam esse intellexi, cuius memoriam homines docti nondum resuscitasse videntur ad ingentem illum epithetorum et circumscriptionum numerum explicandum, quo Pindari oratio conspicua est. Qui non modo nunquam verbum, quod aliquam in enuntiato vim haberet, bis vel saepius intra eandem stropham epodamve posuit, sed etiam cum diligentissime caveret, ne intra idem strophae antistrophae epodi systema eadem vox vel dictio repeteretur, circumlocutionibus vel epithetis pro nominibus ipsis plerumque uti maluit.

Hanc igitur legem accuratius hac commentatione considerare operae pretium videtur esse.

§ 1.

Ac primum quidem videamus, quatenus poeta caverit, ne locum, ubi victor celebrandus in certaminibus victoriam adeptus erat, bis eodem nomine appellaret. Quod maxime ex tribus primis carminibus Olympicis intellegi potest, quippe in quibus res OLYMPICAE de industria ac studio quodam expositae sint. Ita in carmine Olympico primo postquam in v. 7[1] ab ipso nomine Olympiae initium cepit, in v. 18 Pindarus eundem locum Pisam appellavit, cum in uno systemate ad idem vocabulum recurrere nollet. Pisa enim urbs Olympiae vicina iam anno quingentesimo septuagesimo post diuturnas pugnas ab Eleis erat deleta neque hi patiebantur novam urbem aedificari. Posteri autem poetae utraque ratione confusa et mixta nomen illud servabant ad Olympiam significandam. Sed iam videamus cetera. In v. enim 20, ubi de Pherenico agitur, qui equus Hieroni regi victoriam comparaverat, pro nomine Olympiae Pindarus canens „*παρ' Ἀλφεῷ σύτο*“ (prope Alpheum cucurrit) substituit fluvium, qui proxime Olympiam praeterfluit. Quid? quod statim in v. 24 *λάμπει δέ Fοι κλέος ἐν εὐάνορι Λυδοῦ Πέλοπος ἀποικίᾳ* (splendet autem eius [Hieronis] gloria in praestanti viris Lydi Pelopis colonia) novo artificio Olympiae nomen redditum est? Ubi

[1] Numeri adiecti sunt secundum editionem Mommsenianam minorem (1866).

Πέλοπος ἀποικία non Peloponnesus est, sed Elidis, in quam Pelops devenerat, urbs Pisa Olympiae vicina, cum praesertim Oenomaus Pelopis socer in v. 70 appelletur *Πισάτας* pater (scil. Hippodamiae). Itaque in uno eodemque systemate a versu septimo usque ad vigesimum quartum poeta, postquam initio Olympiam, ubi Hiero victoriam curulem consecutus erat, nomine proprio nuncupavit, ter regionis nomen sollerter variavit, ne semper eandem appellationem recoqueret. Iam vero, si ad finem carminis considerandum transibimus — nam in initio fere et fine epiniciorum eae res, quae ad certas, quarum in honorem composita sunt, victoriarum occasiones spectant, exponuntur — in v. 92, ubi de Pelope divino post mortem honore Olympiae culto agitur, legimus „*Ἀλφεοῦ πόρῳ κλιθείς*". Hic quidem poeta non veritus est eadem fere appellatione, qua in v. 20, Olympiam significare, cum duo interiacerent systemata inter utrumque locum. Verum in v. 111 denuo per ambages nomen reddidit, ubi verbis *παρ' εὐδείελον Κρόνιον* Olympiam contineri nemo negabit, cum Cronius appelletur collis, qui proxime Altin planitiem supra Olympiam assurgit. Quodsi versum 94 diligentius contemplati erimus, hic quoque signum Olympiae deprehendemus: *τᾶν Ὀλυμπιάδων ἐν δρόμοις* enim dictum videtur pro *Ὀλυμπίας ἐν δρόμοις*. Itaque si totum carmen uno obtutu percurrimus, cum quinque diversis inter se appellationibus unus idemque locus significatus sit: v. 7 *Ὀλυμπία,* v. 18 *Πίσα,* v. 20 *παρ' Ἀλφεῷ,* v. 24 *εὐάνορι Λυδοῦ Πέλοπος ἀποικία,* v. 111 *παρ' εὐδείελον Κρόνιον,* perspicitur, quam diligenter illam legem, qua ne nomen idem intra unum systema repeteretur, cavebatur, Pindarus observaverit. Tantum autem abest, ut hoc variandi studio ad contortum dicendi genus poeta detrusus sit, ut divino paene artificio Olympiorum scaenam tamquam ante oculos nobis ponat atque Alpheum fluvium, Altin planitiem, Cronium collem conspicere quodammodo nobis videamur.

Eodem fere modo in carmine Olympico tertio Olympiae nomen variatum est. In quo postquam v. 9 Pisa se ad victorem celebrandum impelli (*ἅ τε Πίσα με γεγωνεῖν*) ita cecinit, ut Olympiam significaret, poeta in v. 15 certaminum regionem nomine proprio introduxit, cum olivas, quibus

victores coronabantur, μνᾶμα τῶν Οὐλυμπίᾳ κάλλιστον ἀέθλων (monimentum Olympicorum pulcherrimum certaminum) diceret. Deinde in altero systemate, ubi Herculem ab Hyperboreis Olympiam olivae arborem attulisse Pindarus narrat, in v. 17—18 πάνδοκον ἄλσος dedit pro Olympia, quippe prope quam esset lucus Iovis patris; nec minus quae leguntur in v. 22 ἐπὶ κρημνοῖς Ἀλφεοῦ ad Olympiam significandam inserviunt, ubi Hercules ad Iovem patrem honorandum quinquennalia illa certamina instituit. Atque in proximo quoque versu Olympiae nomen per ambages redditum est, cum ἐν βάσσαις Κρονίου Πέλοπος idem sit atque Οὐλυμπίᾳ. Pelopis enim Olympiam sive Pisam ad Hippodamiam Oenomai filiam uxorem sibi comparandam profecti memoria revocabatur simulacris illis Oenomai et Pelopis ad equorum cursum paratorum in fastigio templi Iovis Olympici ad orientem spectante collocatis, quae a Paeonio Mendensi, si quidem Pausaniae fidem tribuimus, e marmore facta erant. Itaque in tertio quoque carmine a v. 9 usque ad v. 23 Pindarus Olympiam quinque prorsus inter se diversis appellationibus insignivit, quod cur faceret, vix habebat, nisi easdem voces in uno systemate vel in versibus vicinis repetere noluit.

Ad haec pluribus illustranda satis erit, si ex ceteris carminibus Olympicis ipsos descripserimus locos, in quibus Olympiorum regionis mentio fit. Legimus enim carminis quinti in v. 1—2 στεφάνων ἄωτον γλυκὺν τῶν Οὐλυμπίᾳ (coronarum dulcem florem Olympicarum), in v. 9 ἵκων δ' Οἰνομάου καὶ Πέλοπος παρ' εὐηράτων σταθμῶν (rediens autem Oenomai et Pelopis ab amabilibus sedibus), in v. 17 Κρόνιον ναίων λόφον; qua postrema locutione Olympiae nomen variari vel ex eo apparet, quod etiam iis, quae sequuntur, τιμῶν τ' Ἀλφεὸν εὐρὺ ῥέοντα Ἰδαῖόν τε σεμνὸν ἄντρον haec certaminum regio significatur. Simili modo in carmine octavo per ambages redditum est Olympiae nomen, ubi exstat in v. 1 Οὐλυμπία, v. 9 Πίσας εὔδενδρον ἐπ' Ἀλφεῷ ἄλσος, v. 17 πὰρ Κρόνου λόφῳ, neque minus variae circumlocutiones insunt in carmine nono. Cuius odae in v. 2 legitur Οὐλυμπίᾳ, in v. 3 Κρόνιον παρ' ὄχθον, in v. 7 ἀκρωτήριον Ἄλιδος, in v. 18 παρὰ Ἀλφεοῦ ῥέεθρον. Nam certe poeta, cum in v. 6 animum suum affatur:

σεμνόν τ' ἐπίνειμαι ἀκρωτήριον Ἄλιδος τοιοῖσδε βέλεσσιν (venerandumque impertire verticem Elidis talibus telis), ad Olympiae sive Pisae laudem celebrandam aggreditur, cum praesertim addat: *τὸ δή ποτε Λυδὸς ἥρως Πέλοψ ἐξάρατο κάλλιστον ἕδνον Ἱπποδαμείας* (quam olim Lydus heros Pelops sibi exemit pulcherrimam dotem Hippodamiae); Pelopis dotem autem Pisam fuisse iam antea docuimus.

Plura possunt afferri exempla ex carminibus Olympicis ad demonstrandum, quam variis appellationibus Pindarus certaminum Olympicorum regionem ornaverit; sed ne unum quidem reperitur, ubi ad idem nomen intra unum systema recurrat.

Transeamus igitur ad carmina PYTHICA consideranda, quae, cum ratio in iis eadem fere sit atque in Olympicis, paucis absolvi possunt. Quorum carminum in quinti v. 19 – 20 cum victor beatus praedicetur *κλεεννᾶς εὖχος ἤδη παρὰ Πυθιάδος ἵπποις ἑλών* (famosa iam ex Pythiade gloriam equis adeptus) et in hac locutione nomen Pythus iam insit, in v. 29 eo artificio redditur, ut Carrhotus Arcesilai regis auriga dicatur *ὕδατι Κασταλίας ξενωθείς* (hospitio acceptus ad aquam Castaliae). Nam cum fons Castalius ad radicem montis Parnassi profluat prope Delphos, verbis *ὕδατι Κασταλίας* Pytho ipsa significatur. Nec minus huc spectant, quae leguntur in v. 36 *ἐν κοιλόπεδον νάπος θεοῦ*. Apollinis enim, qui hic nude deus appellatur, sacram urbem Pythonem in carminis Pythici sexti versu nono Pindarus ipse *Ἀπολλωνίαν νάπαν* nominat. Cumque praeterea auctore scholiasta ad Iliad. II 519 Pythoni antea nomen *Παρνασσία νάπη* esset inditum, hic quoque *κοιλόπεδον νάπος θεοῦ* Pytho ipsa esse videtur, praesertim qua in urbe currus ille hoc loco memoratus, quo Carrhotus Arcesilai victoris auriga victoriam adeptus erat, Apollini esset suspensus atque dedicatus. Quid? in v. 39 nonne sollerter Pindarus nomen Pythus ita variavit, ut per adiectivum *Παρνάσιος* urbem significaret? Certe enim illud Parnassium tectum (*τέγος Παρνάσιον*), in quo Cretenses signum aliquod statuerant, fuit unus ex Delphicis thesauris, qui in peribolo, qui dicitur, ad Parnassum montem erant siti. Iam vero ne in v. 64 quidem poeta ad appellationem iam antea usurpatam recurrit, quam-

quam denuo Pythus mentionem facit. Nam μυχόν illum μαντήϊον, quem Apollo colit, intellegendum esse Pythonem, quippe qua in urbe esset clarissimum huius dei oraculum, nemo negabit.

Eadem diligentia Pindarum, ne Pythonem bis eodem nomine vocaret, vitasse inveniemus, si ad carmen sextum considerandum accedemus. Nam iam in v. 3 illa urbs locutione minus usitata insignitur. Ὀμφαλὸς enim ἐριβρόμου χθονός proprie quidem lapis est Delphis in sacro loco, qui medius mundi universi habebatur, positus, verum hic non ille lapis sed Pytho universe intellegenda est. Ante Pindarum autem hanc appellationem nusquam ad urbem Delphos translatam legimus, cum apud Homerum ὀμφαλός nonnisi de hominum umbilico medioque scutorum loco eminenti dicatur et semel tantum in Odyssea I 50 Calypsus nymphae insula Ortygia nominetur ὀμφαλὸς θαλάσσης. Itaque verisimillimum esse videtur Pindarum vel alium poetam lyricum primum hac locutione Pythus nomen variasse, ut maior sibi dicendi copia suppeteret. Quod si verum sit, id, quod initio statuimus, mirum in modum firmetur, cum ex hoc potissimum appareat, quibus artificiis lyrici repetitionem eiusdem nominis vitaverint. Nec minus in v. 8—9, ubi legimus ἐν πολυχρύσῳ Ἀπολλωνίᾳ νάπᾳ, Pythus nomen, ut iam antea docuimus, per ambages redditum est, cum praesertim illa urbs propter multos thesauros ibi exstructos perapte dicatur auri plena. Sed iam in v. 18 Pindarus Pythus nomen sollerter ita variavit, ut carmen suum gloriosam curru partam victoriam Κρισαίαις ἐνὶ πτυχαῖς sermonibus hominum denuntiaturum esse caneret. Neque enim Crisseae illae valles hoc quidem loco quidquam aliud esse possunt quam Delphicae convalles sive Pytho ipsa, cum certe non Crissae in urbe vicina, sed Delphis, ubi certamina fuerant, inter comissantes amicos gloria victoris Pindarico carmine celebraretur. Quantopere autem novas circumlocutiones poeta in deliciis habuerit, maxime ex eo colligitur, quod ne in v. 49 quidem priorem appellationem repetit, sed ἐν μυχοῖσι Πιερίδων (in penetralibus Pieridum) sapientiae florem a Thrasybulo victore decerptum esse praedicat. Neque enim dubitari potest, quin pro Delphis elegantissime penetralia Musarum substituta sint, quippe

quarum, ut Apollinem comitantium, sedes esset Pytho. At cum ne uno quidem huius carminis loco Pytho nomine proprio appellata sit, Pindarus his variis locutionibus non ideo, quia idem nomen repetere nolebat, sed casu usus est, sicut nos quoque, si pluribus de aliqua re agimus, non eadem usque appellatione eam notamus. Quod primo quidem obtutu rectum videri potest. Sed initio huius carminis accuratius inspecto cognoscemus in v. 5 inesse Pythus signum, cum *Πυθιόνικος* certe nihil aliud significet quam eum, qui *Πυθοῖ* vicit. Itaque hoc ipso exemplo statuisse sibi Pindarum regulam illam supra memoratam mirum in modum comprobatur, quia postquam thesaurum carminum, quibus victoris genus Delphis celebratum erat, Pythionicum appellavit, Pythus nomen, quod ei in vocabulo illo inesse videbatur, repetere veritus est.

Quocum consentiunt quae legimus in carmine Pythico decimo: in v. 4 *Πυθώ*, in v. 8 *ὁ Παρνάσιος μυχός*, in v. 15 *ὑπὸ Κίρρας πέτραν*. De adiectivo *Παρνάσιος* iam supra diximus, verum etiam verbis „sub Cirrhae rupe“ Pythonem significari loco apud Pindarum inspecto nemo negabit, cum hic de certaminibus Delphicis agatur et Cirrha urbs ab urbe Pythone proxime afuerit.

Iam quamvis omnia perlustremus carmina Pythica, nullum tamen ut investigemus continget exemplum ullius appellationis Pythus aut in stropha eadem aut in systemate eodem repetitae. In uno carmine Olympico secundo Pindarus postquam in v. 39 Pythonem ipsam commemoravit, iam in v. 49 ad idem nomen recurrit; sed cum inter duos illos locos non solum tota stropha intersit, sed etiam novi systematis initium factum sit, regula illa minime labefactatur.

Restat, ut examinemus, num Pindarus eundem dicendi modum in NEMEAEIS et ISTHMICIS carminibus servaverit; quamquam non eodem studio et amore in his, quo in odis Olympicis et Pythicis, certaminum regionem depinxit. Quod nescio utrum factum sit, quia Nemeorum et Isthmiorum aestimatio minor erat quam Olympiorum et Pythiorum, id quod Pindarus ipse significat in carminis Nemeaci decimi v. 32, an quia ipsa illa regio fluviorum et montium amoenitate

minus excellebat. Neque tamen non una alterave circumlocutio speciose ficta his in carminibus occurrit.

Sane in carminis Nemeaei alterius v. 4—5 legimus *Νεμεαίου ἐν πολυυμνήτῳ Διὸς ἄλσει* (Nemeaei in celebratissimo hymnis Iovis loco) pro nomine proprio Nemeae, quo in v. 23 demum urbs vocatur. Nec minus quarti carminis Nemeaei in v. 17 Pindarus Nemeae nomen verbis *Κλεωναίου ἀπ' ἀγῶνος* variavit, postquam in v. 9 Nemeam iam ipsam memoravit. Nam cum Cleonaeos, a quorum urbe lucus Nemeaeus non longe aberat, diu praesides ludorum ibi apparatorum fuisse ex scholiasta (p. 425 et 426 Boeckh) et Plut. Vit. Arat. c. 28 compertum habeamus, dubium non est, quin Cleonaeum illud certamen, unde coronarum sertum carmine suo victori deduci Pindarus gloriatur, Nemea intellegenda sint.

Accedit, quod carminis decimi in v. 26 Nemea nomine proprio appellata poeta ter iam victorem *σεμνοῖς δαπέδοις ἐν Ἀδραστείῳ νόμῳ* coronam adeptum esse in v. 28 praedicat. Quibus verbis urbem Nemeam contineri efficitur ex iis, quae apposita sunt, *ἐν Ἀδραστείῳ νόμῳ*. Nam cum septem illi heroes ex Peloponneso contra Thebas profecti apud Nemeam consedissent, et Archemorus, Lycurgi filius, dum Hypsipyle serva, cui curandus puer erat traditus, illis fontem ostendit, a serpente esset necatus, Adrasto Argivo auctore in pueri honorem Nemea condita esse feruntur, et certe postea quoque secundum legem ab Adrasto institutam certamina disposita putabantur. Deinde in v. 41 Pindarus denuo per ambages nomen Nemeae reddere maluit, ubi victorias maiorum Theaei enumerans exclamat: *νικαφορίαις γὰρ ὅσαις Προίτοιο τόδ' ἱπποτρόφον ἄστυ θάλησεν Κορίνθου τ' ἐν μυχοῖς καὶ Κλεωναίων πρὸς ἀνδρῶν τετράκις.* Nam victorias illas apud Cleonaeos viros partas eas esse, quas Theaei gens Nemeae adepta erat, quis non sentiet, si quidem ea, quae supra de Cleonaeorum in certaminibus Nemeaeis praesidio exposuimus, perpenderit? Consulto autem Nemeae nomen tribus his ac diversis locutionibus a Pindaro expressum esse clarissime ex eo concludi posse videtur, quod Isthmi quoque nomen quasi cum Nemea communicatum ter diversum in modum reddidit in hoc carmine, quippe quod non ad unam certamque victoriam praedicandam

scriptum sit, sed ad ἐπινίκια Argis celebranda post universas victorias, quas Theaei gens plurimas et in Nemeaeis et in Isthmicis certaminibus reportaverat. Itaque Pindarus postquam in v. 26 Theaeum et Nemeae et in Isthmo coronam cepisse narravit, in v. 27—28 accuratius exponit ter illum et in sacris campis secundum Adrasteam legem et in maritimis portis (ἐν πόντοιο πύλαισι) vicisse. Ubi ut sacri campi Nemea, ita maris portae intellegendae sunt Isthmus, per quem accessus ad mare Aegaeum non secus patet atque ad Ionium. Neque minus ubi tertium Nemeaeorum certaminum mentio fit, Isthmi quoque nomen novo artificio circumscriptum est. Nam in v. 42 per verba Κορίνθου ἐν μυχοῖς Isthmus significatur, cum Corinthus ipsa in Isthmo sita esset et Corinthii Isthmicis ludis praesiderent.

Neque tamen eadem ubique diligentia atque hoc loco, ne ad nomen antea appellatum regrederetur, Pindarus cavit. Nam cum carminis Nemeaei sexti et in v. 12 et in v. 20 Nemea nomine proprio appellata sit, quamquam repetitio non in eadem stropha fit, tamen odae huius orationem paullo minus accurate limatam esse concedendum est.

Simili modo Isthmi nomen poeta in carmine Isthmico tertio repetivisse videtur, ubi legitur in v. 11 ἐν βάσσαισιν Ἰσθμοῦ δεξαμένῳ στεφάνους (in convallibus Isthmi adepto coronas), cum in v. 20 eae, quibus hodie utimur, editiones hanc praebeant lectionem uno codice Vaticano secundo firmatam: εὐμαχανίαν γὰρ ἔφανας Ἰσθμίοις ὑμετέρας ἀρετὰς ὕμνῳ διώκειν (copiam enim aperuisti Isthmiis vestras virtutes hymno prosequendi). Sed illic agitur de Isthmo ipso, hic de certaminibus Isthmicis, et praeterea duo illi loci novi systematis initio dirempti sunt. Quodsi cum Bergkio auctoritatem codicis Vaticani secundi (B) secuti a v. 19 novum carmen ordimur, ne minime quidem Pindarus in repetitione eiusdem appellationis vitanda neglegentior videtur fuisse. Quanto enim studio alibi Isthmi nomen per ambages reddere studuerit, intellegitur ex eo, quod in eiusdem carminis v. 37—38 Neptunus, qui Melisso hanc Itshmicam victoriam tribuerit, dicitur ὁ κινητὴρ γᾶς Ὀγχηστὸν οἰκέων καὶ γέφυραν ποντιάδα πρὸ Κορίνθου τειχέων. Speciosissimo invento hic Isthmus locutione

„pons marinus ante Corinthi moenia“ insignitur, cum per Isthmum prope Corinthum situm tamquam per pontem in mari factum ex Peloponneso in Megaridem et Atticam eatur.

§ 2.

Quoniam omnibus his exemplis satis demonstrasse mihi videor in locis quidem, ubi laudanda victoria erat parta, nominandis Pindarum eiusdem appellationis repetitionem quam diligentissime vitasse, nunc videamus, num regulam illam supra memoratam in patriis quoque victorum urbibus appellandis servaverit. Quas potissimum una cum victore laudibus efferri nemini mirum videbitur, qui reputaverit veterum hominum sententia omnes cives tam arte, ut ab ea divelli nequeant, cum patria coniunctos esse.

Ac principem quidem in his locum AEGINA tenet, cum ex quadraginta et quattuor, quae nobis servata sunt, epiniciis quarta pars Aeginenses celebret victores. Praecipue autem in Nemeis, quippe quae non procul ab eorum insula haberentur, robur et virtutem suam Aeginetae praestitisse videntur; nam Nemeaeorum carminum plus quam dimidia pars in viros, qui oriundi erant ex praeclarissima illa Aeacidarum insula, scripta est. Tunc quasi auream aetatem Aeginetarum reipublicae fuisse etiam ex artis fingendi monumentis, quae initio huius saeculi reperta sunt, compertum habemus. Egregia enim illa simulacra, quae stantia illic in fastigiis templi Minervae Aeginensium heroum facta illustrare putantur, nobis monstrant, quantopere artes tum in insula Aegina floruerint. Cuius magnitudinis et splendoris, qui quidem paullo post anno quadringentesimo quinquagesimo sexto ab Atheniensibus exstinctus est, imago ad animum nostrum refertur, si Pindari epinicia perlegimus et appellationes, quibus Aegina insignitur, consideramus.

Quam eleganter carminis Olympici octavi in v. 20, ubi victor praedicatur, quia *ἐξένεπε κρατέων πάλᾳ δολιχήρετμον Αἴγιναν πάτραν* (promulgavit vincens lucta longiremem Aeginam patriam), navales opes Aeginetarum significatae sunt? In v. 25 autem et seqq. aequitatem illorum in iure exercendo

Pindarus laudibus effert, cum insulam nominat τάνδ' ἁλιερκέα χώραν .... Δωριεῖ λαῷ ταμιευομέναν ἐξ Αἰακοῦ (hanc mari munitam terram a Doriensi populo administratam inde ex Aeaco). Nempe ipse Aeacus, Aeginae heros, iustitiae laude tam clarus fuit apud omnes Graecos, ut in numero inferorum iudicum collocaretur. Nec minus in v. 51 Aeginae nomen, quamquam minus sollemniter, per ambages redditum est; nam adverbium δεῦρο hic de eo loco dictum est, de quo sermo fit, i. e. de Aegina, quam ad insulam Neptunus Aeacum Troia ope eius condita aureo curru adduxit. Sed etiamsi quis neget simplici hoc adverbio Pindarum ideo usum esse, quia nomen Aeginae repetere noluerit, — mihi quidem δεῦρο illud audacule dictum videtur, cum haec oda non Aeginae, sed Olympiae cantata sit, ut Boeckhius ostendit — tamen in ultimo carminis versu poeta Aeginae nomen artificio quodam reddidit Iovem, ut victorem et πόλιν (patriam eius urbem) benevolentia amplecteretur, implorans.

Simili modo ne ad priorem Aeginae appellationem reverteretur, Pindarus in carmine Pythico octavo vitavit, ubi legimus in v. 22 et seqq. ἁ δικαιόπολις ἀρεταῖς κλειναῖσιν Αἰακιδᾶν θίγοισα νᾶσος (iusta civitate insignis virtutes iuclutas Aeacidarum nacta insula), in v. 38 πάτραν Μιδυλιδᾶν, quorum ex gente victor erat, in v. 65 οἴκοι i. e. in victoris patria, ubi iam antea in domesticis certaminibus gloriam adeptus erat, in v. 98 Αἴγινα φίλα μᾶτερ.

Maior autem numerus variarum Aeginae appellationum in carminibus Nemeaeis inest. Quorum in quinto carmine postquam in v. 3 insula suo nomine introducta est, in v. 8 poeta victorem laudat, quod gloria decoraverit ματρόπολιν, φίλαν ξένων ἄρουραν (matrem urbem, amantem hospitum terram). Nam hospitalitate quoque Aeginetae praeter ceteros Graecos excellebant, et illud potissimum inter Aeacidas et Herculem iunctum hospitium, quod ipse Pindarus saepius celebravit (cf. Nem. VII 86 et Isthm. V 35), clarissimum erat. Deinde in v. 15 Pindarus, cum Telamonis et Pelei scelus Aeginae in insula contra fratrem Phocum commissum (cf. Apollod. III 12, 6, 11) leviter attingat, εὐκλέα νᾶσον illis post hoc facinus relinquendam fuisse narrat et in proximo versu vereri se fingit

pluribus explicare, quis deus eos ἀπ' Οἰνώνας pepulerit. Oenonam enim vetus Aeginae nomen fuisse, priusquam Iuppiter in hac insula Aeginam nympham, a qua illa novum traheret nomen, sibi coniungeret, ex Herodoto VIII 46, ex Strabone VIII p. 375, ex Pausania II 29, 2 etc. compertum habemus. Itaque in primo huius odae systemate Pindarus quattuor prorsus inter se diversis appellationibus Aeginae nomen expressit. Proxima quidem carminis pars caret similibus circumlocutionibus, cum hic non secus atque in ceteris carminibus mediis fere omnibus poeta non de victoris rebus, sed de fabula aliqua antiqua disserat, qua de re infra accuratius dicemus; sed in tertio systemate de integro quasi accedit ad laudem victoris et patriae eius. Postquam igitur in v. 41 optimo iure ab ipso Aeginae nomine exorsus est, in v. 45 victorem iam puerum aequales ad certamen progressos οἴκοι superasse praedicat reiecta vocabuli Aeginae repetitione. Iam in v. 47 πᾶσα πόλις Aegina intellegenda est, cum poeta insulae et urbis in ea sitae notiones de industria confundat. Quid? in v. 53, ubi victor, quia προθύροισιν Αἰακοῦ florum virentes tulerit coronas cum flavis Gratiis, celebratur, nonne novo quodam artificio Pindarus Aeginae nomen reddidit? Nam quamvis 'Aeaci vestibulum' templum illius herois intellegi possit, in quo Themistius victoris avus coronas Epidauricis in certaminibus acceptas suspenderat, tamen generaliter Aeginam insulam poeta significat, quae mihi quidem aptissime Aeaci vestibulum nominari posse videtur, cum hunc summum inter Aeginenses heroas certe totam per insulam sancte venerati sint. Itaque et in initio et in fine huius carminis Aegina insula quaternis atque inter se diversis appellationibus insignita est, ita ut primum quidem nomine proprio notaretur, deinde circumlocutiones pro nomine, quod repetere nolebat, poeta substitueret.

Eadem insula in carmine Nemeaeo septimo novis et variis appellationibus ornatur. Initio quidem, ubi generaliter de vera gloria, quam nisi dis faventibus homines adipisci non possint, disserit, Pindarus in transcursu Aeginae mentionem facit verbis his, quae versu nono continentur: πόλιν φιλόμολπον οἰκεῖ δορικτύπων Αἰακιδᾶν (urbem cantionum studiosam habitat

lanceis frementium Aeacidarum) neque in v. 50, ubi insulam nomine proprio affatur, pluribus verbis in laude eius praedicanda immoratur; verum in fine carminis circumlocutiones non modo inter se, sed etiam ab his, quae antea adhibitae erant, diversae cumulantur. Etenim postquam Pindarus in v. 83, ut Iovis deorum regis laus *δάπεδον ἂν τόδε* celebraretur, chorum vel se ipsum admonuit, ubi verbis *δάπεδον ἂν τόδε,* cum haec oda Aeginae cantata sit, hanc insulam significari facile perspicitur, in v. 85 Aeacum nominat *ἐᾷ*[1] *πολίαρχον εὐωνύμῳ πάτρᾳ.* Aeaci autem patria erat Aegina, qua in insula Iuppiter eum ex nympha Aegina genuerat. Huc accedit, quod poeta ad fortunam secundam victori a dis precandam transiens Sogenem, si quidem Hercules esset bonus vicinus, inter delubra huius dei domum habentem feliciter *προγόνων εὐκτήμονα ζαθέαν ἀγυιάν* habitaturum esse in v. 92 praedicit. Qui vicus iam diu a victoris maioribus obtentus certe Aegina intellegenda est, praesertim quae propter templorum multitudinem rectissime appelletur opulenta et divina, ut Muellerus monet in Aegineticorum libro p. 146.

Quamquam pluribus exemplis ex carminibus in Aeginenses victores petitis Pindarum patriae illorum nomen iterum iterumque laude affectae sollertissime variasse potest demonstrari, satis erit, si carminis Nemeaei octavi, qui huc spectant, locos protulerimus, qui cum facile intellegantur, non egent explicatione. Postquam enim in v. 6 huius odae, ubi legitur *Διὸς Αἰγίνας τε λέκτρον,* nympha pro insula nominata est, cum utramque rationem lyrici confundere et miscere soleant, in v. 7 Aeacus antiqua insulae appellatione adscita dicitur *Οἰνώνας βασιλεύς.* In v. 13 autem Aeginae nomen locutione *πόλιος ὑπὲρ φίλας,* et in v. 46 verbis *σεῦ πάτρᾳ* variatur.

Sed ut ne in ceteris quidem carminibus in Aeginetas conscriptis victoris patriam intra unum systema bis eodem nomine appellatam esse perspiciatur, etiam reliquas quae apud Pindarum leguntur Aeginae appellationes describemus. Ita legitur

---

[1] Ita scribendum esse puto cum Hermanno etc. (cf. T. Mommsen).

Nem. III v. 2—3 τὰν πολυξέναν ... Δωρίδα νᾶσον Αἴγιναν, v. 13 χώρας, Μυρμιδόνες ἵνα πρότεροι ᾤκησαν, v. 68 τάνδε νᾶσον;

Nem. IV v. 11—12 Αἰακιδᾶν ἠΰπυργον ἕδος, v. 22 Αἰγίνας, v. 46 Οἰνώνᾳ;

Isthm. IV v. 20 τάνδ' ἐς εὔνομον πόλιν, v. 30 Οἰνώνᾳ, v. 39—40 Αἴγιναν ... πάτραν διαπρεπέα νᾶσον;

Isthm. V v. 8 Αἴγιναν, v. 21 τάνδε νᾶσον, v. 65 τάνδε πόλιν θεοφιλῆ, v. 69 ἄστει ἑῷ;

Isthm. VII v. 16 Αἰγίνᾳ, v. 21 νᾶσον Οἰνοπίαν, v. 55 Αἴγιναν.

De Aegina quidem abunde expositum est. Examinemus igitur, num eandem rationem Pindarus in ceteris quoque urbibus, quarum cives propter victorias in certaminibus partas celebrantur, nominandis instituerit.

Mirum nobis videatur, quod in quattuor carminibus in SYRACUSANOS victores scriptis (Ol. I, Ol. VI, Pyth. II, Pyth. III) de illorum patria urbe Pindari praesertim temporibus florentissima nonnisi brevissime mentio fit. Quae quamquam in nulla usquam carminum parte bis eodem nomine appellata est, tamen si a locutione Ἀρέθουσαν ἐπὶ κράναν in v. 69 carminis Pythici tertii et ab appellatione Ὀρτυγία in v. 6 carminis Pythici alterius discesserimus, nullo loco Syracusarum nomen variatum est. Suspicor autem hoc ideo factum esse, quia cum tribus illorum carminum Hieronis tyranni victoriae curules celebrarentur, regis laudes magis elucere quam urbis par fuerit.

Longe aliter res se habet in carmine Olympico septimo, cum hic in RHODIO victore praedicando fabulae quoque patriae illius diligenter enarrentur. Itaque Pindarus postquam in v. 14, ut solet fere in carminum introitu, ab insulae nomine proprio exorsus est cognominibusque παῖς Ἀφροδίτας et Ἀελίοιο νύμφα additis, quanta appellationum copia sibi praesto esset, demonstravit, statim in v. 18, ubi victorem et patrem eius dicit Ἀσίας εὐρυχόρου τρίπολιν νᾶσον πέλας ἐμβόλῳ ναίοντας, nova quadam et tamquam a geographia petita locutione Rhodi nomen reddit. Nam triurbs illa insula Asiae spatiosae prope rostrum Rhodus ipsa est, quae contra Peraeam, quae dicitur, Cariae partem cunei forma in mare

prominentem sita tribus urbibus Lindo, Ialyso, Camiro excellebat. Quae urbes cum a Tlepolemo Heraclida, qui propter cognati necem Tirynthe ex patria expulsus Apolline auctore Rhodum se contulerat, conditae dicerentur, Pindarus ubi ad huius herois laudes transit, Rhodi nomen ita declinat, ut ille in v. 30 dicatur *τᾶσδε χθονὸς οἰκιστήρ*. Nam „hanc terram" Rhodum esse facile cognoscitur. Sed in v. 33—34, cum oraculum Tlepolemo ab Apolline editum explicetur, paullo obscurius oraculorum more poeta Rhodum vocat *ἀμφιθάλασσον νομόν, ἔνθα ποτὲ βρέχε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας χρυσέαις νιφάδεσσι πόλιν*. His enim verbis orationem ad vetustiorem illam fabulam Rhodiam traducit, secundum quam, cum Minerva nata esset, Iuppiter Rhodo insulae auream pluviam demisit, et Solis filii deam primi colere a patre iussi sunt, qui cum sacra minus recte fecissent, malebat Minerva Athenis habitare. Deinde postquam in v. 56 poeta, ubi antiquissimarum de insulae origine fabularum memoriam redintegrat, ad Rhodi nomen recurrit, in v. 70 victoris patria *νᾶσος* dicitur. Sed iam in v. 71 Rhodus denuo proprio nomine appellatur, ubi etsi non insula, sed nympha intellegenda est, tamen cum Pindarus de industria hanc pro illa substituere videatur, idem nomen, quod in v. 56 dreprehendimus, repetitum esse concedemus. Quamquam si totum fere systema inter utrumque locum interesse perpenderimus, Pindarum suo quodammodo iure ad priorem appellationem recurrisse profitebimur, praesertim cum circumlocutione per verbum *νᾶσος* inserta quasi excusaverit hanc licentiam. Ad postremum autem in v. 75 poeta Solis et Rhodi nepotes *πατρωίαν γαῖαν* tripertito divisisse narrans per ambages insulae nomen reddidit, cum patria terra intellegenda sit Rhodus, quam Sol, cum dei in divisione orbis terrarum absenti provinciam nullam dedissent, tum forte ex mari suborientem sibi depoposcerat.

Nunc ad considerandas ceterorum victorum patrias urbes nos convertamus, quae, postquam rationem et viam nomina variandi a Pindaro institutam satis ostendimus, brevius paullo tractari possunt: In carmine Olympico nono, quo Locri cuiusdam Opuntii victoria celebratur, OPUNTIS nomen varium in modum redditum est. Post proprium enim urbis nomen

(v. 14) habes in v. 20 *Λοκρῶν ματέρ' ἀγλαόδενδρον*, in v. 21 *φίλαν πόλιν*, in v. 41—42 *Πρωτογενείας ἄστει*, in v. 66 *πόλιν*. Quibus verbis omnibus eandem Opuntem urbem significari carmine inspecto facile intellegitur, unum si addimus, Protogeniam hoc loco Deucalionis et Pyrrhae filiam esse, quae cum parentibus Opunte habitabat et generis regum Opuntiorum auctor facta est.

Nec minus sollemniter in carmine Nemeaeo decimo Argivorum urbis mentio fit. Nam urbem in v. 2, ut in initio fere solet, nomine proprio introductam nuncupat Pindarus in v. 19 *Ἀργεῖον τέμενος* eleganter significans ARGOS, qua in urbe Hera summa religione colebatur, Iovis uxoris tamquam domum esse. Cuius deae ex necessitudine cum Argivis intercedente ea quoque ducta est appellatio, qua in v. 36 poeta Argos insignit, cum *Ἥρας τὸν εὐάνορα λαόν* (ad Iunonis fortem populum) oleae fructum, quem victor Theaeus Athenis praemium virtutis adeptus erat, in terra igni usta apportatum esse praedicat. Deinde postquam in v. 40 Argorum nomen repetivit, in v. 41 denuo victoris genus laude affecturus exclamat: victoriis enim quot *Προίτοιο τόδ' ἱπποτρόφον ἄστυ* floruit! Proetus enim cum aliis quidem fabulis Tirynthe in urbe, aliis Argis regnasse tradatur, cumque certe posteri eius diu huius urbis imperium tenerent, non potuit Argos aptius ornari quam memorata prisca illa stirpe regia.

Item in carmine Olympico altero in Theronem Agrigentinorum regem condito patriam victoris urbem modo v. 6 *Ἀκράγαντος*, modo v. 9 *ἱερὸν οἴκημα ποταμοῦ*, modo v. 14 *ἄρουραν πατρίαν*, modo v. 91 *Ἀκράγαντι*, modo v. 93 *πόλιν* dixit Pindarus. Sacrum autem fluvii domicilium dicitur ACRAGAS in v. 9, quia urbs teste ipso poeta in Pyth. XII 1 et seqq., ubi eam alloquitur: *καλλίστα βροτεᾶν πολίων . . .*, *ἅ τ' ὄχθαις ἔπι μηλοβότου ναίεις Ἀκράγαντος*, ad fluvium eodem nomine insignem sita erat.

Praeterea in carmine Olympico quinto, in quo victoris CAMARINA ex urbe oriundi laudes insunt, legitur in v. 2 *Ὠκεανοῦ θύγατερ*, v. 4 *τὰν σὰν πόλιν, Καμάρινα*, v. 8 *τὰν νέοικον ἕδραν*, v. 20 *πόλιν τάνδε*. Duabus quidem primis appellationibus poeta nympham Camarinam affatur, sed pro lubitu deam pro

urbe deae sacra nominari, ut haec maiore verborum magnificentia ornetur, iam supra ostendimus.

In carmine Isthmico primo in Thebani victoris honorem composito, ubi invenimus in v. 1 *Μᾶτερ ἐμά, χρύσασπι Θήβα*, v. 10 *πατρίδι*, v. 15 *Θήβαις*, v. 25 *ῥεέθροισι Δίρκας*, v. 58—59 *ἑπταπύλοις Θήβαισι*, quod in v. 15 et 59 ad THEBARUM nomen recurritur, cum utramque repetitionem circumlocutio interposita praecedat, mirum non est.

Paullo maior dubitatio nobis eo movetur, quod in oda Pythica quarta, qua vel longissima omnium Pindarus Arcesilai CYRENARUM regis victoriam curulem illustravit, quamquam saepius de urbe ipsa agitur, haec eodem semper nomine appellata est. Nam cum nomen Cyrenarum proprium et v. 2 et v. 62 et v. 261 et v. 276 et v. 279 deprehendamus, quod ultimo loco duo tantum versus inter easdem appellationes intersunt, molestum sane videbitur. Itaque quamvis v. 277 Pindarus novi systematis initium sumpserit, tamen concedendum est poetam non quidem discessisse a lege illa, quam eum statuisse sibi certis argumentis demonstrasse nobis videmur, sed quia Cyrenaicae fabulae — si quidem illis temporibus iam excultae erant — ei parum erant notae, nullam Pindaro facultatem fuisse urbem maiore verborum ornatu nuncupandi, nisi ad vulgares confugeret locutiones. Quae sententia eo firmatur, quod ne in proximo quidem carmine in eundem regem scripto nisi in v. 49, ubi generalem appellationem *πατρωίαν πόλιν* invenimus, Cyrenarum nomen ullo modo variatum est. In eiusdem libri oda nona quidem, ubi legitur v. 4 *Κυράνας*, v. 6 *παρθένον ἀγροτέραν*, v. 13 *κούρᾳ Ὑψέος*, v. 18 *Κυράναν*, v. 56 *εὐκλέα νύμφαν*, v. 61 *φίλας ὑπὸ ματέρος*, v. 69 *καλλίσταν πόλιν*, v. 73 *Κυράναν*, v. 91 *πόλιν τάνδε*, Pindarus non frustra maiorem dicendi ubertatem et copiam ita appetivit, ut non solum ipsius urbis laudes exornaret, sed etiam varios nymphae Cyrenes casus nempe ut conditricis artissime cum urbe coniunctae enarraret; nec tamen per omnia carmina hanc rationem sequi voluit poeta, ne eodem artificio repetito taedium moveret.

Ex ceteris urbibus exquisitioribus verbis instructae sunt hae:

HIMERA Ol. XII v. 2 Ἱμέραν εὐρυσθενέα, v. 19 θερμὰ Νυμφᾶν λουτρά;

CORINTHUS Ol. XIII v. 4—5 τὰν ὀλβίαν Κόρινθον, Ἰσθμίου πρόθυρον Ποσειδᾶνος ἀγλαόκουρον, v. 50 Κορίνθῳ, v. 59 ἐν ἄστει Πειράνας.

ORCHOMENOS Ol. XIV v. 4 Ἐρχομενοῦ, v. 19 ἁ Μινυεία.

Ubi ut Pindarus nusquam intra unum systema idem nomen repetivit, ita ne ex reliquis quidem carminibus eiusmodi repetitionis exempla afferri possunt.

§ 3.

Quoniam quam variis appellationibus Pindarus omnium fere victorum patrias urbes ornaverit, ostendimus, nunc videndum est, num in ipsis quoque victoribus laudandis, ne eodem nomine bis uteretur, diligenter caverit. Qua in re non mirabimur, si non eandem dicendi ubertatem adsecutus est, cum poeta minime potuerit nova victorum cognomina parere. At tamen hic quoque legem illam sibi statutam servavit, cum nomina propria patronymicis et locutionibus a vincendi modo petitis variaret, adeo ut exordio fere a nomine victoris proprio facto eum aliqua circuitione significaret et longiore narratione interposita easdem repeteret appellationes. Quam ad rem penitus perspiciendam non alienum videtur paucis de compositione Pindari carminum agere. Ex quo enim tempore Rudolfus Westphal veterem illum Terpandri νόμον carminum septifariam divisorum ex quodam apud Pollucem loco repetivit et hanc, quae olim antiquissimis lyricis certa lex fuerat, tamquam normam etiam ab Aeschylo in canticis atque a Pindaro in odis componendis observatam esse admirabili acumine demonstravit, dubitari non potest, quin inter singulas Pindaricorum carminum partes diligenter internoscendum sit. Atque quamquam non omnibus in odis septem illae accurate distinctae sunt partes, tamen hoc plerumque tenuit poeta praeclarissimus, ut initio carminis victoris laudes praedicaret dis immortalibus non raro gratias agens vel novam victoriam ab iis precans, deinde in media parte, quae olim nominabatur ὁ ὀμφαλός, pluribus verbis

fabulam aliquam cum patria victoris urbe vel vincendi modo coniunctam epico more enarraret, tum in fine carminis ad victoriam celebrandam reverteretur. Praeterea inter haec certa tria membra saepe minores insertae sunt particulae ad transitum faciendum, ut re vera septem illae Terpandri partes, quarum primae tres ultimis tribus respondent, in aliquot Pindari carminibus recognosci posse videantur. Conf. etiam Eduardum Luebbert de Pindaro nomorum Terpandri imitatore in programmate Bonnensi a. 1885 disputantem. Multo rarius poeta Thebanus carmina ita disposuit, ut victoris laude in mediam partem translata in initio et fine fabulam aliquam exponeret. Itaque cum plurimarum odarum initium, non solum argumentum sed etiam versuum numerum si spectamus, cum fine fere congruat, non mirabimur, si Pindarus verborum quoque delectu hanc rationem expressit. Illud igitur, quod, dum urbium appellationes consideramus, animadvertimus, sub finem carminum poetam nonnumquam ad eadem recurrere nomina, quibus initio usus sit, servata tamen semper illa regula, ne repetitio intra unum idemque systema fiat, hoc in plerisque victorum ipsorum appellationibus valere nunc videbimus.

Nam in carmine Olympico septimo Pindarus postquam in v. 13 Diagorae Rhodii victoris nomen proprium pronuntiavit, in v. 15 artificio quodam nomen reddens ideo se carmine tamquam appulisse animum ad Rhodum insulam contendit, ut laudaret *πελώριον ἄνδρα παρ' Ἀλφειῷ στεφανωσάμενον*. Nempe Olympiae ad Alphei fluminis aquas Diagoras victoriam adeptus erat. Deinde in v. 80 Diagorae nomine repetito poeta in v. 89 victorem, qui inter pugiles certaverat, *ἄνδρα πὺξ ἀρετὰν εὑρόντα* vocat. Itaque consulto et in exordio et in epilogo huius odae primum nomine proprio, deinde aliqua appellatione a vincendi modo petita usus videtur esse. Eadem fere ratio intercedit inter carminis Olympici noni initium et finem. Nam cum in v. 4 et in v. 87 Epharmosti Opuntii nomen proprium usurpetur, in v. 13-14 et v. 110 poeta per ambages nomen reddidit, illic *ἀνδρὸς κλεινᾶς ἐξ Ὀπόεντος*, hic *τόνδ' ἀνέρα* verbis usus, ut duo nomina propria et duae circumlocutiones inter se responderent. Quocum illud congruit, quod carminis Olympici decimi in v. 18 et v. 92

poeta Agesidami victoris nomine proprio utitur, sed in v. 2 et v. 99 eundem ope locutionis a patris nomine petitae Ἀρχιστράτου παῖδα dicit. Paullo pluribus victoris appellationibus abundat carmen Olympicum sextum, (v. 9 Σωστράτου υἱός, v. 12 Ἀγησία, v. 18 ἀνδρὶ κώμου δεσπότᾳ Συρακοσίῳ, v. 77 Ἀγησία, v. 80 ὦ παῖ Σωστράτου, v. 98 Ἀγησία). Cuius odae in fine quod Pindarus bis ad victoris nomen rediit, non erat cur hoc vitaret, cum non solum totum systema, sed etiam circumlocutio illa ὦ παῖ Σωστράτου inter utramque repetitionem intercedat. Praeclarissimam autem illam in v. 18 locutionem, per quam Agesias comissationis dominus et praeses insignitur, Pindarus ideo excogitasse videtur, ne in eadem semper nomina incidens taedium audientibus moveret. Ita enim de industria omnes victoris appellationes disposuisse videtur, ut nomina propria ampliore usque locutione interposita variaret.

Iam ad Pythica carmina transitum faciamus. In prima oda Hieronis Syracusanorum regis nomen non minus sollerter expressum mirabimur. Quod carmen cum ad Aetnae urbis nuper ab Hierone conditae laudes praedicandas compositum esset, ut in ipsa quoque victoria Aetnaeum se renuntiari ille iusserat, aptissime Hiero in v. 31 κλεινὸς οἰκιστήρ dicitur et in proximo demum versu suo nomine appellatur. Deinde in v. 42 Pindarus eundem simpliciter dicit κεῖνον ἄνδρα, nempe de quo sermo est, et nomen eius in v. 56 repetitum duobus versibus interpositis ita variat, ut Deinomenis filii illius mentione facta Hieronem appellatione πατέρος significet. Iam postquam in v. 62 denuo ad regis nomen proprium rediit, in v. 69 illum insignit verbis ἁγητὴρ ἀνήρ similiterque in v. 73 Συρακοσίων ἀρχῷ. Nec minus in v. 79 inest signum Hieronis, ubi victoriam apud Himeram a Poenis reportatam cum Salaminia et Plataeensi comparat Pindarus et propter illam se παίδεσσιν Δεινομένεος hymno gratiam adipisci gloriatur. Nam inter Deinomenis filios, qui Carthaginienses Himerensi proelio devicerunt, hic potissimum Hieronem significari, cum totam per odam nomen eius illustretur, facile est ad intellegendum. Itaque ne in hoc quidem carmine Pindarus nisi circumlocutione interposita ad priorem victoris

appellationem revertit neque unquam idem nomen intra unius systematis corpus repetivit, cum etiam inter versus 56 et 62, in quibus nudum Hieronis nomen legitur, novi systematis initium factum sit. Eadem diligentia hanc regulam in carmine Pythico octavo observavit, per quod Aristomenis Aeginensis, Xenarcis filii, victoria celebrata est. Etenim initio facto in v. 5 a victoris nomine proprio poeta in v. 19—20 eum nuncupat *Ξενάρκειον υἱόν*. Sed postquam in v. 33 novo quodam artificio usus evitato nomine proprio illum affatus est *ὦ παῖ* — puer enim Aristomenes Pythiis lucta vicerat —, in v. 80 nomen proprium repetit.

Iam vero in carmine Nemeaeo primo Chromii victoris nomen ter diversum in modum variatum est (v. 7 *Χρομίου,* v. 9 *κείνου ἀνδρός,* v. 20 *ἀνδρὸς φιλοξείνου,* v. 29 *Ἀγησιδάμου παῖ*). Ad postremum ut ex Isthmicis quoque carminibus nonnulla promamus exempla, odam quartam et quintam huius libri perlustrabimus, quibus in Phylacidae pancratiastae victorias scriptis et huius et Pytheae fratris, Lamponis filiorum, laudes una peraguntur. Quorum carminum prioris in v. 16—17 nomina propria fratrum occurrunt, sed in v. 19 Pindarus ea per ambages ita expressit, ut cum Gratiis se venisse *Λάμπωνος υἱοῖς* caneret. Nec secus in v. 49, ubi legimus *γενεὰν Κλεονίκου,* signum latet Lamponis filiorum, quoniam Cleonicus fuit avus Pytheae et Phylacidae. Sub finem autem carminis horum nomina ipsa in v. 53—54 repetuntur. Item in carmine Isthmico quinto, quo cum filiorum tum patris, ut qui eos ad tanta facinora educaverit, gloria exornatur, Lamponis nomen postquam in v. 3 nude positum est, in v. 16 ita variatur, ut ille dicatur *ὁ Κλεονίκου παῖς.* Nec minus victoris pater in v. 18 appellatione *ἀνδρὸς φίλου* notatur. Nam dilectum virum, cuius postulatis ut obsequantur, Pindarus Parcas ipsas precatur, Lamponem intellegendum esse vel ex eo apparet, quod paullo antea Lamponis desiderium in isdem studiis, quibus tum deditus erat, mortem obeundi expositum est. Optimo autem iure in v. 66 poeta ad nomen proprium patris recurrit.

His exemplis omnibus ostenditur, quanta appellationum ubertate Pindarus victores ornare studuerit. Uno tantum loco

in Pindari carminibus victoris nomen intra idem systema repetitum est. In oda enim Olympica tertia postquam Theron in v. 3 suo nomine nuncupatus et in v. 9 *Αἰνησιδάμου παῖς* insignitus est, et in v. 39 et in v. 43 poeta ad nudum regis nomen proprium revertitur. Hic quidem Pindarus minus diligenter versus limasse videtur, sed molestia repetitionis eo minuitur, quod non in eadem stropha fit. Ac nescio an de industria Theronis nomen in v. 43 repetitum sit, quia priore versu ultima carminis pars, *ἐπίλογος* qui dicebatur, incohata sit. Sed haec hactenus.

§ 4.

Nunc, cum de appellationibus ad victorem et victoriam spectantibus satis copiose disseruisse nobis videamur, quemadmodum deorum et heroum nomina Pindarus variare studuerit, scrutabimur. Ac profecto admirabili verborum ubertate poeta deorum laudes exornavit, cum di ipsi iis, quos diligebant, viris victoriam et in bello et in certaminibus tribuere putarentur, eamque ob rem in plurimis epiniciis pro beneficio grates iis agerentur.

Neque mirum est primum quidem locum inter omnes deos, si a Iove, qui supra ceteros est, discesserimus, APOLLINI a Pindaro tributum esse, quippe qui cum multis artibus tum musicae favere eamque ipse exercere crederetur. Cum igitur nonnullorum carminum media pars epica tota in Apollinis factis enarrandis versetur, speciosissimis inventis ac varium in modum huius dei nomen a poeta expressum est. Ita in carmine Olympico sexto, ubi exponitur, quomodo Apollo Iamidas, quorum ex gente victor oriundus erat, a se prognatos Olympiae in ara Iovis maxima oraculi praesides vatesque hereditario iure constituerit, postquam in v. 35 deus nomine Apollinis introductus est, statim in versu 36 significatur appellatione *θεοῖο*. Sollemnius Apollo in v. 41 nuncupatur *ὁ Χρυσοκόμας,* quod praeclarissimum cognomen a magnifica, quam hodie quoque in huius dei statuis admiramur, coma ductum, cum ante Pindarum Apollini inditum esse non videatur, nescio an Pindarus ipse in eum transtulerit ad

locupletandum circumlocutionum apparatum. Nam exstat quidem epitheton *χρυσοκόμης* iam apud Hesiodum in Theogoniae v. 947, sed de Dionyso dictum. Deinde in v. 49 Apollinis nomen poeta ita variavit, ut appellatione *Φοίβου* ex Homero notissima eum insigniret, nec minus *τοξοφόρος* ille *Δάλου θεοδμήτας σκοπός,* a quo ut ipsi imperium aliquod inter homines daret, Iamus petivisse in versu 59 narratur, Apollo intellegendus est. Etenim cum Delo insula, ut in qua ex Latone esset natus, deus artissimis quodammodo vinculis erat coniunctus, cumque ab antiquissimis temporibus illic summa coleretur religione, quasi custos insulam diligentissime tueri putabatur. Huc accedit, quod in v. 62 quoque delitescit signum Apollinis. Nam *πατρία ὄσσα,* quae Iamum honorem petentem Olympiam adducebat, ut Iovis sacerdos ibi fieret, est vox patris Apollinis, cui Iamus ex Euadne matre erat natus. Itaque cum triginta fere versuum spatio sex prorsus inter se diversae appellationes Apollinis contineantur, dubitari vix potest, quin Pindarus de industria hanc locutionum varietatem appetiverit, ne ad eadem nomina relaberetur. Nam potest quidem casu fieri, ut si quem saepius significare velimus, semel iterumve nomen eius variemus, sed in uno carmine temere quemquam sexies diversis, quae praesertim minus sint usitatae, appellationibus insigniri equidem persuadere mihi non possum.

Item in carmine Olympico octavo, ubi legitur in v. 31 *παῖς ὁ Λατοῦς,* in v. 41 *Ἀπόλλων,* in v. 46 *θεός,* quamquam minus saepe Apollinis mentio facta est, tamen poetam huius dei nomen variare voluisse consentaneum est. Neque in carmine Pythico primo Pindarus Apollinem bis eodem nomine introduxit, sed in v. 1 habes *Ἀπόλλωνος,* v. 12 *Λατοίδα,* v. 39 *Λύκιε καὶ Δάλοι' ἀνάσσων Φοῖβε.* Multo autem maiore copia locutionum ad Apollinem spectantium abundat carmen Pythicum tertium, ubi poena a Coronide propter infidelitatem et adulterium per Apollinem repetita enarratur. Cuius odae in v. 14 Apollinis nomen, quod ipsum in v. 11 pronuntiatur, ita variatum est, ut appellatione denuo a crinibus petita ille dicatur *ἀκειρεκόμας Φοῖβος,* neque minus in v. 15 *θεός* est signum Apollinis. Iam vero in v. 27 Pindarus Apollinis nomen bis per ambages reddidit, cum non solum *ναοῦ βασιλεὺς*

Λοξίας, sed etiam *σκοπός* ille, quem perfidia Coronidis non latuit, Apollo sit. Pindarus enim vulgatam de corvo Coronidis proditore fabulam aspernatus Apollinem ipsum omnium rerum scientem adulterium nefandum cognoscere narrat. Deinde postquam in v. 40 demum poeta ad nomen Apollinis recurrit, in v. 67 deus appellatione *Λατοΐδα* notatur. Nec minus sollemniter in carmine Pythico nono Apollinis nomen redditur, cum per hanc odam fere totam enarretur amor, quo ille Cyrenen nympham amplectebatur. Quam sollerter deus in v. 5 dicitur *ὁ χαιτάεις Λατοΐδας*! Quid? in v. 10 nonne novo quodam artificio Pindarus eum *Δάλιον ξεῖνον* nominat? Nam tamquam hospitem cum nympha ex Pelio rapta in Libyam profectum Apollinem Venus ipsa excepit et nuptias iis paravit. Iam postquam in v. 13 poeta illum appellatione *θεῷ* insignivit, in v. 26—28 deus apparet *εὐρυφαρέτρας ἑκάεργος Ἀπόλλων*. Ubi cum Pindarus elegantissime explicet, quomodo Apollo Cyrenen nympham aliquando cum leone luctantem conspicatus Chironem amicum, quae illa esset et num amore eius frui liceret, interrogaverit, in eo, qui sequitur, sermone cum Apolline instituto Centaurus hunc in v. 40 „*Φοῖβε*“ et in v. 44 „*ὦ ἄνα*“ alloquitur. Postremo in v. 64 demum poeta nomen Apollinis repetit, ubi non tam de ipso Apolline, quam de Aristaeo filio eius ex Cyrene nato agitur, qui patris et Iovis nomine gregum custos apud Graecos colebatur.

In carmine Nemeaeo nono postquam in v. 1 Apollo suo nomine introductus est, iam in v. 4 novum praeclarissimi dei signum deprehendimus. Nam *δίδυμοι παῖδες* Latonae paullo antea commemoratae Artemis et Apollo sunt. Deinde in v. 9 pro Apollinis nomine a poeta substituitur *Φοῖβος*, et in v. 53 nomen ita variatur, ut deus *Λατοΐδας* dicatur.

Haec fere sunt carmina, in quibus Apollinis nomen saepius artificio quodam redditum est. Sed ut Pindarum ne alibi quidem usquam in uno systemate ad eandem dei appellationem rediisse perspiciatur, ex ceteris quoque carminibus, in quibus quidem plus quam semel Apollinis mentio facta sit, ipsos locos afferemus. Ita legitur

Ol. VII v. 31 *ἐς θεόν*, v. 32 *ὁ Χρυσοκόμας*;

Pyth. VIII v. 18 Ἀπόλλωνος, v. 61 ἑκαταβόλε, v. 67 ἄναξ; Pyth. X v. 10 Ἄπολλον, v. 33 θεῷ, v. 35 Ἀπόλλων.

In carmine Pythico quarto (v. 3 Λατοίδαισιν, v. 5 Ἀπόλλωνος, v. 54 Φοῖβος, v. 66 Ἀπόλλων, v. 87 Ἀπόλλων, v. 176 Ἀπόλλωνος, v. 259 Λατοίδας, v. 294 Ἀπόλλωνος), quamquam in media odae parte Pindarus ter nulla circumlocutione interposita ad nomen Apollinis recurrit, tamen nunquam repetitio intra unum idemque systema fit, neque usquam minus quam duae strophae interiacent. Eandem ob causam neque in carmine Pythico quinto, ubi legitur in v. 21 Ἀπολλώνιον (ἄθυρμα), v. 37 θεοῦ, v. 56 ὁ ἀρχαγέτας Ἀπόλλων, v. 74—75 Ἄπολλον Καρνήϊε, v. 97 χρυσάορα Φοῖβον, neque in Nemeaeo quinto, ubi et in v. 24 et in v. 44 nudum Apollinis nomen exstat, molesta est eiusdem appellationis repetitio.

Simili circumlocutionum copia Pindarus usus est, ubi NEPTUNUM plus semel commemoravit, quippe cuius cum mari et rebus navalibus ratio et necessitudo ingentem cognominum cumulum suppeditaret. Itaque cum in carmine Olympico primo, quomodo Neptunus Pelopem summopere dilectum in Hippodamia uxore potiunda adiuvaret, pluribus verbis poeta persecutus sit, in v. 25—26 ille dicitur μεγασθενὴς γαιάοχος Ποσειδᾶν, sed in v. 40 eiusdem nomen per ambages redditum est. Etenim Ἀγλαοτρίαιναν Neptunum esse, quamquam nusquam alibi hoc cognomen ei inditum est, tamen cum tridens sit sollemne huius dei signum, facile perspicitur. Simili et quod apud alios poetas frustra quaeras nomine Pindarus in v. 72—73 Neptunum ornavit, cum eum βαρύκτυπον Εὐτρίαιναν diceret. Deinde postquam in v. 75 Pelopem, qui ab illo, ut sibi adesset in uxore comparanda, petivit, deum appellatione Ποσείδαον salutantem fecit, in v. 86, ne denuo idem nomen repeteretur, Neptunus simpliciter dictus est θεός. Item in carmine Olympico tertio decimo Pindarus postquam in v. 4—5 exorsus est ab appellatione Ἰσθμίου Ποσειδᾶνος, — in Isthmo enim, ubi tertio quoque anno ludi apparatissimi in honorem eius edebantur, Neptunus praecipue colebatur — in v. 39 quidem non adiecto adiectivo Ἴσθμιος ad idem nomen revertitur, sed cum unum systema et dimidium

inter utrumque locum intersit, hoc miri nihil habet. Verum in v. 66 Minerva Bellerophontem, cum habenam auream ad Pegasum domandum dormienti attulerit, admonet, ut, priusquam grave illud opus aggrediatur, *Δαμαίῳ πατρί* taurum immolet. Etenim Pindarus Bellerophontem fingit filium Neptuni ipsius, cum Glaucus illius pater inter homines habitus sit, sicut Amphitryo Herculis. Quam Neptuniam Bellerophontis originem non solum Hyginus fab. 157 confirmat, sed etiam Homerus significare videtur, qui Bellerophontem in Iliade VI 191, quamquam paullo antea Glaucum patrem eius memoraverat, tamen *θεοῦ γόνον* nominavit. *Δαμαῖος* autem Neptunus dicitur propter equos domitos, sicut alibi cognomen *Ἵππιος* ei inditum est. Postremo in v. 78 Pindarus Neptuni nomen ita variavit, ut vetere illo atque Homerico cognomine appellaret *γαιάοχον εὐρυσθενέα.*

Similiter in carmine Pythico quarto postquam in v. 33 Neptunus verbis *γαιαόχου ἀφθίτου Ἐννοσίδα* notatus est, in v. 45 mentio fit *ἱππάρχου Ποσειδάωνος,* quae mutato cognomine in v. 138, ubi legimus *Ποσειδᾶνος Πετραίου*, repetita est. Cognomine enim *Πετραῖος* Neptunus teste scholiasta apud Thessalos colebatur. Sed postquam in v. 173 Pindarus ad nomen *Ἐννοσίδα* rediit, in v. 204 deum verbis *Ποσειδάωνος εἰναλίου* compellat. In v. 207 autem Neptunus novo quodam atque aptissimo artificio dicitur *δεσπότας ναῶν.* Itaque quamquam et in v. 45 et in v. 138 et in v. 204 eodem nomine proprio *Ποσειδάων* appellatus est, tamen cognomine mutato Pindarus varietatem quandam appetivit, quae in fine carminis, in quo Neptuni saepius mentio fit, maxima est.

Huc accedit, quod Pindarus etiam in carmine Olympico sexto, ubi legimus v. 29 *Ποσειδάωνι Κρονίῳ,* v. 58 *Ποσειδᾶν' εὐρυβίαν,* v. 104—105 *χρυσαλακάτοιο πόσις Ἀμφιτρίτας*, et in carmine Olympico octavo, ubi exstat in v. 31 *εὐρυμέδων Ποσειδᾶν* et in v. 48 *Ὀρσοτρίαινα*, et in carmine Isthmico primo, ubi legitur in v. 28 *Ποσειδάωνι* et in v. 46 *Κρόνου σεισίχθον' υἱόν,* Neptunum novis variisque appellationibus donavit.

Ab hac dicendi ubertate in Apolline et Neptuno nuncupandis a Pindaro usurpata illud multum discrepat, quod ubi

IOVIS deorum principis mentionem facit, sine haesitatione idem nomen saepius repetit. Sane in carmine Olympico decimo Iuppiter et in v. 4 et in v. 24 et in v. 44 et in v. 81 et in v. 96 nomine *Διός* appellatur nulla circumlocutione interposita. Per hanc quidem odam poeta, priusquam ad eandem appellationem recurreret, semper novi systematis initium fecit; verum in carmine Nemeaeo altero, ubi et in v. 3 et in v. 5 et in v. 24 legitur *Διός*, primo loco intra unam eandemque stropham idem nomen repetitum est. Adde, quod in carminis Olympici alterius versibus 3, 58, 70, 76, 88 appellatio *Διός* exstat, cum nomine *Ζηνός* in carminis Olympici tertii decimi v. 74 et v. 88 poeta intra idem systema usus sit. Multa possunt coacervari ex Pindari carminibus exempla eiusdem repetitionis; nam in omnibus fere semel iterumve Iovis mentio facta est. Sed ob id ipsum, quia Iuppiter laudando tam saepe extollitur, Pindarus neglexisse videtur nomen eius, quod praesertim a prioribus poetis iam abunde esset ornatum, novis semper circumscribere artificiis. Accedit, quod repetitio Iovis nominis, cum monosyllabum sit aut bisyllabum, multo minus molesta est quam longiorum vocabulorum, et quod tales duarum brevium syllabarum coniunctiones, quales exstant in formis *Διός, Διί, Δία,* in plurima metra aptissime cadunt.[1] Verum ubi deum ipsum precibus aggreditur Pindarus ad animum eius movendum, aut ampliore utitur circumlocutione aut vocativo *Ζεῦ* vocem *πάτερ* addit. Ita Iovem affatur Ol. II 12 *ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας;* Ol. IV 1 *ἐλατὴρ ὑπέρτατε βροντᾶς ἀκαμαντόποδος Ζεῦ,* v. 6 *ὦ Κρόνου παῖ;* Ol. VII 87 *ὦ Ζεῦ πάτερ;* Ol. XIII 23—25 *ὕπατ' εὐρὺ ἀνάσσων Ὀλυμπίας, Ζεῦ πάτερ,* v. 110 *Ζεῦ;* Pyth. I 29 *Ζεῦ,* v. 67 *Ζεῦ τέλειε,* v. 71 *Κρονίων;* Nem. IX 28 *Κρονίων,* v. 31 *Ζεῦ πάτερ,* v. 53 *Ζεῦ πάτερ;* Nem. X 29 *Ζεῦ πάτερ,* v. 76 *πάτερ Κρονίων.* In uno carmine Nemeaeo tertio Iovem in v. 65 simplici appellatione *Ζεῦ* invocat, cum in Olympicorum carmine tertio decimo et

[1] Iam vetustum illud carmen Selinunte in Apollinis templo incisum (cf. Otto Benndorf, 'Die Metopen von Selinunt', pag. 27 et 34), cum ceterorum deorum complurium nomina epithetis circumscripta habeat, Iovem bis eadem appellatione *Δία* notat.

in Pythico primo, ubi idem invenimus, antea vel postea uberioribus verbis eum compellet. Sed etiam praeter haec exempla Pindarus nonnullis locis Iovis nomen quodammodo variavit. Legitur enim Ol. VI 5 *Διός*, v. 68 *πατρί* (scil. *Ἡρακλέος*), v. 70 *Ζηνός*, v. 81 *σὺν βαρυγδούπῳ πατρί* et Isthm. VII 18 *Ζηνὶ βασιλεῖ*, v. 23 *βαρυσφαράγῳ πατρί*, v. 27 *Ζεύς*, v. 35 *Ζηνί* et *Διός*.

Iam locum codicum auctoritate minus firmatum examinabimus. Etenim CRONOS postquam carminis Olympici alterius in v. 70 suo nomine commemoratus est, in v. 76 dicitur *πατὴρ Διός*. Ubi cum codices certam probabilemve lectionem non praebeant, haec Mommseni coniectura aptissima videtur. Eo enim, quod Boeckhius scripsit *πατὴρ Κρόνος*, molesta efficitur repetitio eiusdem nominis, quod in v. 70 praecedit, et quamquam, si Mommseni coniecturam recipimus, nomen *Διός* in isdem illis versibus repetitur, tamen cum hoc saepius Pindaro placuisse supra docuerimus, haec lectio nullam habet difficultatem. Certo autem in proximo versu poeta Croni nomen per ambages reddidit, cum ille *πόσις ὁ Ῥέας* nominatus sit.

Porro in carmine Olympico septimo, per quod in Rhodo victoris patria celebranda SOLIS quoque cum hac insula arte coniuncti laus praedicatur, in v. 14 quidem Pindarus hunc deum nomine propio *Ἀελίοιο* appellavit, sed in v. 39 eiusdem nomen ita variare maluit, ut cognomine a patre Hyperione Titane petito, quod Homerus praeoccupavit in Odyssea XII 176 (cf. I 8), *φανσίμβροτος δαίμων Ὑπεριονίδας* diceretur. Deinde postquam in v. 58 suo iure ad appellationem *Ἀελίου* recurrit poeta, in v. 60 Solem nuncupavit *ἁγνὸν θεόν*. Nec minus in v. 70—71 *ὀξειᾶν ὁ γενέθλιος ἀκτίνων πατήρ, πῦρ πνεόντων ἀρχὸς ἵππων* Sol intellegendus est. Qua locutione quam eleganter significatur radiorum et lucis ab aureo Solis curru origo!

Quid? in carmine Nemeaeo decimo, ubi DIOSCURORUM post praeclaram cum Apharei filiis pugnam apotheosis celebratur, nonne nobilissimorum illorum fratrum nomina sollertissime variata sunt? Nam initio facto in v. 38 ab appellatione *Τυνδαρίδαι*, qua poeta Dioscurorum a Tyndareo ortum, propter

quem alter eorum immortalitatis expers factus erat, significat, in v. 49—50 fratres suis nominibus Κάστωρ et Πολυδεύκης vocantur. Sed statim in v. 54 Pindarus nomina eorum denuo per circuitum ita reddidit, ut illos θεῶν γένος diceret. Verus enim Dioscurorum pater erat Iuppiter ipse. Adde, quod postquam poeta in v. 59, cum a novo systemate inceperit, singulorum fratrum nomina repetivit, in v. 66 appellatione a matre arcessita Pollux dictus est Λήδας παῖς. Cuius ad nomen proprium quamquam Pindarus in v. 68 revertitur, ut repetitio intra unum idemque systema fiat, tamen cum circumlocutio illa „Λήδας παῖς" interposita sit, hoc suam habet excusationem. Evidentius vero, quantum fuerit poetae studium novorum epithetorum, ex v. 73 elucet. Etenim cum Pollucem ad Castorem, qui grave vulnus ab Apharetidis acceperat, supplicio de percussoribus sumpto rediisse narrare velit, hoc ita exprimit: ταχέως δ' ἐπ' ἀδελφεοῦ βίαν πάλιν χώρησεν ὁ Τυνδαρίδας. Quae tecta et tamquam occulta dictio tum demum in poesi lyrica usurpari potuit, postquam poetarum epicorum ope deorum et heroum fabulae diligentissime erant expressae atque excultae. Sane nemo quam sententiam Pindarus illis verbis pronuntiare vellet, intellexisset, nisi qui hanc Dioscurorum fabulam penitus cognitam haberet. Postremo in v. 85, ubi Iuppiter Pollucis de fratris casu aegritudinem elevaturus optionem ei dat, utrum Castore mortuo ipse continuo cum dis immortalibus Olympum habitare, an cum fratre coniunctus alternis in Olympo et sub terra vivere mallet, poeta Castorem appellatione κασιγνήτου notavit et in ultimo carminis versu Castorem, cum Pollux, ut omnia sibi cum fratre essent consociata, optasset, a morte ad vitam revocatum esse enarrans eundem nomine proprio vocavit. Praeterea in carmine Olympico tertio Pindarus postquam in v. 1 initium cepit ab appellatione Τυνδαρίδαι, in v. 35 Dioscurorum nomina eo artificio reddidit, ut eos βαθυζώνου διδύμους παῖδας Λήδας diceret, sed in v. 39 ad nomen Τυνδαρίδαι regressus est.

De deorum quidem apud Pindarum memoria abunde dictum est; videamus igitur, quam variis appellationibus poeta DEAS ornaverit. Quarum quamquam minus saepe quam deorum mentio fit, ut par est in praedicandis victoriis robore

et virtute partis, tamen hic quoque studium illud nomina variandi mirum in modum apparet. Nam MINERVA, cuius potissimum laus ut fortissimae inter deas et certaminum cupidissimae in epiniciis extollitur, postquam carminis Olympici septimi in v. 36 *Ἀθηναία* dicta est, in v. 42 appellatur *θεά*. Eiusdem nomen in proximo versu docte ita circumscriptum est, ut diceretur *κόρα ἐγχειβρόμος*. Omnibus enim armis ornata cum Minerva ex Iovis capite securi a Vulcano diffisso prosiluisse putaretur, hac locutione deae ortus, qui hoc ipso in carmine narratur, aptissime significatur. Atque etiam in v. 51 pro Minervae nomine circumlocutio substituta est, cum illa *Γλαυκῶπις* sit appellata. Iam vero in carmine Olympico tertio et decimo, initio facto in v. 63—64 a nomine *κούρα Παλλάς*, Minerva in v. 68 dicitur *παρθένος*. Nec minus in v. 72 *θεά*, cuius in ara incubare, ut habenam ad Pegasum domandum acciperet, Bellerophon a vate Polyido iussus erat, Minerva intellegenda est. Quam sollerter autem in v. 74, ubi Bellerophontem habena illa accepta, quomodo *Ζηνὸς ἐγχεικεραύνου παῖς* aurum equorum ferociam domans ipsi dedisset, vati narrantem fecit, Pindarus Minervae nomen variavit? Deinde in v. 79 Polyidus, ut *Ἱππίᾳ Ἀθάνᾳ* novam condat aram, Bellerophontem adhortatur. Itaque cum a v. 64 usque ad v. 79 Minerva quinque inter se diversis appellationibus notata sit, ut huius quidem deae nomen summo artificio variaret Pindaro placuisse consentaneum est. Huc accedit, quod in carmine Pythico duodecimo Minerva, postquam in v. 7—8 *Παλλὰς Ἀθάνα* nominata est, in v. 19 vocatur *παρθένος* et in v. 22 *θεός*.

Iam ut ad locos, ubi IVNONIS mentio facta est, considerandos transeamus, legitur carminis Pythici alterius in v. 27 *Ἥρας*; eandem deam in v. 34 ornatius *Διὸς ἄκοιτιν* nominavit Pindarus nec minore artificio in v. 39, ubi illa *θυγάτηρ Κρόνου* dicta est, eiusdem nomen expressit. Praeterea in carmine Nemeaeo primo postquam in v. 38 poeta a nomine *Ἥρα* exorsus est, proximo in versu Iuno *θεῶν βασιλέα* vocata est. Minus diligenter Pindarus in carmine Nemeaeo decimo repetitionem eiusdem nominis videtur effugisse. Etenim quamquam in v. 18 Iunonis, quae in v. 2 *Ἥρα* dicta est, nomen

per ambages ita reddidit, ut τελεία μάτηρ diceretur — Hebes enim, cuius cum Hercule initum matrimonium hoc loco memoratur, mater Iuno erat — tamen et in v. 23 et in v. 36 ad nomen Ἥρα rediit. Itaque cum haec repetitio intra eiusdem systematis ambitum fiat, hoc quidem loco Pindarus contra legem illam alibi observatam fecit, sed cum duae strophae inter utrumque versum intersint, repetitio minus molesta est.

Porro DIANA, postquam carminis Olympici tertii in v. 26 Λατοῦς ἱπποσόα θυγάτηρ dicta est, in v. 30 cognomine Ὀρθωσία insignitur. Cuius cognominis originem scholiastes vel ab Arcadiae monte Ὀρθώσιον sive Ὄρθιον vel a verbo ὀρθοῦν, cum Diana feminis partum edentibus adesse putaretur, repetivit. Constat autem Dianae illo nomine Spartae cultae olim humanas oblatas esse victimas. Qui usus non solum in fabula de immolanda Iphigenia conspicitur, sed etiam puerorum illa in ara Dianae verberatio inde originem duxit. Item in carmine Pythico altero Pindarus progressus in v. 7 ab appellatione Ἄρτεμις, in v. 9 Dianae nomen exquisitiore artificio reddidit. Ἰοχέαιρα παρθένος enim Diana est, quae venandi studio inter deas erat insignis. Proximi carminis in v. 10 postquam eadem denuo primum Ἄρτεμις vocata est, poeta in v. 32, cum paullo antea Apollinis mentionem fecerit, nomen ita variavit, ut eam κασιγνήταν diceret.

Atque etiam LATONAM Dianae matrem variis appellationibus a Pindaro ornatam esse docemur eo fragmento, quod est primum inter προσόδια (fr. 58 apud Boeckhium). Cuius fragmenti priore in parte poeta nomine Λατοῦς utitur, in posteriore „ἁ Κοιογενής" pro eo substitutum est. Coei enim Titanis filia Latona erat. Duas autem illas fragmenti partes in unum systema coniunctas fuisse, nisi quod strophae finis et antistrophae initium interierit, ex totius loci sententia intellegitur.

Nec secus Nemeaeo in carmine octavo poeta VENERIS, quae in v. 1 appellatione Ἀφροδίτας introducta est, nomen per ambages reddidit; siquidem Κυπρία in v. 7 Venus intellegenda est, quippe quod nomen dea ad insulam Cyprum ex maris spuma enata nacta esset, itemque in carminis Olympici decimi v. 105 Κυπρογενής et in carminis Pythici quarti v. 216 Κυπρογένεια nuncupata est. Praeterea in fragmento, quod est

primum inter *σκόλια* (fr. 87 apud Boeckhium) postquam in v. 3 Pindarus eam *ματέρ' ἐρώτων οὐρανίαν . . . 'Αφροδίταν* dixit, sub finem fragmenti, cuius ambitus, cum versus aliquot interciderint, non satis perspicuus est, Venus a choro verbis „*ὦ Κύπρου δέσποινα*" invocatur.

THETIDEM quidem poeta Pythici carminis tertii et in v. 92 et in v. 101 eodem nomine proprio appellavit, verum inter duos illos versus novi systematis initium sumpsit. Contra in carmine Nemeaeo tertio postquam dea in v. 35 *ποντία Θέτις* dicta est, Pindarus in v. 57 nomen eius ita variavit, ut illam *Νηρέος θύγατρα* vocaret. Similiter legitur Nem. IV 50 *Θέτις*, v. 65 *ὑψιθρόνων μίαν Νηρεΐδων* et Nem. V 25 *σεμνὰν Θέτιν,* v. 36 *ποντίαν χρυσαλακάτων τινὰ Νηρεΐδων*. Iam vero in carmine Isthmico septimo initio facto in v. 27 a nomine *Θέτιος* poeta in v. 34 eam *ποντίαν θεόν* dixit; nec minus in v. 43 deae nomen per ambages reddidit, ubi *Νηρέος θυγάτηρ* legitur. In v. 47 demum Pindarus ad appellationem *Θέτιος* recurrit.

Attamen dubitatio haud levis nobis eo moveri potest, quod poeta et in CHARITIBUS et in MUSIS nominandis multo neglegentius fecit. Illas enim carminis Olympici quarti decimi et in v. 4 et in v. 8 eodem nomine proprio appellatas deprehendimus, cum in v. 14—15 *θεῶν κρατίστου παῖδες* i. e. Iovis filiae dictae sint. In carmine autem Pythico primo Musarum nomen in v. 14 quidem appellatione *Πιερίδων* variatum est, sed in v. 2 et v. 12 nudum exstat. Nec minus in carmine Isthmico altero Pindarus postquam in v. 2 de Musarum curru dixit, in v. 6 ad nomen *Μοῖσα* rediit.

Diligentius GORGONUM nomen in carmine Pythico duodecimo variare voluit, quo quemadmodum Minerva Gorgonum de Medusae sororis morte lamenta atque planctus imitata tibiarum artem inveniret, relatum est. Atque in v. 7 quidem illae sorores audiunt *Γοργόνες*, sed in v. 9 nomen earum per ambages expressit Pindarus. Namque *παρθενίοις κεφαλαῖς* dictum videtur pro *κεφαλαῖς παρθένων* i. e. Gorgonum. Iam vero postquam in v. 11 poeta appellatione *κασιγνητᾶν* usus est, in v. 13 eaedem nominantur *Φόρκοιο γένος*, quoniam a Phorco patre natae sunt. Atque adeo in v. 20 novum

Gorgonum signum delitescere videtur. Etenim cum Minerva non unius Euryalae planctus, sed, ut in v. 7 poeta ipse significavit, geminatas utriusque sororis superstitis lamentationes imitata esset, hic omissa Sthenone pro Gorgonibus universis Euryale memorata est. Eiusdem carminis in v. 11 nomen sororis a Perseo trucidatae, quae in v. 16 *εὐπάραος Μέδοισα* est, Pindarus doctissime ita variavit, ut eam *τρίτον κασιγνητᾶν μέρος* diceret.

§ 5.

Quoniam de deis deabusque, quarum apud Pindarum identidem mentio facta est, satis multis disputasse nobis videmur, nunc primum heroum, deinde heroinarum appellationes considerabimus. Cumque HERCULES ceteris omnibus virtute et gloria praestitisse videatur, ab hoc initium faciam. Qui postquam carminis Olympici decimi in v. 30 nomine *Ἡρακλέης* introductus est, in v. 44—45 dicitur *Διὸς ἄλκιμος υἱός*, quae Herculis appellatio iam in Hes. sc. Herc. v. 320 exstat. Similiter in oda Nemeaea prima Hercules, cuius nomen proprium in v. 33 legitur, in v. 35 audit *παῖς Διός*, cum in v. 58 appellatione *υἱοῦ* scil. Amphitryonis insignitus sit. Iam carminis Nemeaei tertii in v. 21 initio denuo facto a nomine *Ἡρακλέος* in v. 22 ille locutione *ἥρως θεός* decoratus est. Quid? in v. 37, ubi Telamonis laudes propter res in bellis Laomedonti et Amazonibus illatis gloriose gestas celebrantur, nonne novum Herculis signum deprehendimus? Etenim hunc illius adversus Ilium expeditionis ducem fuisse inter omnes constat, et quamquam multi et docti homines de hoc loco disputaverunt, tamen nondum satis expositum est, quamobrem Pindarus hoc loco non Herculem, sed Iolaum nominaverit. Quod nescio an sic expediri possit, ut *Ἰόλαος* cognomen Herculis fuerit; nisi potius Pindarus repetitionem Herculis nominis aspernatus, cum alia circumlocutio generalis Aeaci et Pelei interea mentione facta perspicua non fuisset, pro Hercule substituisse videbitur Iolaum, quippe qui perpetuus illi comes esset et in eadem cum Hercule ara coleretur. Porro in carminis Isthmici quinti v. 30 Herculis nomen ita

circumscriptum est, ut *Ἀλκμήνας τέκος* vocaretur. Eundem Pindarus, postquam in v. 35 nomine proprio usus est, in v. 38 verbis *καρτεραίχμας Ἀμφιτρυωνιάδας* significavit.

Ut Hercules inter vetustos heroas ita ACHILLES inter viros contra Troiam profectos eminuit. Qui in carminis Olympici noni v. 71 nomine proprio appellatus in v. 76 dicitur *Θέτιος γοῦνος*. Nec minus in carmine Nemeaeo tertio Pindarus postquam in v. 43 denuo ab appellatione (*ξανθὸς*) *Ἀχιλεύς* exorsus est, in v. 57 nomen Achillis per ambages ita reddidit, ut eum *γόνον φέρτατον* scil. Thetidis appellaret. Contra carminis Isthmici septimi et in v. 48 et in v. 55 Achillis nudum nomen proprium habes. Verum cum haec oda non systematis, sed singulis strophis contineatur, nescio an hic poeta nonnisi in una eademque stropha repetitionem eiusdem nominis vitaverit.

Maiore diligentia Pindarus Achillis educatoris praeceptorisque Centauri CHIRONIS nomen variavit. Etenim in carminis Pythici tertii initio quasi summam appellationum copiam iactans illum *Χείρωνα Φιλυρίδαν, Οὐρανίδα γόνον εὐρυμέδοντα Κρόνου, Φῆρ' ἀγρότερον* nominavit. Nempe Philyra, Oceani filia, Chironem ex Crono patre pepererat. Deinde in v. 45 poeta, quomodo Apollo filium Aesculapium *Μάγνητι Κενταύρῳ* tradiderit educandum, narrat et in v. 63 votum facit, ut *σώφρων Χείρων* in vivis sit et Hieroni regi gravi morbo affecto medicum Aesculapii similem mittat. Isdem fere locutionibus in carmine Pythico quarto Chironis nomen circumscriptum est. Qui postquam in v. 102 suo nomine introductus est, in v. 103 appellatione *Κενταύρου* notatur. Deinde in v. 115 quidem poeta ad nomen proprium Chironis revertitur epitheto *Κρονίδας* addito, sed molestia huius repetitionis, quamquam intra idem systema fit, eo mitigatur, quod illa circumlocutio interposita est. Postremum in v. 119 Chiron exquisitiore artificio *Φὴρ θεῖος* vocatur. Accedit, quod in carmine Pythico nono Pindarus postquam in v. 29 a Chironis nomine proprio exorsus est, in v. 30 Apollinem cognomine *Φιλυρίδα* illum salutantem finxit et in v. 38 Chiron *Κένταυρος ζαμενής* dicitur. Praeterea carminis Nemeaei

tertii in v. 47—48 legimus *Κρονίδαν Κένταυρον* et in v. 53 *βαθυμῆτα Χείρων*.

Contra huic communi antiquorum opinioni diversam non sine specie videtur opposuisse Santra qui existimat: *si modo in scribendo adiutoribus indiguerit Terentius, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adulescentuli fuerint, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto, quo consule ⟨Megalens⟩ibus ludis initium fabularum dandarum fecerit, uel Q. Fabio Labeone et M. Popillio, consulari utroque ac poeta. ideo ipsum non*

Dum ad Philum se cenitare et Laelium pulcrum putat,
Dum in Albanum crebro rapitur ob florem aetatis suae:
Suis postlatis rebus ad summam inopiam redactus est.

[1] de nomine vid. *Ritschl* comment. in vit. Ter. Suetonianam ed. *Reifferscheid* p. 528 sq. et *Bergk* Philol. XVI p. 635 sq.

iuuenes designare qui se adiuuare dicantur, sed uiros quorum operam et in bello et in otio et in negotio populus sit expertus. (Suet. ib. 31, 10.)

Recte sane ab hac parte Santra: nam verba illa non ad iuvenes pertinere unus quisque concedet. Scipio enim Africanus anno u. c. 606 (148) consul creatus viginti annis post primam Terentii fabulam actam ante legitimam aetatem magistratum iniit. Atque ut concedamus Scipionum gentem propter magnas in bello res gestas summa tum apud populum gratia et auctoritate floruisse idque vel ad adulescentulum pertinuisse Romanis gratissimum,[1] praesertim qui in pugna apud Pydnam fortiter sese gesserit,[2] tamen haec omnia profecto vix satis valent, ut ad Scipionem illum minorem referantur verba illa laudis cumulum continentia 'quorum opera in bello in otio in negotio suo quisque tempore usus est', quae sane ad spectatam magistratuum et ducum virtutem respiciunt. Quamquam quae nomina Santra profert, ne ipsa quidem certa memoria nituntur sed levi prolata sunt coniectura: itaque ut certa nomina ex illis Terentianis versibus eliciantur, nullius interpretis arti succedet.

Quod vero Santra plane negavit usum Terentio cum Scipionibus fuisse, nimium effecisse ex illis versibus mihi videtur. Discernenda enim est versuum illorum Terentianorum explicatio ab ipsa quaestione, quinam homines nobiles Terentii fautores certe ab adversariis intellegantur: de altera re recte statuit Santra, de altera erravit. Consuetudo enim Terentii cum nobilibus ac maxime Scipionibus, quae confirmata a comicis et litteratis veterum posteriorum memoriae prodita est, tot tamque gravibus testimoniis nititur, ut de ea nullo modo dubitari liceat. Firmatur autem familiaritas ipsa aetate iuvenum maximeque studiis illis, quae tum et apud Scipiones insigni gratia efflorescebant et a poeta 'purae orationis' studiosissimo colebantur, ex quibus primum 'sermonis urbani' notio atque vis enata est.

---

[1] cf. Plut. vit. Aem. Paulli 22, ubi de Scipione dicit: *πᾶσι γὰρ ἀγαστὸς ἦν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς πρὸς ἡγεμονίαν καὶ πολιτείαν ὡς ἄλλος οὐδεὶς τῶν συγγενῶν* sq.

[2] cf. Liv. XLIV 44.

Itaque a vero non aberrabimus, si sumemus, illos maxime adulescentes ab adversariis Terentii spectatos esse, ipsum autem Terentium consulto opprobrium ad nobiles universos ac tales, a quorum auctoritate et gratia publica promptior ipsi venia ac gratia suppeteret, deflectere studuisse ita, ut nobilitatis quae omnino eminerent belli otii negotii virtutes praedicaret. Itaque recte *Sauppe* in 'Nachrichten d. K. Gesellsch. d. Wissensch. Göttingen' 1870: 'Die Angaben über Terentius' Lebenszeit' p. 119 rem informasse sibi videtur, cum arbitraretur Terentio a Luscio vitio datum esse, quod, cum servus et libertinus esset, nobilium familiaritatem requireret, poetam vero ita sese defendisse, ut illorum virorum nobilium, qui rei publicae saluti domi militiaeque consulerent, familiaritatem et auxilium repetere ut unumquemque civem ita adversarios non recusare demonstraret. Spectatores autem vel eos qui fabulas legerent id ab universis nobilibus ad Scipionem et Laelium poetae familiarissimos facile transtulisse eamque famam posteris tradidisse.[1]

---

[1] *Sauppe* l. c. p. 119: 'Man machte dem Terentius den Vorwurf — und wir haben wohl auch hier wieder an Luscius Lanuvinus zu denken, den der Dichter im Prolog des Heau. v. 22 ausdrücklich nennt — dass er, der Sklave und Freigelassene, sich an vornehme Herren vom Adel (homines nobiles) andränge und von ihnen helfen lasse. Darauf erwidert der Dichter, diese vornehmen Herren des Adels seien es, die das Wohl des Staates und der Einzelnen im Krieg und Frieden förderten, jeder nehme, ohne spröde zu thun, zu ihnen seine Zuflucht, wenn er es bedürfe; auch er schätze sich also zur grössten Ehre, wenn er solchen Männern dieser Kreise gefalle, die bei Allen im Ansehen ständen. Wenn er sich der Gunst und Beihülfe Vornehmer freue, so thue er nichts, als was alle bei ihnen passender Gelegenheit thäten. Er vertheidigt also sich und sein Verhältniss zu bestimmten Persönlichkeiten der höchsten Kreise, indem er die Betrachtung erweitert und im Allgemeinen es als etwas durchaus Ehrenhaftes und Ehrenvolles bezeichnet, Hochstehenden zu gefallen, natürlich nicht Allen, sondern denen, welche durch Verdienst irgend einer Art die Anerkennung des Volkes erworben haben. . . . . . Natürlich vernahm, wer diese Verse hörte und las, nicht nur den allgemeinen Gedanken, sondern dachte auch zugleich an den besondern Fall und verstand also unter den homines nobiles in diesem Falle Laelius und Scipio, deren vertrauter Umgang mit dem Dichter bekannt war und von denen allein gesagt wurde, dass sie dem Dichter bei seinen Stücken zu helfen pflegten.

Quamquam quod adversarii criminati sunt *homines nobilis hunc adiutare adsidueque una scribere,* id in falsum auctum esse facile intellegitur, ac multo magis illae, quae ex leviore Terentii defensione haustae sunt perversae opiniones de comoediis ab illis nobilibus compositis Terentii nomine editis, ineptiores et infirmiores sunt quam quae seria refutatione indigeant.

III.

DE RE SCAENICA.

§ 5.

DE PROLOGORUM PRONUNTIATORIBUS.

Prologis, qui argumentum narrarent, fabulae Latinae ab initio vix unquam carebant: quibus quo modo Terentius utatur *non qui argumentum narret sed qui maliuoli ueteris poetae maledictis respondeat* cui alio modo obloqui non possit, iam supra expositum est.

Prologi appellatione etiam personam ipsam, quae poetae nomine cum spectatoribus agit, designari docet Hec. prol. II v. 1:

Orator ad uos uenio ornatu prologi.

Ipsas autem prologi partes apud Romanos ab adulescentibus agi solitas esse Heau. prol. v. 1 demonstrat:

Ne quoi sit uostrum mirum, quor partis seni
Poeta dederit, quae sunt adulescentium.

Usitatum morem bis deseruit Terentius ita ut senex Ambivius ipse prologum ageret nimirum suo non poetae nomine cum populo acturus: in Heautontimorumeno, quae fabula diligentiore defensione indigebat, ut spectatoribus stataria fabula probaretur, nec non in Hecyrae prologo secundo, ut fabula bis exclusa in spectatorum favorem revocaretur. Utroque autem loco id ipsum cur fiat exponitur. Atque in Hecyrae prologi initio:

Mit Recht sagt also Suetonius oder eigentlich wohl Varro, dass Terentius durch die Art, wie er sich vertheidige, das Gerücht nur bestätigt und ihm grössere Verbreitung gegeben habe.'

Orator ad uos uenio ornatu prologi:
Sinite exorator sim, eodem ut iure uti senem
Liceat, quo iure sum usus adulescentior

diserte oratorem sese i. e. tamquam legatum ad populum prodire profitetur, cf. Donatum: *oratorem audire oportere, ius gentium est: ne igitur expellatur, non se prologum sed oratorem nominat.* — Ex eodem initio *Dziatzko* in 'Quaest. select. de prologis Plaut. et. Terent.' p. 6 efficit, eum qui prologi munere in comoedia perfunctus sit, singulari vestitu usum esse, probata *Bentleii* sententia censentis prologo recitato illum statim de scaena discessisse. Immo vel ubi idem actor in ipso comoediae initio partes suas habet, eum vestitus mutandi causa discessisse putat idque ipsum agnoscere sibi videtur ex Heau. prol., cum Ambivius spectatores mirari opinetur, cur ipse prologi partes susceperit: illos eum prologum esse cognoscere potuisse.

Haec *Bentleii* et *Dziatzkonis* sententia in universum quidem Plautinis qui feruntur prologis quibusdam probari videtur, velut Poen. fabulae, ubi in fine prologus, vel qui prologi munere fungitur, ait:

Ualete: adeste, ibo: alius nunc fieri uolo.
Capt. prol. v. 67: *Abeo, ualete, iudices iustissimi.*
Trin. prol. v. 22: *ualete: adeste cum silentio.*
Rud. prol. v. 82: *Ualete, ut hostes uostri diffidant sibi.*

tamen tribus Plautinarum fabularum prologis parum convenit, ubi constat personam eandem in scaena statim agere: Militis gloriosi, Amphitruonis, Mercatoris.

In Milite glorioso Palaestrio prologi partes agit ita, ut in scaena altera act. I argumentum exponat, in tertia cum Periplecomeno colloquatur; inde singulari prologi vestitu eum usum esse minime putabimus. In Amphitruone fabula Mercurius prologus sub finem haec exclamat v. 148:

Sed Amphitruonis illic seruost Sosia,
A portu qui nunc cum lanterna ⟨huc⟩ aduenit.
Abigam iam ego illunc aduenientem ab aedibus.
Adeste, erit operae pretium: nunc spectabitis
Iouem et Mercurium facere ⟨hic⟩ histrioniam.

in prima quae deinceps sequitur scaena cum Sosia colloquitur. Atque hoc loco ipsa dei persona, de singulari prologi ornatu quominus cogitemus, vetat. Maximi autem ad nostram rem momenti Mercatoris prologus videtur esse. Prologi enim partes hac in fabula Charinus adulescens agit, qui idem fabulae personam tuetur. Qui ubi sic exorsus est:

Duas res simul nunc agere decretumst mihi:
Et argumentum et meos amores eloquar,

mox finem prologi his verbis facit v. 109:

Sed quid currentem seruom a portu conspicor,
Quem naui abire uetui? timeo quid siet,

ac statim ipse cum Acanthione servo scaenam agit, ut nullo modo eum de scaena discessisse nec magis singulari vestitu ornatum fuisse appareat.

Itaque *Dziatzkonis* sententia, quamquam per se non est improbabilis, tamen non cadit in eas fabulas, ubi, qui in prima scaena actor futurus est, idem prologi personam sustinet. Id autem de Heautontimorumeno fabula statuendum est, in qua Chremetis senis vel Menedemi senis partes ipsum Ambivium egisse probabile est. Eum igitur singulari vestitu usum prologum recitavisse, tum de scaena discessisse mutatoque senis vestimento in scaenam rediisse nemo credet. Ne id quidem certum est, 'ornatum prologi', cuius in prol. II v. 1 mentio fit, vestitum intellegendum esse. Immo probabilius mihi videtur prologum insigni aliquo, veluti sceptro vel caduceo ramove olivae, quo delegati ad populum condicio manifestaretur, instructum fuisse itaque, quod *Dziatzko* vult, ab omnibus cognosci potuisse; peracto autem prologo insigne illud, quo orator usus erat, sepositum esse, si quidem in Amphitruone, Milite glorioso, Mercatore, Heautontimorumeno partes in ipsa fabula eidem agendae erant.

§ 6.

QUAS MAXIME FABULAS SPECTATORES ROMANI IN DELICIIS HABUERINT.

Studia et intellegentiam spectatorum Plautinarum et Terentianarum fabularum non eadem fuisse intellexit *Ritschl* in Parerg. p 234 adn.: 'Dem Bildungsgange des sechsten

Jahrhunderts .... entspricht es durchaus, dass es Anfangs ein vorwiegend stoffartiges Interesse war, mit dem man schlechthin nur Belustigung im Theater suchte, sehr unbekümmert, woher diese der Dichter geschöpft, und ohne zu fragen, wie rein er die Quelle wiedergegeben oder mit welchen Zuthaten und Umgüssen er sie dem römischen Gaumen schmackhafter gemacht. Nur allmählig wurde für die Auffassung eines reinen griechischen Kunstwerkes, auch ohne die pikante Würze einer vergröbernden Komik, die Empfänglichkeit geweckt und das Verständniss herangebildet: und eben diess gibt der gewöhnlich so einseitigen Kritik der Terenzischen Komödie den allein richtigen Standpunkt.'

Quam mutationem 'paulatim' factam ipsi prologi illustrant: summa enim difficultate ac labore et Caecilius (cf. Hecyr. prol. II) et Terentius rationem suam spectatoribus probaverunt, qui bis, dum Hecyra agitur, theatro relicto comoediam levioribus funambuli gladiatorumque spectaculis posthabuerunt: cf. Hecyr. prol. I v. 3 sq.:

Ut neque spectari neque cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat.

Hecyr. prol. II v. 25 sq.:

Quom primum eam agere coepi, pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit exspectatio:
Comitum conuentus, strepitus, clamor mulierum
Fecere ut ante tempus exirem foras.

eadem cum iterum daretur, v. 31 sq.:

Primo actu placeo: quom interea rumor uenit
Datum iri gladiatores, populus conuolat,
Tumultuantur clamant pugnant de loco:
Ego interea meum non potui tutari locum.

Phorm. prol. v. 31 sq.:

Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Quom per tumultum noster grex motus locost

atque summa Ambivii domini gregis opera vix effectum videmus, ut fabula tandem staret. Phorm. prol. v. 33: *Quem actoris uirtus nobis restituit locum* sq.

Non ferebant spectatorum animi actionem placide et tamquam sine motu fluentem. Nec dissimiliter in Heautontimorumeno, quae in accurata morum descriptione versatur, diligentissima domini gregis defensione opus fuit, ut fabula spectatoribus commendaretur, cf. prol. v. 35 sq.: *ne semper seruos currens, iratus senex . . . . adsidue agendi sint mihi clamore summo cum labore maxumo.*

Statarias igitur i. e. quietiores comoedias, in quibus personarum moribus perpoliendis et depingendis maiorem poeta operam dabat, quae quidem ab eruditis spectatoribus praeferri fere Graecis solebant, Romani spectatores contemnebant, motorias 'cum labore maxumo' actas postulabant et in deliciis habebant. Tantum autem aberat, ut vel Attica elegantia vel totius actionis artificio delectarentur, ut, quemadmodum ipse Cicero in eloquentia 'immensum aliquid nfinitumque' desiderabat, ita in re scaenica quoque magis actuosa spectare cuperent. Propterea omnes praeter Heautontimorumenon et Hecyram fabulas Terentii motoriae sunt. De qua re cf. Donati praef. ad Eun.: *et est palliata Menandri uetus: quam ille auctor de facto adulescentis, qui se pro eunucho deduci ad meretricem passus est, nominauit. Itaque ex magna parte motoria est.* Idem praef. ad Adelph.: *Huius tota actio cum sit mixta ex utroque genere, ut fere Terentianae omnes, praeter Heautontimorumenon, tamen maiori ex parte motoria est; nam statarios locos perpaucos habet.* Idem praef. ad Phorm.: *Haec igitur proprie tota motoria est, et in affectibus constituta paene maioribus, quam comicus stilus posceret: nisi quod arte poetae omnia moderata sunt.*

Itaque etiam Terentii aetate quamquam eruditiores homines, nobiles maxime, elegantiore sensu in existimandis ut Menandri et Philemonis Graecis ita Latinis Caecilii et Terentii fabulis utebantur, tamen maior pars auditorum etiamtum eiusmodi delicias fastidiebat, motus actionis atque servorum petulantiam requirebat: quibus auditoribus vel paucis post Terentii mortem annis veteres fabulas novis multo magis placere prologus Casinae Plautinae profitetur.

Quam fastidiosum fuerit vulgi iudicium, et Heautontimorumeni atque Hecyrae actionibus confirmatur, et poeta

ipse saepius verba facit de fortuna scaenica, qua comicus poeta periclitetur: Hec. prol. II v. 8: *Quia scibam dubiam fortunam esse scaenicam* et Phorm. prol. v. 31: *Ne simili utamur fortuna* sq.

Quamquam pedetemptim eum populi favorem sibi conciliasse ipsae prologorum clausulae innuunt. Modestis enim atque demissis verbis poeta ignotus utitur in priorum fabularum prologis, in posteriorum confidentius atque audacius et in adversarios invehitur et se suumque studium spectatoribus commendat. Conferas cum Andriae versibus his (24 sqq.):

Fauete, adeste aequo animo et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, ecquid spei sit relicuom,
Posthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae an exigendae sint uobis prius

et cum Heaut. 28 sq.:

Facite, aequi sitis, date crescendi copiam,
Nouarum qui spectandi faciunt copiam

haec verba Eunuchi, quae fabula unice placuit, v. 44 sq.

Date operam, cum silentio animum attendite,
Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus uelit

et Phormionis v. 30:

Date operam, adeste aequo animo per silentium.

§ 7.

DE PRETIO POETIS SOLVENDO IMPENSISQUE IN ACTIONES SCAENICAS FACIENDIS.

Dubiam fortunam scaenicam, de qua modo diximus, quamquam poeta scaenicus saepe expertus est, cum vel adversariorum peteretur invidia vel spectatoribus parum placeret, tamen ipsum periculum fabulae explosae ad poetam non pertinebat. Empta enim fabula a ludorum curatoribus pretium poeta meruerat, antequam fabula acta est. Cf. *Ritschelii* Parerg. p. 329: 'Wenn unter diesen Umständen der Unternehmer allerdings zu Schaden kommen konnte, so hatte dagegen der Dichter sein Honorar weg, welches Schicksal auch das Stück traf.' Hoc satis demonstrant verba prol. I Hecyrae

v. 6: *Et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit*
Iterum referre, ut iterum posset uendere.

Nimirum ex Hecyra exclusa, cum semel veniisset, nihil detrimenti cepit poeta postea eandem iterum venditurus. Confirmant rem Horatii versus epist. II 1, 175 sq.:

Gestit enim (sc. Plautus) *nummum in loculos demittere, post hoc*
Securus cadat an recto stet fabula talo.

Quis autem emerit fabulam a poeta venditam, de ea re dubitari potest ex duobus prologorum testimoniis inter se diversis. Nam verbis Eun. prol. v. 19 sq.:

quam nunc acturi sumus,
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt sq.

non satis convenire videntur Ambivii Turpionis domini gregis versus Hecyr. prol. II v. 47 sqq.:

Mea causa causam accipite et date silentium,
Ut lubeat scribere aliis mihique ut discere
Nouas expediat posthac pretio emptas meo.

Explicatur res, si *Ritschelio* (Parerg. p. 327 sq.) credimus, Donati adnotatione alteri loco adscripta: *aestimatione a me* (sc. a domino gregis) *facta, quantum aediles darent: et proinde me periclitante, si abiecta fabula, a me pretium, quod poetae numerauerint, repetant: ergo 'meo' a me facto, a me statuto.* Quibus probatis *Ritschl* adicit plerumque poetam non cum ludorum curatoribus ipsis sed cum domino gregis egisse, qui fabulam aestimaret pretiumque poetae solvendum a curatoribus ludorum impetraret: idque diserte indicari prol. Heau. v. 43 sqq.:

Nam nunc nouas qui scribunt, nihil parcunt seni:
Si quae laboriosast, ad me curritur;
Si lenis est, ad alium defertur gregem,

ubi 'curritur' ad poetas rectius quam ad aediles referatur. Rectissime id quidem: sed ex hac negotiatione is qui suam operam interponeret dominus gregis certe emptam suo pretio comoediam dicere non poterat. Neque magis sufficit Donati adnotatio ad verba: *pretio emptas meo* (Hecyr. prol. II v. 48), ex qua adnotatione pretio emptas eas dumtaxat fabulas dicere licebat Ambivio, quarum pretium ab ipso exigeretur, cum

non stetissent: quod quam alienum sit ab ipsius consilio verbisque praecedentibus *mea causa causam accipite* sq. (Hecyr. prol. II v. 47), sponte apparet. Nam quarum aestimatio spectatorum plausu comprobata erat, earum certe pretium nullo pacto repetebatur. Atqui verba Ambivii in universum valent et maxime de novis, quas probare populo cupiat. Itaque ne Ruhnkenii quidem ratione multum proficitur, qui (ad Hec. prol. II v. 49), licet plerumque aediles a poetis fabulas emerint, aliquando tamen actores quoque fabulas suo pretio emisse ex Iuvenalis sat. VII 87

Esurit intactam Paridi nisi uendit Agauen

effici vult: loco propter ipsam temporis rationem ab eo, quem tractamus, alienissimo.

Equidem, num verum sit illud, aestimationem fabulae exactae a domino gregis repeti solitam esse, in medio relinquo: certe verba 'pretio emptas meo' non ad pretium poetae persolutum arbitror referenda esse (quod ab aedilibus factum esse constat), sed potius ad fabularum actiones a domino gregis redemptas. Nam quaecunque ad actionis scaenicae ornatum et apparatum, ad histriones alendos et instruendos, ad alia eiusmodi pertinent, ea aediles non singula curabant, verum domino gregis ita locabant, ut ex pacto certam summam ei penderent, unde ille sumptus faceret. Is autem apparatus scaenicus cum domino gregis etiam in posterum inservire posset ad fabulas iterum iterumque sive in urbe Roma sive in municipiis docendas (cf. p. 14) et inde quaestum facere ei liceret, verisimile est in ipsa redemptione illa quoque lucra ex fabulis et actis et repetitis redundatura in censum venisse. Quodsi fabula non placeret, fieri poterat, ut nihil lucri perciperet, sed damnum faceret redemptor ex actione suo sumptu peracta. Itaque recte suo pretio emptam fabulam appellat, cuius agendae et spes et periculum ad ipsum redeat.

Sed his quae modo exposuimus iam occupavimus alteram quaestionem, quae homines doctos in diversas egit partes: fabulae, ubi primum doctae sunt, cuius in dominio manserint.

Qua de quaestione omnes probabilitatis numeros habet *Ritschelii* sententia Parerg. p. 331 exposita: ad poetas fabulas non iam pertinuisse qui quidem eas vendidissent, cum praesertim ex Hecyrae prol. I v. 6 *et is qui scripsit* e. q. s. appareat ex veteribus comoediis relatis lucrum facere poetas non potuisse. Nec magis, qui emissent, aediles mansisse possessores: quibus usus nullus esset veterum fabularum. An credamus homines nobilissimos ex venditis comoediis quaestum sperasse? Restare ut eas ipsis dominis gregum relictas dicamus, qui agendas redemissent, quippe qui aestimatione facta et cautione praestita dominium iure sibi vindicarent. Inde igitur et periculum actionis susceptae et detrimenta ex dubia illa vel adversaria fortuna scaenica orta eis quodammodo compensata esse, cum fabulas iterum iterumque docere cum proprio emolumento possent.[1] Cui explicationi et simplicissimae et iustissimae unus videtur parum respondere locus ille, quem identidem citavimus, Hec. prol. I v. 6 sq.:

Et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset uendere,

unde effici videtur ex ipsius poetae arbitrio fuisse fabulam referre, ut non dominus gregis sed poeta comoediae possessor mansisse putandus sit.

Nam quod Ritschelius versus illos ita interpretatur l. c. p. 330, quasi noluerit poeta Hecyram isdem ludis sollemnibus

---

[1] *Ritschl* l. c.: 'Was wurde aus den zur Aufführung gebrachten Stücken, die nun keine novae mehr waren? Wem gehörten sie? Den Dichtern nicht, denn ihnen waren sie ja abgekauft, und die oben erklärte Stelle im ersten Prolog (v. 6. et 7) zur Hecyra beweist ja bestimmt, dass an alten nichts mehr zu verdienen war. Den Aedilen oder Festgebern? Was sollten diese damit anfangen? Diese verschwenderischen Grossen Roms werden doch sicher keinen Handel mit dem Wiederverkauf getrieben haben. Es bleibt nichts übrig, als dass sie den Unternehmern, die nach dem Rechte der Gegenseitigkeit schon vermöge ihrer Gewährleistung einen gewissen Antheil daran ansprechen durften, nach gelungener Aufführung als Eigenthum zufielen. Dadurch also wurden diese für die mit der Uebernahme verbundene Gefahr entschädigt, dass sie im glücklichen Falle das Stück nun zu ihrem eigenen Vortheil als vetus fabula so oft zu wiederholter Aufführung bringen konnten, als sie Gelegenheit fanden.'

iterum referre, immo maluerit eam postea aliis ludorum curatoribus iterum vendere, quae quidem pro nova esset, cum prius neque spectari neque cognosci potuerit: id in verbis ipsis non inest. Et quomodo illud, quod raro exemplo in Eunucho factum est, ut bis deinceps ageretur, cum omnium plausum ferret, idem licuisse poetae impetrare in ea fabula statuamus, quae populum stupidum a funambuli admiratione abducere non valuisset? Quid? 'pro nova' eam fabulam vendere alteri ludorum curatori ideo licebat, quod propter populi fastidium, dum nova agitur, neque 'spectari neque cognosci' potuit?[1] Ita quo quae fabula ineptior erat et quo celerius exacta est, eo saepius tamquam parum cognita repeti 'pro nova' poterat. Eius modi autem comoediam putabimus alterum emptorem facile inventuram fuisse?

Longe diversa ex isdem versibus effecerunt *Ihne* et *Dziatzko.* Atque *Ihne* 'Quaestiones Terentianae' in sent. contr. 11 contra Ritschelium contendit 'Terentii aetate eas fabulas, quas novas vendidissent poetae, postquam semel actae erant, in dominium rediisse poetarum'. (quod idem *Becker* 'De Romanorum censura scaenica' p. 21 posuit: 'nam ut primum fabula in scaena data fuit, sive acciderat, ut non perageretur . . . . sive comoedia steterat, semper ad auctorem suum redibat'.) In sent. contr. 16 *Ihne* contra Donatum Hecyrae prioris prologi verba illa ita coniungenda censet: non ob eam rem voluit iterum referre, ut iterum posset uendere, sed . . . . . . Quid post 'sed' supplendum sit, non addit, puto sententiam talem: sed ut Hecyram spectatoribus denuo probaret. Quae si probaretur, sequeretur etiam repetitarum fabularum pretium poetam accepisse. At recte oblocutus est *Dziatzko* in Mus. Rhen. XXI p. 474 ex Latini sermonis legibus 'ob eam rem noluit' dici non posse pro 'non ob eam rem voluit'.

Quamquam ipse *Dziatzko* nihilo rectius eiusmodi supplementum requirit: poetam noluisse quidem fabulam iterum referre, ut eam iterum vendere posset, tamen in ludis funeralibus Aemilii Paulli precibus filiorum victum vel Scipioni

---

[1] cf. supra p. 6.

Africano gratificatum permisisse ut gratis referretur.[1] Verum adversativam sententiam in lacuna fuisse nullo modo probatur: immo verba eo ducunt, ut revera iterum veniisse Hecyram, cum iterum ageretur, tenendum sit. Non male igitur Donatus adnotat: 'aliis scilicet ludis: in quo maluit avarum poetam populo inducere quam suo operi diffidentem'.

In summa re *Dziatzko* cum *Ihnio* consentit: etenim ipse quoque verba illa in eam partem accipit, ut contendat ex potestate et permissu poetae fuisse ut iterum referrentur fabulae itaque in dominio auctoris eas mansisse. Sic enim rem sibi informat: poetas non vendidisse aedilibus nisi ius primae actionis, idque apparere ex verbis illis prol. I Hecyrae: *noluit iterum referre*; veteres autem fabulas ex quibus nihil quaestus fieret, libenter dominis gregis reliquisse[2]. Romani igitur comici, id quod ipse *Dziatzko* concedit, nunquam iure illo usi sunt una Eunucho excepta, in qua, si *Dziatzkoni* credimus, poeta quaestui suo consuluit, cum fabulam denuo datum iri animadverteret, quod quidem

---

[1] *Dziatzko* l. c.: Es sollte vielmehr an jener Stelle wirklich der Dichter als 'avarus' geschildert werden, und wenn er sich doch bei den Leichenspielen des Aemilius Paulus dazu verstanden hat sein Stück ohne nochmalige Bezahlung aufführen zu lassen, so ist es möglich, dass man ihm damals, da es die Kürze der Zeit nicht erlaubte ein neues Stück einzuüben, besonders gute Worte gegeben habe. Dazu konnte aber noch kommen, dass er dem P. Cornelius Scipio Africanus sich gefällig erweisen wollte, mit welchem er ja sehr wohl bekannt war und welcher als Sohn des Aemilius zugleich mit seinem Bruder Fabius Maximus jene Leichenfeier veranstaltete. Letzterer Grund wurde möglicher Weise in der besprochenen Lücke hervorgehoben.'

[2] *Dziatzko* l. c. p. 473: 'So bildete sich denn von Anfang an, in welcher Zeit, wie wir schon bemerkten, die Bevorzugung der novae fab. jedenfalls am entschiedensten war, als etwas Selbstverständliches der Brauch aus, dass die Festgeber dem Dichter nur — so zu sagen — das ius primae actionis abkauften oder doch das Geld dazu hergaben in der Summe, welche sie dem dominus gregis für die ganze Aufführung zahlten. Ebenso selbstverständlich wurden, als die scenischen Aufführungen überhaupt häufiger wurden und deshalb auch veteres fab. auf die Bühne kamen, diese von den Dichtern, da sie in Folge der ursprünglichen geringen Geltung der vet. fab. von den Festgebern keine neue Bezahlung erwarten konnten, den domini gregis bereitwilligst überlassen, durch deren Vermittelung jene wieder ihre novae fab. bezahlt bekamen.'

haud probabile esse accuratius p. 13 demonstravimus. Quid igitur de iure — de quo nihil traditum habemus, — verba faciamus, quo in nova fabula poeta usus sit, in vetere nusquam usus? Rectius sane et simplicius statuemus poetam cum prima actione etiam omnes reliquas actiones emptori tradidisse. Neque quo uno illa sententia fundamento nititur versu prol. I Hecyrae: *noluit iterum referre, ut iterum posset uendere,* id satis firmum est. Quae verba quamquam recte Donatus explicat, poetam Hecyram quaestus causa iterum vendidisse neque statim referre voluisse, tamen illud minime probant, poetam Ambivium, si quidem Hecyram denuo agere domino gregis in animo fuisset, vetare potuisse. Sed quid quaeso Ambivii interesse potuit, ut fabulam explosam iterum iterumque daret? Alia, ut ita dicam, fieri novaque delectandi vis Hecyrae exactae addi debebat, ut denuo empta staret neque id Terentium effugit: itaque 'pro nova' fabulam rettulit i. e. retractatam et emendatam. Qua de re supra disputavimus p. 8 et 50 sq.

Redimus igitur ad Ritschelii sententiam, quam supra nobis videmur novis argumentis corroborasse: dominis gregum, quippe qui agendas fabulas novas suo periculo atque ex parte suis impensis curavissent, easdem relictas esse, ut ex relatis quaestum facerent.

DE

CRASI ET APHAERESI.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALBERTUS LUCIUS

DARMSTADIENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXV.

MATRI CARISSIMAE

S.

Homines docti, qui de crasi et aphaeresi scripserunt, quamuis dialectos Graecas non neglegerent, tamen cum exempla ex solis fere scriptoribus colligerent, parum idoneam ad usum Graeci sermonis plane explicandum materiem congesserunt, siquidem et scriptores ipsi eam qua uulgus utebatur dialectum non puram reddiderunt et scriptorum uerba dubia codicum manu scriptorum fide seruata sunt. Purae autem et fere integrae dialecti cum in inscriptionibus ex plurimis Graeciae partibus seruatis insint, has quaestioni de crasi et aphaeresi instituendae pro fundamento posui auctore Rudolfo Schoellio, studiorum meorum fautore humanissimo; qui quod Argentorati liberalissime ad inscriptionum studium me adduxit, gratias ei ago amplissimas.

PARS PRIOR . DE CRASI.

CAPUT I . DE UOCABULI CRASIS NOTIONE ET DE CRASEOS LEGIBUS.

L. Ahrensius plurimis ex recentioribus grammaticis adstipulatus in commentatiuncula „de crasi et aphaeresi" (Stolbergae Hercynicae 1845) pg. 1 crasin his definit verbis: „Crasis fit, cum uocalis uocem claudens cum sequentis uocis uocali initiali in unam syllabam coniungitur." Attamen antiqui grammatici Graeci longe aliter uoce illa utuntur. Quos quidem Buttmannus in grammatica (I pg. 112 adn.) scite monuit commissuras duarum syllabarum in duabus uocibus nec nomine nec pronuntiatione seiungere ab uocalium commissuris eis, quae una in uoce fiunt; immo utrumque com-

missurae genus *συναλοιφήν* nominare, cuius distinguantur species tres: *θλῖψιν* (elisionem), ubi alter sonus elidatur, *συναίρεσιν*, ubi duae uocales sine ulla mutatione in diphthongum coalescant, *κρᾶσιν*, ubi ex duabus uocalibus contractione unus efficiatur sonus mixtus. Quia uero tres illae species non sufficiant ad omnes uocalium commissuras explicandas, uarias earundem mixtiones a ueteribus statui.

Hausit eam normam Buttmannus ex scholiis in Dionysii grammaticam (Bekkeri anecdot. pg. 697), ubi de synaloephes generibus legimus haec:

Ἐπεὶ δὲ ἐκθλίψεως ἐμνήσθημεν, δεῖ γινώσκειν ὅτι ἡ μὲν συναλοιφὴ γένος ἐστίν, ἔχει δ'⟨εἴδη⟩ ἑπτά, τρία μὲν ἁπλᾶ, τέσσαρα δὲ σύνθετα. καὶ τὰ μὲν ἁπλᾶ εἰσὶ ταῦτα· ἔκθλιψις, κρᾶσις, συναίρεσις. καὶ ἔκθλιψις μέν ἐστιν, ἡνίκα εὑρεθῇ λέξις εἰς φωνῆεν ἢ φωνήεντα καταλήγουσα, τῆς ἐπιφερομένης λέξεως ἀπὸ φωνήεντος ἢ ἀπὸ φωνηέντων ἀρχομένης. τότε γὰρ ⟨διὰ⟩ τὸ χασμῶδες καὶ κεχηνῶδες ἐκθλίβεται τὸ τέλος τῆς προηγουμένης λέξεως. καὶ ἡνίκα ⟨μὲν⟩ ὦσιν ἐν παραθέσει, δέχονται ἀπόστροφον, οἷον κατὰ ἐμοῦ — κατ' ἐμοῦ· ἡνίκα δὲ ὦσιν ἐν συνθέσει, οὐ δέχονται ἀπόστροφον, οἷον κατὰ ἔγραφον — κατέγραφον, κατὰ ἔζην — κατέζην. ταῦτα μὲν περὶ τῆς ἐκθλίψεως. Διαφέρει δὲ συναίρεσις κράσεως κατὰ τούτους τοὺς τρόπους. ἡ συναίρεσις περὶ τὸ ῑ καὶ τὸ ῡ καταγίνεται, προηγουμένου προτακτικοῦ φωνήεντος, οἷον πάϊς — παῖς, ἀΰω — αὔω, Δημοσθένεϊ — Δημοσθένει. διαστέλλει δὲ τὸ συνῃρημένον ἀπὸ τοῦ ἐντελοῦς ἐκ τοῦ μὴ περιστίζεσθαι τὸ ῑ καὶ τὸ ῡ ἐν τῇ συναιρέσει. δεῖ δὲ γινώσκειν ὅτι τὸ ῑ καὶ τὸ ῡ δεῖ περιστίζειν, ἡνίκα προηγεῖται προτακτικὸν φωνῆεν κατὰ διάστασιν· ἐπεὶ ὅταν προηγῆται ὑποτακτικὸν φωνῆεν, οὐ δεῖ περιστίζειν αὐτά, οἷον ἰαχή, ἰωή. ἡ δὲ κρᾶσις περὶ πάντα τὰ φωνήεντα καταγίνεται, οἷον Δημοσθένεος — Δημοσθένους, ἱέραξ — ἵραξ, τὸ ἐμόν — τοὐμόν. καὶ ἡνίκα μὲν γίνηται κρᾶσις ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων, τίθεται κορωνίς, οἷον [hic lacuna est] *νόος — νοῦς. ἄλλως τε δὲ ἡ συναίρεσις φυλακτική ἐστι τῶν αὐτῶν φωνηέντων, οἷον πάϊς — παῖς· ἡ δὲ κρᾶσις πάντως ἀλλοίωσιν ἀπεργάζεται, οἷον Δημοσθένεος — Δημοσθένους. Ταῦτα μὲν εἰσι τὰ ἁπλᾶ εἴδη τῆς συναλοιφῆς.*

Τὰ δὲ σύνθετα ταῦτα· ἔκθλιψις καὶ κρᾶσις, ἔκθλιψις καὶ συναίρεσις, κρᾶσις καὶ συναίρεσις, ἔκθλιψις καὶ κρᾶσις καὶ συναίρεσις.

Καὶ ἔκθλιψις μὲν καὶ κρᾶσίς ἐστιν, ὡς ἐπὶ τοῦ καὶ ἐγώ — κἀγώ· ἐκθλίβεται γὰρ τὸ ῑ τοῦ καί συνδέσμου, καὶ κιρνᾶται τὸ ᾱ καὶ ε εἰς ᾱ μακρόν. ἔκθλιψις δὲ καὶ συναίρεσις, ὡς τὸ ἐμοὶ ὑποδύνει — ἐμοὐποδύνει· ἐκθλίβεται γὰρ τὸ ῑ τῆς ἐμοί ἀντωνυμίας, συναιρεῖται δὲ τὸ ō καὶ ῡ εἰς τὴν οῡ δίφθογγον. κρᾶσις δὲ καὶ συναίρεσις, ὡς ἐπὶ τοῦ ὁ αἰπόλος — ᾡπόλος· κιρνᾶται γὰρ τὸ ō καὶ ᾱ εἰς ω, καὶ συναιρεῖται τὸ ω καὶ τὸ ῑ εἰς τὴν ᾠ δίφθογγον. ἔκθλιψις δὲ ⟨καὶ⟩ κρᾶσις καὶ συναίρεσις, ὡς ἐπὶ τοῦ οἱ αἰπόλοι — ᾡπόλοι· ἐκθλίβεται γὰρ τὸ ῑ τοῦ οἱ ἄρθρου, καὶ κιρνᾶται τὸ ō καὶ ᾱ εἰς ω, καὶ συναιρεῖται τὸ ω καὶ ῑ εἰς τὴν ῷ δίφθογγον. —

Similia praecepta de usu uocabulorum *κρᾶσις, συναίρεσις* etc. seruata sunt in Crameri anecdotis Oxoniensibus IV 200, 26, in quibus quae insunt corruptelae ex illius scholii comparatione facillime remoueri possunt:

ἔκθλιψις· κατὰ ἐμοῦ — κατ' ἐμοῦ. κρᾶσις· τὸ ἐμόν — τοὐμόν. συναίρεσις· πάϊς — παῖς. ἔκθλιψις καὶ κράσις (leg. *κρᾶσις*)· *οἷον ἐγὼ* (leg. *καὶ ἐγώ*) — *κἀγώ· ἐκθλίβεται γὰρ τὸ ῑ τοῦ καί συνδέσμου, καὶ κιρνᾶται τὸ ᾱ καὶ ε εἰς ᾱ μακρόν. ἔκθλιψις καὶ συναίρεσις· οἷον ἐμοὶ ὑβρίζεις — ἐμοὐβρίζεις· ἐκθλίβεται γὰρ τὸ ῑ, καὶ κράσει* (leg. *συναιρεῖται*) *τὸ ō καὶ ῡ εἰς τὴν ου δίφθογγον. κρᾶσις καὶ συναίρεσις· οἷον ὁ αἰπόλος — ὠ'πόλος* (leg. *ᾡπόλος*)· *κιρνᾶται τὸ ō και ᾱ εἰς ω,* [*καὶ συναιρεῖται τὸ ō καὶ ῑ εἰς ω μέγα,*] *καὶ συναιρεῖται τὸ ō* (leg. *ω*) *καὶ ῑ εἰς τὴν ω* (leg. *ῳ*) *δίφθογγον* ⟨deest septima species⟩.[1]

In his praeceptis diligentius inter varia synaloephes genera, ac praecipue inter *κρᾶσιν* et *συναίρεσιν* discernitur. Synaeresis igitur secundum scholiastae regulam commissura uocalis est cum sequenti ῑ uel ῡ ita facta, ut neuter sonus in commissura mutetur, sed ῑ uel ῡ cum praecedente uocali coniunctum efficiat diphthongum, uelut *πάϊς* fit *παῖς, ἀΰω* fit *αὔω, Δημοσθένεϊ* fit *Δημοσθένει.*

Atqui illas regulas grammaticorum usus minime confirmat: qui modo crasis nomen pro synaeresi ponunt modo uice uersa. Conferas locum Herodiani (ed. Lentz I 11, 2):

---

[1] Conf. etiam 'Scholia Hephaestionea *A*' ed. Studemund in Anecdotis Variis I pag. 126.

πάλιν τὸ χρυσέος καὶ ἀργυρέος μετὰ τὴν συναίρεσιν περιεσπάσθη ..., ubi ex praeceptis illis dicendum erat *μετὰ τὴν κρᾶσιν*. Deinde (I 38, 27) legimus: *ἐκ δὲ τούτου τοῦ Ποσειδέων συνηρέθη Ποσειδῶν*. Exemplum aptissimum, quo uocibus *συναίρεσις* et *κρᾶσις* promiscue usum esse Herodianum demonstretur, est in uol. II 321, 36: *Δημάδης: ἀπὸ τοῦ Δημέας γίνεται Δημεάδης καὶ κατὰ συναίρεσιν Δημάδης· καὶ ὤφελεν εἰς η γενέσθαι ἡ κρᾶσις, ἀλλὰ διὰ τὸν χαρακτῆρα εἰς ᾱ ἐγένετο*, quo loco *συναίρεσις* et *κρᾶσις* in uno uerborum conexu idem significant. — In Theodosii regulis (ed. Bekker anecdot.) fere una *συναίρεσις* uox ad uocalium commissuras significandas usurpatur.

Praeter uoces *κρᾶσις, συναίρεσις, συναλοιφή* aliae quoque licet rarius ponuntur, velut in Theognosti regulis (Crameri anecdot. Oxon. II 86, 30) *διὰ τὴν τῶν φωνηέντων σύγκρασιν*, in Choerobosci orthographia (ibid. pg. 195, 5) *κατὰ σύνθεσιν τοῦ ε̄ καὶ ῑ εἰς τὴν ει̅ δίφθογγον*, apud Herodianum (II 328, 4): *Ὠρεΐτης καὶ κατὰ σύνοδον τοῦ ε̄ καὶ τοῦ ῑ Ὠρείτης*, in Anonymi regulis de prosodia (G. Hermann de emend. rat. pg. 461) *μῶν . . . ἀπὸ γὰρ τοῦ μὴ οὖν σύγκειται*.

Quid quod uox crasis non modo ad uocalium commissuras significandas, sed etiam de uocalibus cum consonantibus uel consonantibus cum consonantibus coniunctis usurpatur, ut in Choerobosci orthographia (l. c. II 195, 27): *δέλλη οὖν φῶς ἐστιν, καὶ κατὰ κρᾶσιν τοῦ ελ̅ εἰς τὴν ει̅ δίφθογγον γέγονεν δείλη*, et in excerptis grammaticis variis in Crameri Anecd. Oxon. IV 197, 20: *κράσει τοῦ κ̄ καὶ σ̄ εἰς ξ̄ γίνεται*; etc.

Apparet apud grammaticos Graecos certas regulas de usu uocabulorum *κρᾶσις* et *συναίρεσις* excogitatas quidem, sed a singulis grammaticis non diligenter obseruatas esse. Id tamen constare uidetur, *συναλοιφή* uocem rarius et ampliore sensu poni, cum *κρᾶσις* et *συναίρεσις* uocibus promiscue utantur, ita tamen, ut si contrahendarum uocalium posterior sit ῑ uel ῡ, saepius a grammaticis *συναίρεσις* dicatur. —

Longe aliter Latini grammatici uocabulis illis usi sunt. Qui uocabulum *κρᾶσις* in artem grammaticam Latinam non receperunt, neque ulla, quod sciam, exstat apud grammaticos

Latinos craseos definitio nisi in Marii Victorini arte grammatica (VI 67, 5 K), ubi legimus: '.... quam Graeci dicunt κρᾶσιν, id est cum uniùs litterae uocalis in duabus syllabis fit communio, ut „audire est operae pretium procedere recte" .... quae ueluti per contrarium συνεκφώνησιν in metris imitatur'.

Commissuram duarum uocalium in uno uocabulo Latini synaeresin nominant teste Mario Plotio Sacerdote in arte grammatica (VI 453, 1 K): 'Episynaliphe uel synaeresis est, cum plurimarum syllabarum dictio in pauciores concluditur, ut „fixerit aeripedem (Verg. Aen. VI 803)" et „Oelides (Aen. VI 529)" pro „aëripedem" et „Aeolides".'

Idem in Pompeii commento (V 297, 29 et 298, 5 K): 'Synaeresis est . . . ., quotiens duae syllabae in unam contrahuntur . . . . ut est illud „fixerit aeripedem ceruam" (Aen. VI 803) pro eo quod est „aëripedem"'.

De synaloepha loci sunt in Diomedis arte grammatica (I 442, 15 K): 'Synaliphe est conlisio, quae fit, cum duarum inter se concurrentium uocalium altera eliditur, ut „atque ea diuersa penitus dum parte geruntur (Aen. IX 1)"; hic enim unum „e" praecedens excludi necesse est. haec a quibusdam syncrisis (leg. „synaeresis") nominatur'; et in Marii Victorini arte grammatica (VI 66, 7 K): 'συναλοιφή est, cum inter duas loquellas duarum uocalium concursus alteram elidit.'

Denique de ecthlipsi Marius Plotius (VI 453, 6 K): 'De ecthlipsi. De hac superuacuum est dicere, quia synaliphae similis est; quidam tamen inter synaliphen et ecthlipsin hoc interesse uoluerunt, ut synaliphe sit uocalium, ecthlipsis uero consonantium.'

Atque ecthlipsin consonantium elisionem esse Charisius quoque testatur in institutione grammatica (I 279, 12 K): 'ecthlipsis est, cum duabus dictionibus dure concurrentibus aliqua consonantium uel plures quaelibet eliduntur, ut „multum ille et terris iactatus et alto (Aen. I 3)" pro „multum"'.

Facile intellegitur, quam penitus vocabula illa artis sollemnia a grammaticis Latinis commutata sint, quippe qui

praeter uocabulum *συναίρεσις* nullo eorum eodem sensu utantur quo Graeci. —

Nostris uero temporibus, ut omnes 'termini technici' in arte grammatica accuratius expressi, sic etiam uocalium mutationibus certa imposita sunt nomina: etenim uocalium commissura, quae fit in uno uocabulo, nomine contractionis notatur, crasis nomine commissura duarum uocalium in duobus quae fit uocabulis, synaeresis uox abiecta est.

Transeo ad leges craseos examinandas, quales a grammaticis nostris constitutae sunt.

Ahrensius in libello, cuius supra mentio facta est, leges summas craseos constituit, cuius auctoritatem secuti sunt cum alii grammatici tum Kuehnerus. De quibus legibus breuiter exponam.

Crasis igitur fit, cum uocalis uel diphthongus uocem claudens cum proxime sequentis uocis uocali uel diphthongo initiali in unam syllabam coniungitur. Abstinuerunt uero Graeci crasi, ubicunque hiatus elisa breui uocali uitari potuit. Vocales duae per crasin coniunctae semper arte cohaerent, neque fieri potest, ut uoces, quae interpunctione aut pausa metrica aut personarum mutatione dissaeptae sunt, per crasin coeant, quoniam in media aliqua syllaba nulla pausa uel orationis uel rhythmi esse potest. Deinde una syllaba non potest nisi uni accentui parere, unde necessario colligitur ipsas uoces per crasin copulatas communi accentu regi. Qua re hanc legem summam constitui necesse est:

Crasi non possunt coniungi nisi quae uoces facile sub unum accentum comprehenduntur.

Itaque primum facillime crasi se offerunt uoculae aut nullo accentu proprio aut leuiore instructae, quas intellegas uel cum sequentibus uel cum antecedentibus uocabulis facile sub unius accentus imperium coire. Deinde constat in omnibus linguis passim fieri, ut etiam grauioris accentus uocabula quotidiano usu iuncta unam uocem uni accentui parentem efficiant; itaque etiam in talibus commissuris crasis legitima statui potest, ut *οὕνεκα, ὁθοὕνεκα, ὁσημέραι.*

Hinc profectus Ahrensius, quae uoces per crasin coire possent, accurate quaesiuit: quod ut exploraret egregie ei contigit, quantum ad Atticam pertinet dialectum ac praecipue ad dialectum poeticam quaestio. Quod si et reliquas dialectos et maxime inscriptionum testimonia respiciemus, intellegemus poetas illos multas crases insolitas admisisse siue metro coactos siue uulgi imitatos pronuntiationem.

Post Ahrensium Kuehnerus (gramm. I pg. 173 sqq.) ex scriptoribus antiquis craseos exempla diligenter collegit regulasque craseos proposuit has:

1. Signum craseos' (*κορωνίς* [corniculum] a grammaticis nominatum) supra uocalem crasi ortam ponitur, idque, si sonus coniunctione effectus diphthongus est, supra posteriorem uocalem. Omittitur coronis, ubi cum spiritus asperi sede congruit, velut in *ὁ ἀνήρ* — *ἁνήρ*; ubi cum spiritus lenis sede, spiritus ut superuacaneus omittitur, velut in *τὸ ὄνομα* — *τοὔνομα*.

2. Utuntur crasi praecipue poetae: perraro Homerus, saepius posterioris aetatis poetae, maxime Attici atque ex his comici potissimum, certe in dialogo: nam in canticis sublimior sermo crasin fere aspernatur. Ex pedestris orationis auctoribus oratores saepius crasin usurpant. Nunquam uero crasis locum habet, ubi elisa uocali breui hiatus uitari potest; cum diphthongi quae elidantur idoneae aliquando crasin patiantur.

3. Ut in contractione, ita in crasi quoque duplex constitui potest ratio, altera grammatica et tamquam logica, altera phonetica, quae ad sonos contrahendos spectat. Illa uti Atticam dialectum Kuehnerus dicit, quae dialectus in uocalium commissuris uocabulo grauiori maiorem tribuerit auctoritatem et praecedens uocabulum minoris auctoritatis illi subiunxerit, uelut *ὁ ἀνήρ*, quod per crasin Atticam fiat *ἁνήρ*, *καὶ εἰς* — *κεἰς*, *οἱ ἄνδρες* — *ἅνδρες*; ceteras autem dialectos, quae praecipue sonos contrahendos respicerent, alteram secutas esse rationem, velut *ὁ αὐτός* in Dorica dialecto *ωὑτός*, *τοὶ ἄνδρες* — *τὤνδρες*; in epica dialecto *ὁ ἄριστος* — *ὥριστος*; Dorice *καὶ ἐκ* — *κἠκ*, *καὶ ἐγώ* — *κἠγώ*. Qua de regula quid statuendum sit, ex eis quae infra exponam elucebit.

4. Si uocabulum prius clauditur diphthongo in *ι* uocalem exeunte, *ι* in crasi omittitur, ut *οἱ ἐπιχώριοι* — *οὑπιχώριοι*,

οἱ ἐμοί — οὑμοί, τῇ ἡμέρᾳ — θἠμέρᾳ, καὶ ἐνταῦθα — κἀνταῦθα, αἱ ἀγαθαί — ἀγαθαί. Itaque ι adscriptum non ponitur, nisi ubi ad posteriorem duarum uocalium per crasin coniunctarum pertinet, ut in καὶ εἶτα — κᾆτα, ἐγὼ οἶδα — ἐγᾦδα (contra καὶ ἔπειτα — κἄπειτα, τῷ ὄχλῳ — τὤχλῳ). Aliter statuit Thierschius, de quo infra dicam.

5. Si uocabulum posterius incipit a uocali spiritu aspero praedita, prius aut articuli forma est aut καί copula, in dialectis, quae non ψιλοῦνται, tenuis τ vel κ mutatur in aspiratam, ut τὸ ἅτερον — θἄτερον, καὶ ὁ — χὡ, etc. De psilosi uide infra.

6. Articuli formae spiritu aspero instructae etiam in crasi spiritum retinent, ut ὁ ἀνήρ — ἁνήρ, Dorice ὡνήρ; ὁ ἐμός — οὑμός. De psilosi uide infra.

7. Crasis, quae in contextu uerborum non scribitur, sed in pronuntiando metri causa statuenda est, rectius nomine synizesis induitur.

Pauca addenda sunt de accentibus craseos.

1. Cum per crasin duo uocabula in unum coalescant, hoc unum uocabulum uni tantummodo accentui parere posse iam supra uidimus. Accentus uocabuli praecedentis et minore pondere praediti omittitur atque a posterioris uocis accentu eadem syllaba, quae antea eum tulit, feritur, ut τὰ ἀγαθά — τἀγαθά, ὅσαι ἡμέραι — ὁσημέραι, cui nonnulli homines docti falso duplicem tribuunt accentum ὅσημέραι.

2. Si uocabulum posterius est paroxytonon disyllabum, cuius syllaba extrema est breuis, accentus crasi facta secundum regulam in circumflexum mutatur, ut τὸ ἔπος — τοὖπος, τὰ ἄλλα — τἆλλα. Quamquam certo constitui non potest, utrum Graeci τἄλλα in cotidiano usu syllaba longa in breuem commutata pronuntiauerint an τἆλλα. Sed si omnino crasin in τἆλλα constituere uolumus, certe circumflexo uocabulum notandum est, quia semper per crasin longa oritur uocalis ac nos regulas de accentibus uniuerse constitutas sequi necesse est. Hermannus Waeschke quidem in commentatione 'de crasi Aristophanea' (Dessauiae 1875) scribit τἄλλα, sed argumenta, quae profert, nullius sunt momenti.[1]

[1] Wolfius (Litt. Analect. II pg. 434) ita discernit inter uocalem longam et diphthongum per crasin ortam, ut uocabulum paroxytonon

3. Si uox enclitica cum uocabulo proxime sequenti per crasin coniungitur, ut τοὶ ἄρα — τἆρα, nouum uocabulum per crasin ortum accentum praecedentis uocabuli mutare non potest, quia iam non encliticum est; ergo δεινὰ τἆρα Aristoph. Ach. 323 scribendum, non δεινά τἆρα.

CAPUT II. DE CRASEOS EXEMPLIS.

Iam exempla craseos, quae in promptu sunt, ita sub uno conspectu ponam, ut et diuersas uocalium commissuras respiciam et dialectorum Graecarum discrepantias. Priusquam autem ad ea enumeranda transeam, Attici sermonis crases praemittam, quem a reliquis dialectis secernere iuuat propterea, quod multo plura quam illae craseos exempla praebet praecipue in scaenicorum poetarum reliquiis. Qua in re distinguendum erit inter scriptorum sermonem et inscriptionum; illi enim, ac maxime poetae, permultis utuntur formis artificiose effictis, quae a dialecto lapidibus tradita alienae sunt.

De crasi in Atticorum dialecto.

I. Coniungitur α, ᾳ, αι cum sequentibus uocalibus.

1. α, αι + α = α saepissime et apud scriptores et in inscriptionibus. τἆλλα Soph. Ai. 1398. Ant. 1170, 1179. — C. I. A. 32, 6; 59, 7; II 163, 29; 813 A 11 etc. τἆθλα Eur. Ph.

---

scribat, si per crasin uocalis longa simplex oritur, ut τἄλλα, τἄργα; perispomenon uero, ubi per crasin diphthongus oritur uel ubi uox posterior iam ante commissuram erat perispomenon, ut τοὖργον, κᾆτα. Sed iam Kuehnerus recte eum refutauit. Quia enim discrimen eiusmodi in uocalium contractione nunquam inuenitur, sed uocalis longa per contractionem orta diphthongo par est, ne in crasi quidem inter uocalem longam et diphthongum est quod discernamus. Utrumque scribitur in codicibus, quorum in talibus rebus exigua est auctoritas. Nos eiusmodi uerba perispomena esse putamus. —

Ceterum Duehrii opusculum de craseos accentibus (Friedland) inspicere non potui.

1262. τἀναγκαῖα Isocr. Paneg. 40. τἀμήχανα Soph. Ant. 92. ἅν Soph. Ai. 1085 pro ἃ ἄν, quod in prosa oratione rarissimum est. — τἀκρωτήρια I. G. A. pg. 169, 3 a in inscriptione porticus ab Atheniensibus Delphis aedificatae. τἀναλισκόμενα C. I. A. II Add. 834 b. I 44. II 7. τἀπό ibid. II 56.

ἀρχαί Ar. Nub. 1197 pro αἱ ἀρχαί. κἀνακωκύει Soph. Ant. 423. κἀναθήματα Soph. Ant. 286. κἄν Eur. Andr. 740, Soph. Ant. 260 et alibi pro καὶ ἄν, in prosa quoque oratione. — κἀγαθοῦ C. I. A. I 473. — Adde καλὸς κἀγαθός et alia passim.[1]

2. α, αι + αι = αι. ταἰσχρά Eur. Troad. 384. Quanquam non sine causa Seidlerus in excursu ad hunc locum τᾀσχρά itemque τᾆτιον (uide infra) et κᾀσχρῶν Aesch. Sept. 668 scribit ad exemplum formae Doricae ᾡπόλοι et secundum regulam illam, qua α longo ι non adscribi sed subscribi iubetur, tamen codicum scripturas ταἰσχρά etc. perspicuitatis causa praetulerim non minus quam χαἰ non χᾀ pro καὶ αἱ et θαἶμα pro τὸ αἷμα non θᾆμα.

3. α, αι + αυ = αυ. In scriptorum reliquiis ταὐτά saepissime, καὐτός Soph. O. R. 927. Ai. 347. El. 28. χαὔτη Soph. Ant. 426. — In inscriptionibus saepe ταὐτά C. I. A. I 8, 11; 39, 10; etc.

4. α, αι + ε = α et apud scriptores et in inscriptionibus. ἅλαβες Soph. Ph. 1247 pro ἃ ἔλαβες. — ἀκράτησας Soph. O. R. 1523. — ἀπόνησα Eur. H. F. 259. — ἀγώ Isocr. Nicocl. 62, Demosth. XXXIX 39, etc. — ἀμ' Hipp. 345 pro ἃ ἐμέ. — τἀν Soph. Ant. 780 pro τὰ ἐν. — τἀνα[ντία C. I. A. II 333, 7; τἀναντία 578, 13; Add. 49 b 26. τἀπιτήδεια 814 b 33.

---

[1] Apud Aristophanem saepius formae uerbales generis medii cum sequenti ἄρα particula per crasin coniunguntur, ut οἰμώζετἄρ' Thesm. 248. δῄξομἄρ' Ach. 325. οἰμώζἄρα Pl. 876 pro οἰμώζει ἄρα etc. Kuehnerus putat eiusmodi crases ad suffixum uerbi pertinere, non ad totum uocabulum, quia in crasi uocabulum maioris auctoritatis ut δῄξομαι etc. uocabulo minoris auctoritatis praecedere non possit. At cum eiusmodi crases nusquam alibi inueniantur, ego quidem statuam elisionem δῄξομ' ἄρα, quae exemplo tituli Attici C. I. A. II 379 ὅπως γένητ' ἐφρόντισεν confirmatur. — Ceterum craseos Aristophaneae exempla pertractauit Waeschkius l. c., quem conferas.

κἀμάτινες Soph. O. R. 1052. — κἀκεῖνος, κἀνταῦθα, κἀγώ saepissime. — κἀς Aristoph. Au. 949 al. pro καὶ ἐς. — κἀπιχωρίοις Aesch. Suppl. 800. — κἀν ibid. 834. — χἀτέρῳ Soph. Ant. 687. 569. — κἀπίληπτος ibid. 406. — κἀξέλεγχ' ibid. 399. — κἄτι ibid. 64 pro καὶ ἔτι. — κἀμοί et sim. Soph. Ant. 32. 6. — κἀπεί ibid. 168. κἄπειτα Ar. Eccl. 1100. — κἀκεῖθεν et κἀκεῖ C. I. A. II 471, 12. 20. — κἀγώ I. G. A. 492 b 3; κἀπίσταrον ibid. us. 4 in Attica inscriptione monumenti Sigeensis. — κἀποίησεν Ἐφημ. ἀρχ. 1883 p. 38 n. 8; κἀπόησε C. I. G. 8157 et κἀποίησε C. I. G. 8154 in inscriptionibus duorum uasorum uetustissimis, quas Atticae dialecto tribuerim propter formam ποέω.

5. α, αι + ει contrahitur

a. in ᾳ. κᾆτα Soph. Ai. 1152 et Xen. Hell. VII 3, 10 et alibi sescenties.

b. in ει. κεἰ, κεἰς apud tragicos. Soph. Ant. 234. 461. κεἰσήκουσας ibid. 9. — κε[ί]κοσι C. I. A. 9, 8 (exemplum ualde incertum; *KENKOEI* traditur in lectione Fauuelii corruptissima).

Mira sane discrepantia contractionis, unde Thierschius (Gr. § 38, 4 adn. 2) aliique scribere maluerunt κ' εἰ, κ' εἰς eodemque modo κ' αὐτός sim., omnino elisionem αι diphthongi copulae statuendam rati. Verum elisioni αι diphthongi obstant reliqua exempla, ut κὠδύρεται Soph. Ai. 327, κᾆτι Ant. 64, quibus in exemplis per duarum uocalium commissuram longa oritur uocalis. Uno loco καὶ + α fieri uidetur κᾱ: in scolio apud Athen. XV 695 a κ' Ἀριστογείτων. Atque crasis quidem statui nequit, quia longa syllaba metro respuitur. Bergkius autem (P. L. G. Scol. 9), cum elisio, quam Brunckius recepit, haud solita sit, probabiliter forma καί, quam codices tradunt, integra seruata metricam agnoscit licentiam in popularibus cantilenis minime inauditam: Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων — ◡◡, — ◡◡, — ◡, — —.

Contractio, qua modo ᾳ efficitur modo ει, ita tantum explicari potest, ut naturam ει diphthongi in εἶτα et εἰ, εἰς diuersam respiciamus. εἶτα respondet scr. êtas (cf. Benfey Wurzellexicon I 9), quo probatur ab origine diphthongum in uocula infuisse; εἰς vero ex *ἐνς ortum est per productionem suppletoriam quam uocant, εἰ ex *Ϝῑ, lat. sī. —

Quae sequuntur uocalis α cum aliis coeuntis crases apud solos scriptores inueniuntur:

6. α, αι + ο = ω. *θὦπλα* Ar. Au. 449 et Lys. 277 pro *τὰ ὅπλα*. *τὠνόματα* Nub. 395. *τὤρνεα* Av. 105. — *κὠδύρεται* Soph. Ai. 327. *χὠ* Soph. Ant. 512. *χὤταν* ibid. 495. *χὠπόσοι* ibid. 214.

7. α + ι = αι. *θαἰμάτια* Ar. Vesp. 408 pro *τὰ ἱμάτια*. Lys. 1084. 1093. Eccl. 26. 75. 99.

8. αι + ι = ι. *χἰκετεύετε* Eur. Hel. 1024 pro *καὶ ἱκετεύετε*.

9. αι + υ = υ. *χὐποχείριον* Eur. Andr. 736.

10. αι + η = η. *κἦλθον* Aesch. Sept. 792 (cod. M exhibet *κεῖσθον* [ηλ]). — *χἠ* Soph. Ph. 527. Ant. 488. 1252. — *χἠμεῖς* Soph. Ant. 432.

11. αι + ευ = ευ. *κεὐτυχοῦσα* Eur. Andr. 888. — *κεὐσταλής* Soph. Ph. 780.

12. αι + οι = οι. *χοἰ* Soph. Ph. 565. Ant. 542. 580 pro *καὶ οἱ*.

13. αι + ου = ου. *χοὔτως* Soph. Ant. 232. *κοὐ* et *κοὔτε* saepissime. *κοὐχί* Soph. Ant. 273. *κοὐδείς* ibid. 263. *κοὔποτε* ibid. 207.

II. Coniungitur η, ῃ, ε, ει cum sequentibus uocalibus.

1. η, ῃ, ε, ει + α = ᾱ. *ἀλήθεια* Eur. Phoen. 922 pro *ἡ ἀλήθεια*. *τἀγαθῇ* Ar. Nub. 61. *τἀρετῇ* Eur. Andr. 226. *τἀφροδίτῃ* Ar. Ach. 793. — *τἀθηνᾷ* C. I. A. IV 373 w. *τἀθηναίᾳ* I. G. A. 4; Ἐφημ. ἀρχ. 1883 p. 36 n. 2. *τἀθηνάᾳ* C. I. A. I 351. *τἀθηναία[ι* C. I. A. I 370.

Particula *δή* cum *ἄν* uel *ἄρα* fit *δἄν* Soph. El. 314 et *δἆρα* Eur. I. A. 1228. Ar. Pac. 1240. — *ἐπειδή* cum *ἄν* fit *ἐπειδάν*, quo in uocabulo crasis latet. — *μὴ ἀλλά* apud scaenicos saepe coalescit in *μἀλλά*; codices haec duo uocabula integra tradunt (Aesch. Ch. 918. Ar. Ach. 458), atque cum alia exempla uoculae *μή* cum α in *μἀ* coniunctae frustra quaesiuerim, ego quidem synizesin in eiusmodi exemplis statuam. Ahrensius (l. c. pg. 13 sq.) docuit, cum hoc *μὴ ἀλλά*,

quod cum imperatiuis iungeretur, Dindorfium non recte confudisse μάλλά, e uariis librorum corruptelis a Porsono Aristophani aliquoties optime restitutum: Au. 109. Ran. 103. 611. 745. 751. Thesm. 646. — Illam commissuram ex μὰ Δί' ἀλλά, μὰ ἀλλά ortam esse Ahrensius ostendit.

εἰ ἄν, ἐ(ἰ)άν, ἐάν apud Atticos contrahitur in ἄν, ἐπεὶ ἄν in ἐπάν; Ionice in ἤν, ἐπήν, quibus formis usi sunt Attici poetae et scriptores antiquiores. In inscriptionibus non inuenitur nisi ἐάν forma: semel tamen in titulo Pericleae fere aetatis ἄν, si Cumanudi fides habenda est (Ἐφ. ἀρχ. 1883 pg. 167).

2. η, ῃ + αυ = αυ in αὑτή et ταὐτῇ saepissime.

3. η, ῃ + ε = η. ἡτέρα Soph. O. C. 497 codd., quod correxit Elmsleius in ἁτέρα; idem legimus apud Ar. Lys. 85. 90, ubi in solo codice D est ἁτέρα. Sed nescio cur non scribamus optimis cum codicibus ἡτέρα, praesertim cum Eustathius quoque (ad Od. η 124 pg. 276, 41) formae ἡτέρα testis sit. In titulis ἡτέρα legitur C. I. A. II 742 A 14. 797 a 14 c 18. — τἠκκλησίᾳ Ar. Eccl. 135 pro τῇ ἐκκλησίᾳ. — Formis ἠκ et ἠξ pro ἡ ἐκ, ἐξ abundant scaenici, quibus in exemplis potius aphaeresis constituenda est ἡ 'κ, ἡ 'ξ, quia saepissime uoculae ἐκ, ἐπί sim. post η uocalem aphaeresin patiuntur (uide infra). Eodem modo per aphaeresin scribenda esse puto haec: ἡ 'ξαμαρτία Soph. Ant. 558. ἡ 'ξειργασμένη ibid. 384. ἡ 'πίνοια ibid. 389. ἡ 'πίκτησις Soph. Ph. 1344.

4. η, ῃ + η = η. θἠμέρᾳ Soph. Ai. 756 pro τῇ ἡμέρᾳ.

5. η + ευ = ηυ. ηὐσέβεια Eur. Iph. T. 1202. Thierschius (Gr. § 38, 4 adn. 2) aliique per aphaeresin satis miram ἡ 'υσέβεια scribunt; nec tamen unquam ε diphthongi ullius elisione inuersa tolli potest.

III. ο, οι, ου cum sequentibus uocalibus coalescit.

1. ο, οι, ου + α = α et apud scriptores et in inscriptionibus. ἁνήρ Soph. Ant. 766. Ai. 9 etc. — Plato Phaed. pg. 58 E etc. — τἄγαλμα Mitth. d. arch. Inst. z. Athen III 230. — τἄντρον C. I. A. I 423, si modo hoc exemplum ad Atticam pertinet dialectum (uide infra p. 29).

ἄνδρες pro οἱ ἄνδρες Soph. Ai. 99. Xen. Cyr. II 2, 7; 3, 15 etc. — ἀδελφοί I. G. A. 492 b 11 in Attico titulo monumenti Sigeensis.

τἀνδρός Soph. Ai. 220. Plat. Lach. pg. 179 E; 181 A et saepissime. — τἀπόλλωνος Ar. Au. 982. — τἀνδρός et τἀδελφοῦ Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 45, 1. 19. 32.

Unum exemplum obstat, unde ο uel ου + α in ω coalescere uideatur, in titulo C. I. A. 322 a 75: ΤΟΓΑΛΜΑΤΟΣ, quod τὠγάλματος reddunt Buttmannus (Gramm. pg. 119 adn. 1), Kirchhoffius, alii. Nam quod praeterea ὡπαιτῶν ex Ar. Nub. 1247 citat Buttmannus, ibi libri optimi Rauennas et Venetus ἀπαιτῶν, deteriores ὁ 'παιτῶν habent; scribendum cum Dindorfio ἁπαιτῶν. De illo autem exemplo recte Cauerus (de dial. Att. uetust. in Curt. Stud. VIII 267) sic iudicat: „ο + α uel ου + α apud Atticos non in ω sed in ᾱ coalescunt. Ergo aut Ο lapsu manus pro Α scripta aut τοῦ 'γάλματος intellegendum aut Α litera neglegentia lapicidae prorsus omissa esse putanda est". E quibus tertium Cauero maxime uerisimile esse uidetur, quia talis, qualis in τοῦ 'γάλματος sit, elisionis inuersae nullum exemplum ex titulis Atticis afferri possit, praesertim cum e litteris ΑΛΑ se excipientibus una omitti facillime potuerit.

Huc pertinent Attici sermonis formae θάτερον, θατέρου etc., quae formae ex τὸ ἅτερον (antiqua forma pro ἕτερον) per crasin effictae sunt. Herodianus (II 344, 9 Lentz) rem ita definit: *θάτερον· παρὰ τὸ ἅτερον· Δώριον· τὸ γὰρ ἕτερος ἅτερος λέγουσιν οἱ Δωριεῖς ὡς τρέχω τράχω. οὕτως οὖν καὶ τὰ ἅτερα θάτερα κατὰ συναίρεσιν τῶν δύο ᾱᾱ εἰς ᾱ· καὶ τὸ ἅτερον θάτερον ὡς τὸ ἀγαθὸν τἀγαθόν (ἔμεινε δὲ τὸ τ ἄτρεπτον, ἐπειδὴ ψιλοῦται τὸ ἀγαθόν, τὸ ἅτερον δὲ δασύνεται). εἰ γὰρ ἦν παρὰ τὸ ἕτερον, θοὔτερον ἂν ἦν ὡς τὸ ἔλαιον τοὔλαιον. διὸ καὶ οὐ λέγεται θάτερος ἐπὶ ἀρσενικοῦ ὀνόματος, ἀλλ' ἅτερος.* — Atque eodem modo iam Apollonius rem explicuit (de coni. pg. 229, 5 Schneider): *ἄμεινον οὖν παραδέξασθαι Δωρικὴν μετάθεσιν τοῦ ε εἰς τὸ α, καὶ ὡς ὁ ἀνὴρ ἁνήρ, ὁ ἄνθρωπος ἅνθρωπος, οὕτως τὸ ἅτερον θάτερόν ἐστι.* In Graecorum sermone θάτερον etc. iam antiquiore aetate unum uocabulum esse putabatur, quo saepe factum est, ut ante θάτερον quasi per pleonasmum articulus poneretur.

Particulae τοί, μέντοι, ἤτοι, οὔτοι cum sequenti ἄν uel

ἄρα coniunguntur in τἆρα, μεντἄν, οὑτἆρα etc.; eodem modo καίτοι, quod semel uel cum proxime sequenti uocabulo ἐστὶ coalescit in καιτοὐστί Ar. Vesp. 599.

2. ο, οι + αι = αι. θαἶμα Ar. Lys. 205. ταἴτιον Ar. Ran. 1385 (Thierschius τᾀτιον, uide supra sub α + αι). — Αἴσωπος I. G. A. 492 b 10 cave accipias ὁ Αἴσωπος, cum articulo hic nullus sit locus: quotiens in Atticorum dialecto uetustiore spiritus asper positus sit pro spiritu leni, notum est.

3. ο, ου + αυ = αυ. αὑτός, ταὐτοῦ, quibus formis et scriptores et inscriptiones abundant.

Praepositio πρό rarissime cum sequenti αυ coalescit in πρων, sed hic non crasis uerum contractio statuenda est. πρωὐδᾶν Ar. Au. 556.

4. ο, οι, ου + ε = ου. θοὔρμαιον Soph. Ant. 397 pro τὸ ἕρμαιον. τοὔργον Soph. Ant. 85. Arist. Ach. 8; alibi. — οὑργάτης Soph. Ant. 252. τοὐπί ibid. 889. — οὑχθρός ibid. 522. τοὐκείνης Isocr. saepissime. — οὑφόρει Soph. El. 420 pro ὃ ἐφόρει. — οὑξερῶ Soph. O. R. 936. οὑμοί Eur. H. F. 286. οὑγώ Dem. XXII § 67. — οὑργοτίμου C. I. G. 8202 (cf. Klein Griech. Vasen u. Meistersignaturen p. 33).

οὑπιχώριοι Soph. O. R. 939 pro οἱ ἐπιχώριοι . οὑν Eur. Med. 819 pro οἱ ἐν. οὑμοί Eur. Hec. 334. — καιτοὐστί Ar. Vesp. 599 pro καίτοι ἐστί (uide supra).

τοὐλατῆρος Ar. Ach. 246. τοὐπιόντος Soph. O. C. 752. οὕνεκα, ὁθοὕνεκα saepissime. — οὑκράτησα Soph. Ai. 1337 pro οὗ ἐκράτησα. —

Praepositio πρό et apud poetas et apud pedestris orationis auctores in compositione saepe cum sequenti ε uel ο coalescit in πρου. Eiusmodi exempla ego quidem non per crasin sed per contractionem orta putem, quoniam quasi uno in uocabulo uocales coalescunt. προὔπεμψα, προυμόσας Aesch. Ag. 1196. — Nonnullae uero uoces ab ε uocali incipientes cum πρό nunquam contrahuntur, ut προέρχομαι, προεθίζω; praeterea spiritus asper contractionem prohibet in προεορτάζω, πρόεδρος, προορῶ sim.

μοί et σοί encliticae saepe cum ἐστί et ἐδόκει, interdum cum aliis uocabulis per crasin coniunguntur: μοὐστί Soph. Ai. 1225. σοὐστί Ar. Ach. 339. μοὐδόκει Ar. Vesp. 34. σοῦ-

δωκεν Ar. Eq. 1177. μοὔχρησεν Ar. Vesp. 159. μοὐγκώμιον Ar. Nub. 1205.

5. ο, ου + ο = ου. τοὔνομα saepissime. — οὖνος Ar. Ran. 27 pro ὁ ὄνος. — οὐλύμπιος Ach. 530. — οὐδυσσεύς Soph. Ph. 572. — τοὔστρακον Cratin. fr. 71 Kock. Ar. Eccl. 1033. — τοὐρνίθιον Ar. Au. 662. 667. τοὐθόνιον frg. 159. τοὐλυμπίου Ar. Au. 130. — τοὔνομα C. I. A. II 841, 11. 16. — τοὐβολοῦ C. I. A. II Add. 834 c 36. Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 119 n. 148.

6. ο + ι = οι. θοἰμάτιον pro τὸ ἱμάτιον saepe etiam in pedestri oratione.

7. ου + υ = ου. θοὔδατος Ar. Lys. 370 pro τοῦ ὕδατος.

8. ο + η = η. θηρῷον Ar. Vesp. 819. θἤμισυ Lys. 116. 132.

9. ο + οι, ῳ = ῳ. ᾦνος pro ὁ οἶνος et ᾠνοχόος Eur. Cycl. 560. ᾠκότριψ Ar. Thesm. 426 pro ὁ οἰκότριψ. — τᾠκίδιον Ar. Nub. 92 pro τὸ οἰκίδιον. — τᾠδεῖον Cratin. fr. 71 Kock.

IV. ω, ῳ cum sequentibus uocalibus

in inscriptionibus bonae aetatis nunquam contractae sunt.

1. ῳ + α = α. τἀνδρί Soph. Trach. 60. 603. Plut. Mor. pg. 775 C.

ὦ interiectionem Attici saepe cum uocis sequentis uocali initiali contrahunt et ita quidem, ut semper ω uocalis in contractione praeualeat, quia interiectio maioris est ponderis quam articulus. Itaque ὦ + α fit ω: ὦνερ, ὦνδρες, ὤνθρωπε.

2. ω + αυ = αυ. ταὐτῷ saepissime.

3. ω, ῳ + ε = ω. τὤκ Ar. Ach. 1103. ὠφυτεύσαμεν Soph. O. R. 1504. τὠπιόντι Soph. O. C. 1532; nisi scribendum est τὼ 'κ, ὣ 'φυτεύσαμεν, τῷ 'πιόντι per aphaeresin. Certe ἐκ, ἐπί ut post η uocalem ita post ω quoque ε per elisionem inuersam amittunt.

ὦ interiectio cum sequenti ε coalescit in ὦταῖρε Ar. Eccl. 636. Vesp. 1239.

4. ω + ο = ω. τὠφθαλμώ. Ar. Nub. 362. 411. τὠβολώ Ran. 270.

5. ω + οι = ῳ. ᾦζυρέ Ar. Nub. 655. ᾦζυρά Ar. Lys. 948 pro ὦ οἰζυρά.

Cum ἐγώ pronomine et in poesi et in prosa oratione uoces οἶδα, οἶμαι coalescunt in ἐγῷδα, ἐγῷμαι.

6. ω + ευ = ωυ. ὡὐριπίδη Ar. Thesm. 4 pro ὦ Εὐριπίδη.

Ceterum aliquando crases duplices, i. e. commissuras trium uocalium uel diphthongorum apud scaenicos Atticos statuerunt homines docti: ut χἄνδρες Ar. Lys. 594 pro καὶ οἱ ἄνδρες Reisigius pro codicum lectione κἄνδρες; χἄν Soph. O. C. 13 pro καὶ ἃ ἂν Elmsleius aliique, ubi codices omnes exhibent ἂν i. e. ἃ ἄν. — Quae crases duplices cum neque traditae sint neque facile defendi possint, codicum lectionem utroque loco retineo.

Iam reliquas perlustrabo dialectos, quas et cum Attica et inter se me comparaturum esse pollicitus sum.

I. α, αι, ᾳ cum sequentibus uocalibus.

1. α, αι, ᾳ + α = α in Attica dialecto: cf. τἆθλα, τἀναγκαῖα, τἀκρωτήρια, ἀρχαί, κἀγαθός, κἄν et in κοινῇ dialecto: τἀξιούμενα C. I. G. 3137, 98. τἀρχεῖα Le Bas-W. III 86, 65 pg. 31.

κἀσαφῇ C. I. G. 4741, 9 in inscriptione metrica *ΚΑΙΑ-ΣΑΦΗ* exaratum, sed metri causa crasis necessaria est. κἄν C. I. G. 2953, 4; 3332, 8; 3916, 17. κἀγήρασν C. I. G. 6208, 10. κἄλλ' C. I. G. 6219, 2. κἀξίῳ C. I. G. 6243, 2. κἀπό C. I. G. 2134 b 23. κἀποθανοῦσα C. I. G. 2439, 9. κἀγαθός saepissime. φιλοκἀγαθέ Le Bas-W. II 347. καλοκἀγαθίας C. I. G. 3524, 23; 4078, 12; 6548, 6 et saepius.

Eodem modo contrahitur in reliquis dialectis: τἄλλα apud scriptores passim et saepissime in titulis: 1) ionicis: Cauer 50, 15 (Teos) etc. 2) aeolicis: Bezz. Beitr. V pg. 105 sqq. Eresos No. 1; ibid. Pordoselena us. 28. 3) doricis: C. I. G. 1366 (lacon.). Cauer 42, 70. 85; 43, 215; 48, 16 (cret.). -- I. G. A. 544 (Ach. col.). — Cauer 90, 8 (Phoc.). — I. G. A. 112, 5 (Elis).

τἀκρωτήρια I. G. A. 348, cf. Cauer 11. Inscriptio in basi imaginis Victoriae a Messeniis dedicatae, quae Olympiae effossa est, praebet in duobus uersibus prioribus dialectum Doricam; tertium et quartum uersum Ionicae tribuo dialecto, quam artificis Paeonii patria Mende postulat.

ἅμ pro ἃ ἂν in titulo Thasio scribit Roehlius I. G. A. 379 a: Νύμφῃσιν κἀπόλλωνι νυμφηγέτῃι θῆλυ καὶ ἄρσ|εν ἅμ βούλῃι προσέρδεν: ubi ἅμ pro ἄμ, quod esse debebat ἧμ, recte dedit Duebnerus rev. arch. 1866 I 423.

τἄρρητα Cauer 43, 81 (cret.). ἀπο[γραφά I. G. A. 514, frgm. f 3 (sicil.-megar.)

τἀγαθά Le Bas-W. II 353, 11 (arcad.). C. I. A. II 545 (phoc.).

τἄνθεια Ar. Ach. 869 (boeot.), qui hoc loco Boeotum loquentem inducit.

κἀποθυμίη Simonid. Am. 7, 35. κἀναρίθμιος Archil. tetr. 63, 1.

κἀσόφοις Pind. ol. III 45. κἀνθρώποις pyth. IX 40. κἀγαθῷ pyth. VIII 100. κἀγοραί ol. XII 5. — κἀπό Epich. 19. Sophr. 40. κἀείσω Ar. Lys. 1243 in Laconicae dialecti imitatione. — κἀμφιπεπταλμένα Theocr. II 74. χἀ IV 28.

In carminibus Aeolicis Sappho et Theocritus habent crases has: κἄμμε Theocr. 29, 2. κἄμμες 29, 30. χἄτερα 30, 24. — κἀτέρωτα Sapph. 1, 5. — κἀντίοχος Balbilla (C. I. G. 4730, 10).

Titulorum exempla sunt haec: Ionica: κἀπόλλωνι I. G. A. 379 a (Thas.). κἄτι[μ]ος I. G. A. 381 a 14 sq. (Chios). κἄν I. G. A. 381 c 3 (ibid.); 499, 3. 4 (Ephes.). κἀγαθούς Mitth. I 238 (Andros). καλοκἀγαθίας C. I. G. 2271, 40, quae forma inde ab antiquissimis usque ad recentiora tempora saepissime inuenitur.

Dialecti Lesbiacae crasin habemus in Cymea inscriptione (Cauer 128, 10. 19) κἀγαθόν.

Boeotia: κἀριστοκράτει I. G. A. 145. κἀγαθά Mitth. III pg. 23.

Elis: κἀπό I. G. A. 117, 6.[1]

Arcadia: Huc pertinet forma, quae in inscriptione Tegeatica (Cauer ed. prior. 117, ed. alt. 457) exstat *EIKAN*, quae ab aliis hominibus doctis aliter intellecta est. Gelbkius

[1] κ' ἀλάλοις, κ' ἀργύρω I. G. A. 110 pro κἀ ἀλλάλοις, ἀργύρω: separatim recte scribitur, quia saepissime α particulae κα eliditur.

(Curt. Stud. II. 11) H. Weberum secutus scribit *εἴ καν*, quam particulam olim extitisse praeter *κά, κέν* statuunt. Alii malunt *εἴ κ' ἄν* pro *εἴ κα ἄν*, quam si probamus lectionem, *ἄν* particulam bis positam habemus, nam *κά* nihil aliud esse potest quam *ἄν*. Atqui facillime *εἰ κἄν* pro *εἰ καὶ ἄν* scribi docuit Kirchhoffius Monatsber. d. Berl. Ac. 1870 p. 52.

Corinthus: *κ]ἀνέθηκε* I. G. A. pg. 170; 20, 36 a. Cauer ed. alt. 87.

Argos: *κἀργειάδας* I. G. A. 42.

Calymna: *κἀγαθός* Cauer 69, 35.

Creta: *κἀγαθός* Cauer 45, 19; 38 C 7. *κἄρτεμιν* Cauer 43, 180. *κἀφροδίταν* Cauer 42, 79.

τἀφ[ρ]οδίτᾳ I. G. A. 327 pro *τᾷ Ἀφροδίτᾳ* legitur in inscriptione Thessaliae.

τἀγορᾷ I. G. A. 321, 20. 22 (Locr.-Ozol.).

τἀρεταῖ I. G. A. 117, 13 (Elis).

τἀθεναίαι Le Bas-W. II 355 b (Arcad.).

τἀθάνᾳ I. G. A. 542 (Posidonia colonia Achaiae).

2. α, αι + αι = αι. Attica dialectus: *ταἰσχρά, καἰσχρῶν* etc.

Ionica dialectus: *καἰτός* Arch. ep. 86, 2.

Dorica dialectus: *καἴκα* Epich. 19. Theocr. III 27. *χαἰ* VIII 48.

καἴ Cauer 43, 15 (cret.)

Lesb.-Aeol.: *καἰνομόρῳ* Theocr. 30, 1.

καἴ Bezz. V pg. 105 sqq. Pordoselena 50.

Elis: *κ]αἰχμάνορι* I. G. A. pg. 181 No. 121.[1]

---

[1] De *καἴκα*, quod inuenitur in tabulis Heracl. 101, Meisterus (Curt. Stud. IV pg. 395) haec dicit: „Crasis nullum exemplum conspicitur in tabb. Heracl., nisi quod editores . . . *καἴκα* 101 scribi uoluerunt, ut ex *καὶ αἴ κα* exstitisse putandum esset. Tamen mihi consideranti primum *καὶ αἰ* uoces reliquis tabularum locis, ubi exstant, non coalescere . . ., deinde omnino hiatus . . . nusquam crasi adhibita expelli, . . . admodum veri simile . . . . . esse videtur, *καί κα* minus crasi, quam lapicidae errori deberi.“ Qui recte ni fallor *αι* syllabam hoc loco interiisse iudicat, ut scribendum sit *καὶ ⟨αἰ⟩ κα*.

3. α, αι + αυ = αυ, omnibus in dialectis.

ταὐτά Att. et in κοινῇ dialecto C. I. G. 4007, 5. Le Bas-W. III 399, 5. — Ion.: Herod. III 72. — Le Bas-W. III Add. 1536 us. 12. — Dor.: Pind. nem. VII 104. — Creta: Cauer 38 D 10; 39, 12; 44, 31; 58. 91; 45, 3; 48, 6. Thera: 67 III 28. — Lesb.-Aeol.: Bezz. V pg. 105 sqq. Mytilene 4, 6. Elis: I. G. A. 112, 8.

ταὐτῶ I. G. A. 84; 88 (lacon.). I. G. A. 112, 1 (Elis). ταὐτᾶς 86, 7 (Lacon.). ταὐτᾶ I. G. A. 321, 46/47 (Locr.-Oz.).

καὐτός C. I. G. 3059, 14 (κοινὴ dial.). — Ditt. syll. 349, 49 (ion.). καὖτας Theocr. 30, 31 (aeol.). καὐτοί I. G. A. 117, 13 (Elis). — καὐτάγρετοι Simon. Am. 1, 19. — καὐχένα Theogn. 536.

4. α, αι + ε =

1. α. Ut in Attica dialecto τἀναντία, ἄλαβες, ἀκράτησας, ἀπόνησα, ἀγώ, ἄμ, — κἀμάτευες, κἀκεῖνος, κἀγώ, κἀς, κἀπιχωρίοις, κἀν, — κἀκεῖθεν, κἀπίσταρον, κἀπόησε etc. legimus, sic in titulis κοινῇ lingua conditis frequenter eadem habentur: τἀναντία C. I. G. 3562, 25. Cauer 13, 6. Le Bas-W. II 353, 11. — τἀμά C. I. G. 6248, 12; 2372, 2; Cauer 38 B 41. — τἄ[ν]δ[ο]θεν C. I. G. 6192, 4.

κἀγώ C. I. G. 3310, 1; 3333, 3. — κἀν C. I. G. 5626, 21; 6284, 7. — κἀψ' C. I. G. 3588, 6. — κἀμέ C. I. G. 3741; 6809, 3; 4924 b. — κἀκ[τελεῖς C. I. G. 4379 o 6. — *ΚΑΙΕΞΑΚΟΥΕΙΝ* C. I. G. 4739, 3, ubi metrum crasin poscit. — κἄστιν C. I. G. 6200, 12. — κἀκείνου C. I. G. 6129 b 46. — κἄντα C. I. G. 2892, 4.

Ionica exempla: τἀμά Theogn. 346. Archil. tetr. 50, 1. — Apud Herodotum τὰ ἕτερα in τἄτερα contrahi necesse est; quae semel legitur forma diuersa θάτερα IV 157, ex Attica dialecto interpolata est pro τἄτερα.

κἀσθλοῖσιν Theogn. 355. — κἀμοί Herod. IX 37; III 81. — κἀκεῖνον Herod. IX 37. — κἄπειτα Herod. II 85.

τάν [et per assimilationem τάγ scriptum pro τὰ ἐν] praebet inscriptio Chii insulae I. G. A. 381 c 17. 20; d 11.

κἀγδικασάντων (Chios) I. G. A. 381 b 21.

Lesbiaca dialectus: κἀπιπλεύσῃ Alc. 79. κἀπιλείψω Sapph. 8, fortasse scribendum κἀπυλείψω. κἄσλων Sapph.

Blass in Mus. Rhen. 35, 287 sqq. κἀτέρωτα Sapph. 1, 5. χἄτερα Theocr. 30, 24. — Sed non solum crases καὶ + ε in κἀ contractae nobis traditae sunt, uerum etiam nonnullae in κη̄, ut κἤγω Theocr. 29, 3; κἤμε Theocr. 29, 24; κἠπί Theocr. 29, 37; κἤν Sapph. 68, 3. — Quod Ahrensius (de dial. Gr. I 202) iudicat: „Scripturae ambiguitas ex antiquorum librorum usu, καί integrum seruantium, explicanda uidetur; Doricum contractionis genus (in η) Aeolibus melius conuenit“: id mea quidem sententia falsum est. Nam Theocriti exempla nullius momenti sunt: in uno Sapphonis exemplo (68, 3) non certo tradito κἀν scribendum est, quia in ceteris exemplis omnibus apud Lesbiacos καὶ + ι coalescit in κἀ.

In inscriptione Cebrensi Lollingius (Mitth. VI pg. 120) edidit σ[ᾶ]μάπὶ, ubi lectio ualde est incerta, cum lapis nihil praebeat nisi Σ..ΜΑΛΙ. Certe crasis hic iam propterea constituenda non est, quia uoces illae nullo modo arte cohaerent. Rectius per aphaeresin scribamus σ[ᾶ]μα 'πὶ Σθενέλα aut cum Roehlio (I. G. A. 503) στάλα 'πὶ Σθενέλα.

2. η. Dorica dialectus: κἤν Alcm. 17 (74). Theocr. I 103. — κἤξ Theocr. I 136. — κἤκ Ar. Ach. 790, ubi Megarensem loquentem fingit poeta. — κἠπί Alcm. 70 (19). — κἤπειτα Epich. 19. — κἠγώ Sophr. 6; Theocr. II 118. — κἠρυθράν Ar. Ach. 787. — κἠπεί Theocr. II 100. — κἠμέ II 159; IV 4. — κἤφα I 82. — κἤδωκ' IV 36. — κἠξαπίνας II 25.

τἠπιβάλλοντα I. G. A. 514 (sicil.-megar.).

κἤς C. I. G. 2254, 120. 126. 129. 133 (cret.). — κἠπί C. I. G. 2254, 133. 136. 166 (cret.). — κἠπαινίομεν Cauer 56, 22 (cret.). — κἠλευὔνια I. G. A. 79, 11 (lacon.). — κἤκ I. G. A. 79, 17. 23. 29 (lacon.). — κἤν I. G. A. 79, 24 (lacon.).[1]

---

[1] Apud Pindarum ol. VIII 78 κἄννομον, ol. XIII 103 (et nem. I 69 in adn.) κἀν Mommsenus dedit ex coniectura: cuiusmodi crasis neque codicibus traditur neque Doricae conuenit dialecto.

Duo deprehendi exempla κοινῆς dialecti, ubi αι + ε in η coalescit: C. I. G. 6276, 5 κἤν et 6262, 4 κἠπόθεον. Hae duae inscriptiones Romae seruatae in ceteris epicam praebent dialectum, cui crases Doricae parum conueniunt.

Boeotia: κἠπιχάριτται Ar. Ach. 884 boeotice pro καὶ ἐπιχάρισαι.

Phocis: κἠπί Cauer 81 (Delphi).

Locr.-Oz.: τὴν I. G. A. 321, 23.

κὴν ibid. 21. — κὴ ibid. 4 pro καὶ ἐ. [ἐ positum esse pro ἐκ, aeque atque latine *e* pro *ex*, recte Roehlius docet].

Elis: τὴνταῦ[τα I. G. A. pg. 180 No. 119, 16.

κὴκα[τόν I. G. A. 114, 2. — κὴ[κατ]ό[ν]βαν ibid. pg. 177 No. 113 a 5.

5. αι + ει =

1. ᾳ. **Attice** κᾆτα.

Arcadia: κᾀράνας pro καὶ εἰράνας Bull. VII p. 491 VI. Sic enim scribendum quod traditur *ΚΑΙΡΑΝΑΣ*: en exemplum grauissimum, quod Attica crasi κᾆτα confirmatur.

2. ει. **Atticae** dialecto (κεἰ, κεἰς) respondet **κοινή**: κεἰ C. I. G. 4377, 11. — κεἰν C. I. G. 6203, 6. — κεἰς C. I. G. 6240, 11. — κεἴκοσι C. I. G. 2321, 5.[1]

6. α, αι, ᾳ + ο = ω. **Atticae** (θὤπλα, κὠδύρεται, χὤτε) respondet **κοινή dialectus**: κὠ C. I. G. 4729, 9. — χὠ C. I. G. I Add. 666, 6.

Ionica dialectus: χὤστις Solon 13, 37.

Dorica dialectus: τὠστία Theocr. IV 16.

χὦταν Pind. pyth. II 88. — χὠπόταν pyth. II 87. — χὤτι pyth. IX 48. — χὠπόθεν pyth. IX 48. — χὠς Theocr. II 24. 30. — χὠ Theocr. I 100. 138. Epich. 45, 60. — κὠλίγον Epich. 31. — κὠξύρυγχοι Epich. 40.

τ]ὠνύματα I. G. A. 515, 8 (Selinus col. Megar.). — ἀλυμπιάς I. G. A. 514 f (Megara) non recte scribitur pro ἁ ὀλυμπιάς, quia crasis uocalium *α* et *ο* in *α* inaudita est.

κὠ Cauer 42, 69 (cret.).

Lesb.-Aeol.: κὤττι Sapph. 1, 17. — κὤσσ' Balbilla (Cauer 129, 14). — χὤτι Theocr. 29, 27. — χὤτα Theocr. 29, 7.

Elis: κὠπόταροι I. G. A. 118, 3.

Argos: χὠ I. G. A. 41.

---

[1] Apud solum Theocritum editur κῆπε I 97. κῆπέ II 149. κῆφ' II 101. κῆτε II 150, ubi κεἶπε etc. scribendum esse eo magis puto, quia codices utrumque tradunt atque optimi quidem κεἶπε, κεἶτε etc.

7. α + ι = αι. Atticae formae θαἰμάτια non habeo quod comparem.

8. αι + ι = ι. Ut Attici χἰκετεύετε, poterat Epicharmus contrahere χἰππίδια (Epich. apud Athen. VII 304 e); etsi ea lectio, quam e corruptissima codicum scriptura ληπιδία Dindorfius elicuit, incerta est: cf. Lorenz, Epich. fragm. pg. 240, 13 cum adnot.

9. αι + υ = ῡ. Attico χὐποχείριον Eur. Andr. 736 simile est in Eleo titulo κὐπαδυκίοι I. G. A. 117, 3.

10. αι + η = η. Attica dialectus: κἦλθον, χἠ et κοινή: [κ]ἤ[λ]υθον C. I. G. 3627, 9 et in inscriptione Nicomediensi κἤν Mitth. IV pg. 19.

Ionica dialectus: χἠμέρη Theogn. 160. — κἠλειφόμην Simon. Am. 16, 1. — κἠμέρης Anan. tetr. 5, 10.

Dorica dialectus: Megarensis apud Ar. Ach. 747 χἠσεῖτε.

11. αι + ευ

1. ευ fit in Attica dialecto et in κοινῇ. cf. supra κεὐτυχοῦσα, κεὐσταλής. Simile est κεὐσεβέων C. I. G. II Add. 2055 b 6, ubi scriptum est ΚΑΙΕΥΣ.; metrum coalescere copulam cum uocabulo posteriore iubet.

2. ηυ fit in Dorica dialecto: κηὔγονοι Epich. 23. — Apud Theocr. IV 31, ubi uulgo editur κηὖ, codices optimi tradunt κεὖ, recte ni fallor: nec uero magis καὶ οὐ in κωὐ ut Epicharmus, sed in κοὐ contrahit Theocritus.

Quod C. I. G. 35 in titulo Laconico secundum Fourmonti lectionem traditur κηὐγενίδας, cedit meliori lectioni Εὐγενίδας I. G. A. 53.

12. αι + α =

1. οι. Attica dialectus: χοἰ.

Ionica dialectus: κο[ἰ]νοπίδης I. G. A. 381 c 19/20. — Cauer 133 c perperam edidit κ' Οἰνοπίδης copula καί elisa.

2. ῳ. Dorica dialectus: κῴ Cauer 42, 15 (cret.).

13. αι + ου =

1. ου. Attica dialectus et κοινή: κοὐ, κοὔτε. — κοὐκέτι C. I. G. 3019, 4. — κοὐκ C. I. G. 6205, 4 perscriptum ΚΑΙΟΥΚ in inscriptione metrica.

Ionica dialectus: κοὐκ Theogn. 1342. — κοὐκ Solon 13, 60.

Dorica dialectus: κοὐ Pind. pyth. IV 151. — κοὖτι Theocr. I 62. — κοὖτε II 83. — κοὐδέ II 25. — χοὖτω II 94.

2. ωυ. Dorica dialectus: κωὐδέν Epich. 19.

Lesb.-Aeol.: κωὐκ Sapph. 1, 24.

14. αι + ω = ω. κοινή dialectus: κὠκυμόρων C. I. G. 6275, 6.

Ionica dialectus: χὡς Simon. Am. 24, 1.

15. αι + ῳ = ῳ. Dorica dialectus: κῴχετο Theocr. IV 10.

II. η, ῃ cum sequentibus uocalibus.

1. η, ῃ + α = α in Attica dialecto: ἀλήθεια, τἀγαθῇ, τἀρετῇ, τἀφροδίτῃ, τἀθηναίᾳ etc.[1]

2. η + αυ = αυ in Attica dialecto: αὑτή saepissime.[2]

3. η, ῃ + ε = η. Attica dialectus: ἡτέρα; τῆκκλησίᾳ.

Ionica exempla: τῆτέρῃ Archil. ep. 93, 2. — Exempla δηπίκουρος Archil. tr. 24, 1; ἦκ Theogn. 577; ἀρετῆστιν 147 potius per aphaeresin scribam δὴ 'πίκουρος, ἦ 'κ, ἀρετή 'στιν. Nam quod Rennerus (l. c.) ἀρετῆστιν antiquissimum craseos exemplum uerbi εἰμί esse opinatur: neque εἰμί unquam in crasi exstat nisi post μοί, σοί apud scaenicos Atticos et saepius uocalem initialem post η uocalem amittit, ut in δή 'στι Ar. Thesm. 1228. — Ex inscriptionibus Ionicis haec expiscatus sum: ἠπαρή I. G. A. 497 B 36: τῆπαρῇ ibid. 34 (Teos). — τῆτέρῃ I. G. A. 370 in titulo, qui Euboicus putatur, de quo dubitat

---

[1] Quod Ahrensius (l. c. pg. 3) apud Pindarum ol. XIII 99 (95) δὴ‿ἀμφοτέρωθεν profert, non crasin intellegimus sed synizesin: cf. Boeckh. not. crit. p. 420.

[2] In poesi iambica uetusta δηὖτε particula ex δὴ αὖτε orta inuenitur Archil. tetr. 60. Hippon. tetr. 78, quae particula apud melicos et Dorienses et Aeolenses (Sapph. 1, 15) redit. — Rectius Rennerus (Curt. Stud. I pg. 197) sine coronide scribendum statuit δηὖτε, cum iam mature particulae origo oblitterata esse uideatur, ita ut semper uim unius fere vocis haberet.

Kirchhoffius (arch. Zeitg. XXXVII pg. 153), lapicidae errore *TETEPEI* pro *TETEPAI* exaratum esse ratus, quia uocabulum κεφαλᾶς sequatur. Emendat igitur τήτέρᾳ χερὶ κεφαλᾶς ὑπερέβαλε. Quod Roehlius refutat, cum neque dialectus ulla Aeolica aut Dorica uoce ἕτερος (pro ἅτερος) utatur et eadem inscriptio ante crasin litteram tenuem neglecto spiritu aspero seruet. — Concidit omnis dubitatio, si κεφαλάς accusatiuum pluratiui numeri accipias.

Quod in Eleis titulis μή per crasin cum posteriore uocabulo iungunt: μήπιθεῖαν I. G. A. 112, 2. — μήπιποεόντων 112, 4. — μῆνποι 112, 6. — μήνπεδέοιαν 118, 3, id falso fieri mihi uidetur, quoniam exemplo omnino caret μή negatio in crasi posita (de μἀλλά uide supra). Ego aphaeresin illis in exemplis agnoscendam esse arbitror μὴ 'πιθεῖαν, μὴ 'πιποεόντων, μή 'νποι, μὴ 'νπεδέοιαν, cum et ε uocalis saepe per aphaeresin tollatur et Eleum exemplum similis aphaereseos in promptu sit τοῖ 'νταῦτ' I. G. A. 110, 9. — Boeckhius ibi crasin statuit, cum dicat (C. I. G. 11): „accedit synaloephe τῷνταῦτ', retenta tamen littera ι contra receptam hodie regulam, quae in Aeolismo haud dubie non obtinebat". At retenta littera ι nobis persuadet de crasi cogitari non posse, nam in Elea quoque dialecto ι uocalis uocem claudens in crasi tollitur, ut in κὠπόταροι pro καὶ ὁπόταροι. Quapropter τοῖ 'νταῦτ' scribendum est. — Praeterea ε uocalis elisae post μή negationem Chium est exemplum I. G. A. 381 b 23 μὴ 'λάσσονες.

4. η + η = η. Attica dialectus: θἠμέρᾳ.

Ionica dialectus: τῆρῃ I. G. A. 384 (Samos); τῆ]ρει Bull. VI 190 in inscriptione Amorgina pro τῇ Ἥρῃ.

Boeotia: κῆκα Cauer 107, 46 pro κὴ ἦκα = dor. καῖκα.

5. η + ευ = ηυ. Atticae formae ηὐσέβεια non habeo quod comparem.

III. ο, οι, ου cum sequentibus uocalibus.

1. ο, οι, ου + α =

1. α. Attica dialectus: ἀνήρ. — τἄντρον C. I. A. 423 in inscriptione Archedemi Theraei, in qua nonnullae

insunt formae ab Attica dialecto alienae, ut *ἐξεργάξατο*, quapropter *τἄντρον* quoque num ad Atticam pertineat dialectum dubium. — *τἄγαλμα* Mitth. III 230.

ἄνδρες, ἀδελφοί.

τἀπόλλωνος.

κοινή dialectus: *τἀληθές* C. I. G. 6092, 13. — *τἀνδρός* C. I. G. 2134 b 13.

Elis: *τἀρχαῖον* I. G. A. 111, 5. — *τἀνφίδολοι* I. G. A. pg. 181 No. 120 a.

Argolis: *'Αγελαΐδα* I. G. A. 42, quod *ὁ 'Αγελαΐδα* interpretantur, ad ueram nominis formam *Hageladas* rettulit R. Schoell in Hist. u. phil. Aufs. Ernst Curtius gewidmet p. 123.

τἀργεῖοι I. G. A. 32. 33. — *τἀργείου* I. G. A. 42. Quod Ahrensius (dial. II 222) eiusmodi crases Doricas esse negat, iam certis inscriptionum exemplis refutatur.

τἀριστερόν I. G. A. 21: qui titulus aut Corintho uel coloniae Corinthi cum Roehlio tribuendus est aut Megarae.

Aegina: *τἀχαιοί* in epigrammate donarii Olympici ab Onata confecti Paus. V 25, 5.

2. ω. Atticae dialecti exemplum *τὠγάλματος* iam supra refutaui.

Ionica dialectus: *ὤριστος* Hom. *Λ* 228. *Κ* 539 ex Aristarchi lectione et *ὦλλοι* *Β* 1, quod Zenodotus restituit pro codicum lectione *ἄλλοι*. Quas lectiones absonas esse uidit iam Herodianus (II 344, 3), qui Zenodotum refutat: *ὦλλοι· ἀντὶ τοῦ οἱ ἄλλοι· αἱ τοιαῦται δὲ συναλοιφαὶ τῆς δευτέρας εἰσὶν Ἰάδος, ᾗ Ὅμηρος οὐκ ἐχρήσατο· διόπερ Ζηνοδότῳ μέμφονται εἰπόντι δεῖν ἀναγινώσκειν „ὦλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες“* (sic Etym. M. 821, 39) et eodem ex fonte haustum Schol. ad Apoll. Rhod. I 1081: *ὦλλοι μέν ῥα· ἡ τοιαύτη συναλοιφὴ τῆς νεωτέρας Ἰάδος ἐστί· διὸ μέμφονται Ζηνοδότῳ εἰπόντι „ὦλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες.“ οὐ κέχρηται γὰρ ταύτῃ Ὅμηρος.*

ὡνήρ Herod. II 51. — *ὤνθρωπος* III 68. — *τὠρχαῖον* I 173. IX 45. — *τὤγαλμα* II 42. — *τὠληθές* VI 68.

ὦλλοι Herod. I 48. II 51. — *ὦνδρες* IV 134. — *ὤνθρωποι* VII 11; 49.

τὠγῶνος I. G. A. 497 B 32 (Teos). — τὠπόλλω[νος I. G. A. 500, 36 (Halic.), ibid. 374, 12 (Chalcis).[1]

Lesb.-Aeol. dialectus: ὤνηρ Sapph. 2. Alc. 17.

Dorica dialectus: ὠλιεύς Sophr. 4. ὤτερος Theocr. VII 36.

τὠγαθόν Carapanos Dodone 34, 4.

In inscriptione coloniae Achaicae ὤρταμος I. G. A. 543 secundum elegantissimam Dittenbergeri lectionem pro ὁ ἄρταμος (Herm. XIII 393).

τὠγαθοῦ Epich. fr. 41, 5 Lorenz. — τὤλγεος Theocr. XX 16. — τὠργείου Pind. isth. II 9.

Boeotia: τὠργύριον τὤβυσσον Arist. Lys. 174.

En memorabile dissensus exemplum: Attici, Argiui, Elei contrahunt in α, Iones, Achaei, Boeoti, Aeoles in ω.

2. ο, οι, ου + αι =

1. αι. Attice: θαἶμα, ταἴτιον.

2. ῳ. Dorice: ᾠπόλος Theocr. I 87. — ᾠπόλοι I 80.

3. ο, οι, ου + αυ =

1. αυ. Cum Attica dialecto facit κοινή: αὐτός, ταὐτό, αὐτοί, ταὐτοῦ. — ταὐτόν C. I. G. III Add. 3846 m 11.

Elis: ταὐτόν I. G. A. 111, 6.

2. ωυ. Ionica dialectus: ωὑτός Herod. II 26. VI 58. Hom. *E* 396. — τωὐτό Herod. I 1; VI 58.

ωὑτοί Herod. II 168.

τωὐτοῦ Herod. III 72.[2]

Dorica dialectus: ωὑτός Theocr. XI 34. — τωὐλίον XI 12. τωὔτ' Pind. ol. I 45. — τωὐτοῦ Pind. ol. XIII 37. — Megarensis ap. Arist. Ach. 790.

4. ο, οι, ου + ε =

1. ου. Atticis formis θοὔρμαιον, τοὐκείνης, οὐφόρει, οὐξερῶ, οὑμοί, οὑγώ, οὐργοτίμου; οὐπιχώριοι, οὑν, οὑμοί;

---

[1] τἀνθρώπου Herod. II 121, 6 ionicum exemplum non est, sed ex analogia Attica illatum, quapropter ego quidem scribam τοῦ ἀνθρώπου.

[2] ἐμέο, σέο + αὐτοῦ apud Herodotum in formis usu cotidiano tritis ἐμεωυτοῦ, σεωυτοῦ coalescit.

τοὐλατῆρος, τοὐπιόντος similes seruat κοινή: οὐνθά[δ]ε C. I. G. 3273, 1. — τοὐπώνυμον 5724, 7. — τοὐμόν 6248, 10. — οὑμός 6263, 12. — τοὐπίγραμμ' 6298 a 1. — τοὐναντίον 2905, 3 us. 7. — τοὐμοῦ Le Bas-W. III Add. 1725, 23. — οὕνεκα, τοὕνεκα saepissime.

Ionica dialectus: οὑμός Hom. Θ 360. — οὑπιτυχών Theogn. 918. — οὕτερος Herod. I 34. 134; III 78. — τοὔτερον Herod. I 32. 186. — οὕνεκα, τοὕνεκα saepissime inde ab Homero.

οὑμός C. I. G. 2258, 10 (Samos); τοὐμόν ibid. 8. — τοὐρμοκράτεος I. G. A. 492 a 2.[1]

2. ω. Dorica dialectus: ὤξ Theocr. I 65. ὤλαφος 135. ὤριφος V 24. 30. ὡγώ II 54. — Quod legimus Arist. Lys. 1162 τοὔγκυκλον in dialecti Laconicae imitatione, corrigendum puto in τὤγκυκλον.

Lesb.-Aeol. dialectus: τὤμον Sapph. 114. ὤξ Theocr. 28, 17. ὦρος Theocr. 30, 9. — ὠνίαυτος Bezz. V pg. 105 sqq. Mytilene No. 1 us. 12; cf. Herm. XIII 383.

Locr.-Oz.: ὠπάγων I. G. A. 322, 11, ubi Cauer (ed. prior.) 94 B 2 falso legit οὐπάγων, quod correxit in ed. altera 230.

3. η singulari usu in titulis Eleis: ΤΕΛΛΑ[νοδικ... I. G. A. pg. 177 No. 113 a 4, i. e. τῶ uel τοὶ ἑλλ. — Item ΕΝΤΕΠΙΑΡΟΙ I. G. A. 110, 9. — pg. 180 No. 119 us. 14 pro ἐν τοῖ ἐπιάροι. Litteras traditas alii aliter interpretati sunt: Ahrensius cum olim (aeol. dial. pg. 225) ἐν τῆπι-

[1] Relatiui pronominis crasin statuit Roehlius I. G. A. 370 (Euboea?) οὐφόρα pro ὃ ἐφόρα; litterae uero traditae ΟΦΟΙ/Α nimis sunt dubiae, unde alii uiri docti aliter haec legunt, uelut Kirchhoffius (arch. Ztg. XXXVII pg. 153): ὑπερέβαλε τὸ 'Οφοία (scil. σᾶμα). Res incerta est.

πρό praepositio non tantum in Attica dialecto sed in aliis quoque in compositione saepius coniungitur quidem cum uocali initiali uoculae posterioris, uerum eiusmodi exempla ad contractionem pertinere iam supra monui p. 19. — Apud Homerum saepe inuenitur praepositionis πρό contractio: προὔθηκεν, προὔπεμψα, προὔφαινε, προὔχουσι etc. In poesi elegiaca et iambica habemus exempla προὔδωκα Theogn. 529, προὔδωκαν 813, etc. — Apud Herodotum uero nunquam πρό praepositio cum uocabulo sequenti contrahitur.

ἀρῳ contractum esse statuisset ex ἐν τᾷ ἐπιάρῳ, quod attice dicatur ἐν τῇ ἐπαρᾷ, postea (dial. dor. pg. 550) ab illa opinione regressus Boeckhio concessit uocem neutrius generis ἐπίαρον litteris inesse. Boeckhius (C. I. G. 11), cum *ENT* litteras ad praecedentes referret uoculas, scripsit: αἴτε δᾶμός ἐντ', ἐπιάρῳ κ' ἐνέχοιτο etc., ἐντὶ formam Aeolicam pro Attica ἐστί existimans. Deinde dicit: „Nam quod statuitur ἐντεπιάρῳ pro ἐν τῷ ἐπιάρῳ, quis tulerit Graece doctus? In quarta enim littera *E* non potest inesse ῳ per crasin admistum, neque ῳ apostropho abiectum esse. Nec opus praepositione ἐν: ἐνέχεσθαί τινι aeque usitatum est atque ἐνέχεσθαι ἔν τινι, ut dicitur ἔνοχος εἶναί τινι, non ἔν τινι...... Itaque ἐντ' est ἐστί, quod ut Doribus tribuitur (Greg. p. 280), ita multo magis Aeolicum fuit. Pro ἱερός Aeoles ἶρος dixisse notantur (Greg. p. 589 et intt.) et recte: sed ille Aeolismus Asianus et Lesbius est. Dores dixerunt ἱαρός, quod Peloponnesiaco Aeolismo fuit ἴαρος. Hinc ἐπίαρος pro ἐφίερος ut in Cumaeo marmore κατειρῶν pro καθιεροῦν et κατείρωσις: in quibus ει nihil nisi ῑ. Ἐφίερος est adiectiuum de rebus numini oblatis; hinc placenta ἐφίερος dicta ap. Polluc. VI 76, ubi uaria lectio ἐφίερις uel praui accentus causa spernenda est. Τὸ ἐφίερον autem s. ἐπίαρον nunc est multa deo soluenda: aliud enim alibi pro re nata in illo adiectiuo, ubi substantiui loco usurpatur, intelligendum est."

Boeckhianam igitur lectionem Ahrensius recepit, sed ἐντ' pluralem numerum esse iudicat (l. c.) his usus uerbis: „Minus recte singularem ἐντί Philolai auctoritate defendit (sc. Franzius, Elem. Epigr. Gr. pg. 380). Facilius eidem assentimur, quum ἐντ' pluralem existimari posse monet, quanquam collocatio inter singulares, καδαλέοιτο et ἐνέχοιτο, duriuscula est. Et Boeckhianam quidem uocis ἐπιαροι interpretationem ut nunc magis probemus, iis permouemur, quae in duobus titulis Phocicis Rossii leguntur; nr. 74, a l. 6 [ποταποτισάτω] ποθ' ἱερὸν τῷ Ἀσκλαπιῷ ἀργ[υρίου μνᾶς etc. et nr. 74, b l. 16 καὶ τὸ μὲν ἥμισον ἔστω [τοῦ προστάντος, τὸ δὲ ἥμισο]ν ποθ' ἱερὸν τοῦ Ἀσκλαπιοῦ. Rossius adnotauit: 'ποθ' ἱερὸν, quod nescio an nusquam alibi legatur, his in locis sacram mulctam deo soluendam significare manifestum est.' Non intelligimus,

cur Rossius noluerit ποθίερον scribere, quae uox egregie sustinet Boeckhianam ἐπίαρον i. e. ἐφίερον."

Recte opinor hi uiri docti ἐπίαρον interpretati sunt. Sed *ENT* litteras potius ad ἐπιάροι spectant; a praecedentibus enim uocibus in inscriptione ipsa per interpunctionem secernuntur. Ergo litteras *ENTEΠIAPOI* transcribimus aut ἐν τἠπιάροι (ut Roehlius) aut ἐν τ' ἐπιάροι per elisionem οι diphthongi. Crasis statuenda hic non est, quia οι + ε nusquam coalescunt in η, quippe quae uocales minime sint propinquae. Dialectus Elea eo quoque a reliquis discrepat, quod posteriorem uocem ut maioris momenti integram retinere atque adeo pleniores articuli formas imminuere maluit. Itaque saepius in Eleis titulis ω uel οι articuli eliditur, ut τ' ἑλλα-[νοδικ... pro τῶ uel τοῖ ἑλλανοδικ... I. G. A. pg. 177 No. 113 a 4. — ἐν τ' ἐπιάροι 110, 9; pg. 180. No. 119, 14. — ἐν τ' ἰαροῖ 115, 1; pg. 179. No. 113 c 1. — τ' ἰάρω 111, 3. — τ' ἰαρομάω pg. 177. No. 113 b 4/5. τ' ἰαρόν Bezz. VI. Elis No. 7. — Certe quominus cum Roehlio ἐν τἠπιάροι = ἐν τοῖ ἐπιάροι pro Attico ἐν τῇ ἐπαρᾷ ad similitudinem exempli ἐν τἠπαρῇ I. G. A. 497 B 34 accipiamus, prohibet uocalis ι ante α in ἐπίαρον seruata. — Ceterum ne ab Atticis quidem titulis diphthongi elisio aliena est: cf. C. I. A. II 379 paulo ante a. 229 scriptum, us. 18: ὅπως γένητ' ἐφρόντι[σεν].

5. ο, ου + ο = ου. Attica dialectus et κοινή: οὐδυσσεύς, οὖνος, τοὐλυμπίου, τοὔνομα Mitth. IV pg. 19. — C. I. G. 3123, 10. 3588, 1. 4622, 7 et saepius.

Ionica dialectus: τοὔνομα saepissime apud Herodotum.

Dorica dialectus: τοὔνομα Cauer 38 C (cret.).

6. οι + ο = ω. Boeotia: τώπωρῆϊ I. G. A. 151 cf. Mitth. IX pg. 8 pro τοῖ 'Οπωρῆϊ, quod Iouis epitheton ad fecunditatem autumnalem pertinet.

Elis: τώλυνπίο[ι I. G. A. 111, 4.

7. ο + οι = ῳ. Attica dialectus: ᾦνος, ᾠνοχόος, ᾠκότριψ, τῳκίδιον.

Ionica dialectus: τῳκ[ό]πεδον I. G. A. 381 d 18 (Chios).

Locr.-Oz.: Ὡιανθεύς I. G. A. 322, 7 pro ὁ Οἰανθεύς.

8. οι + ου = ου in Ionica dialecto: *οὐροφύλακες* I. G. A. 381 a 15/16 (Chios) = *οἱ οὐροφύλακες*.

9. ο + ι = οι in exemplo Atticae dialecti *θοἰμάτιον*.

10. οι + ι = ι. Elea dialectus: *τἰαροῖ* I. G. A. 115, 1; pg. 179. No. 113 c 1 scribendum *τ' ἰαροῖ* (uide supra).

11. ο + η fit

1. η in Attica forma *θῄρῳον*; contra

2. ω in Ionica apud Hesiodum Op. 559 *τὠμισυ*.

21. ο, ου + ευ = ωυ. in Doria dialecto: *τωὐβούλοιο* Theocr. II 66 pro *τοῦ εὐβούλοιο*. — *Ὠὐδάμου* I. G. A. 482 a 5 in Dorico Rhodiorum ut uidetur exemplo tituli mercennariorum Graecorum in Nubia ad Abu-Simbul reperti. Traditur *ΟVΔΑΜΟ,* quod editores Angli *Οὐδήμου,* Franzius non rectius scripsit *Οὐλάμου,* Blauius nomen proprium esse Phoenicium putauit. Rossius emendandum esse putabat *Θυδαμο* i. e. *Θουδάμου* uel *Θωδάμου,* quod, cum littera *V* pro *ου* uel *ω* poni nequeat, ita tantum ferri possit, ut cum Abelio scribendi uitium pro *ΘΟΔΑΜΟ* statuamus, cuius generis uitiis non carent inscriptiones. Verum uidit Blassius, qui: „*Οὔδαμος*, inquit, ist schlechterdings kein Name, wir hätten ja dann den homerischen *Οὖτις* in wirklichem Gebrauch;" itaque legit *Οὐδάμου* per crasin ex *ὁ Εὐδάμου* ortum itemque antea *Ἀμοιβίχου* pro *ὁ Ἀμοιβίχου*. Cui oblocutus est G. Curtius (Leipz. Stud. IV 320), quia exemplum craseos eiusmodi formatae nullum exstet, ipse reponit *οὐδαμῶ* formam Doricam pro *οὐδαμόθεν,* Pelecum illum infantem expositum fuisse, qui per iocum se nullius esse patriae significarit. Itaque re uera, Curtium si sequimur, *Οὖτιν* Homeri recuperamus. Atqui interpretatio ioco nixa uix cuiquam probabitur. Malo ut Roehlius Blassium sequi, nec uero legam *Οὐδάμου,* sed *Ὠὐδάμου* pro *ὁ Εὐδάμου*; quam crasin cum exemplis similibus comparare licet *τωὐβούλοιο* pro *τοῦ εὐβούλοιο* in carmine Theocriteo II 66 et cum *Ὠὐριπίδη* pro *ὦ Εὐριπίδη* apud Aristoph. Thesm. 4.

IV. ω, ῳ cum sequentibus uocalibus.

1. ω, ῳ + α =

1. α. Attice τἀνδρί. — De ὦ interiectionis crasi uide supra.

2. ω. Ionica dialectus. ὤνθρωπ' Theogn. 453. ὤνασσα saepe. ὦναξ Herod. IV 150. 155. VII 141 etc. τὠπόλλωνι I. G. A. 486. 490 (Asia Ion.); C. I. G. 8340 (loc. incert.). — τ]ὠδε[λ]φε[ῶ] I. G. A. 369 (Cecryphalia).

Lesb.-Aeol.: ὦναξ Alc. 1. — ὠγαθέ Theocr. 30, 29.

Dorica dialectus: ὠγαθέ Theocr. I 62. 78. — ὦναξ I 128. — ὤνασσα Pind. isthm. IV 6 et frg. 220 (ed. Boeckh). — ὠπολλωνιάς isthm. I 5. — ὠρκεσίλα pyth. IV 250.

τὠσύλω Cauer 39, 5 (cret.) pro τῶ ἀσύλω. — τὠπέλωνι I. G. A. 509 (Syrac.).

Boeotia: τ]ὠπόλ[λωνι I. G. A. 165, 1.

2. ω, ῳ + αυ =

1. αυ. Attica dialectus cum κοινῇ: ταὐτῷ.

2. ωυ. Ionica dialectus: τωὐτῷ Herod. I 5.

3. ω, ῳ + ε = ω. Attice: τὼκ (τω 'κ), τὠπιόντι, ὠφυτεύσαμεν. — κοινή: τὠμῷ C. I. G. 6263, 6.

Dor.: τὠπιγόνου (Cnidus) Newton disc. XC 8.

Lesb.-Aeol.: τὠραμένῳ Theocr. 29, 32.

Locr.-Ozol.: τὠπιϜοίκῳ I. G. A. 321, 34. — τὠνκαλειμένῳ ibid. 41.

4. ω + ι. In Eleis titulis I. G. A. 111, 3 τιάρω, ib. pg. 177 No. 113 b 4/5 τιαρομάω rectius scribitur τ' ἰάρω, τ' ἰαρομάω (uide supra).

5. ω, ῳ + ο = ω. Attice τὠφθαλμώ.

Elis: τὠλυμπίαι I. G. A. 118, 7.

6. ω + οι = ῳ in exemplis Atticis ᾠζυρά, ᾠζυρέ.

7. ω + ευ = ωυ. Attice ὠυριπίδη.[1]

---

[1] Quod Atticas quae feruntur crases duplices supra refutaui, idem ad duo Theocriti exempla pertinet: χὼκ I 72 pro καὶ ὁ ἐκ et I 109 χὤδωνις pro καὶ ὁ Ἄδωνις. Illic plerique codices tradunt χὠ 'κ, quam lectionem defendendam esse censeo. Itaque etiam I 109 χὠ 'δωνις per aphaeresin scribam; α enim uocalem per aphaeresin tolli posse docemur inscriptionibus I. G. A. 321, 7 ἢ 'δελφεόν; ibid. 11 μὴ 'ποστάμεν.

In eis quae praecedunt omnia, quae collecta habebam, craseos exempla enumeraui. Ex his apparet scriptores multo saepius quam inscriptiones crasi uti, perraro tamen Homerum et Hesiodum (*ὡυμός* Hom. Θ 360; *τὤμισυ* Hes. Op. 559; sim.). Qui poetae articulum solum in crasi habent, ac ne *καὶ* quidem copula apud eos crasin patitur; nam *οἷος κἀγώ*, quod identidem in uersibus Homericis legitur, potius per synizesin *οἷος καὶ‿ἐγώ* scribendum est, quamquam *καί* copulae synizesis cum proxime sequentis uocis uocali initiali prima nobis initia craseos ostendit, qualis postea in *καί* copula usu uenit. Praeter articuli commissuras Homerus habet crases *οὕνεκα* et *τοὕνεκα*, quae inde ab Homeri temporibus et per totum sermonem poeticum Graecorum late patent ac ne in pedestri quidem oratione raro inueniuntur, praesertim cum speciem quasi unius referant uocabuli; Attica tamen prosa et inscriptiones Atticae commissuris illis carent. — In hymnis demum, qui Homeri nomine circumferuntur, crases habemus *κοὐ* hymn. in Cer. 227 et *κἀγώ* hymn. in Merc. 173.

In antiquiore poesi elegiaca et iambica crasis raro usu uenit: *τἀμά* Archil. tetr. 50, 1; *καὐτάγρετοι* Simon. Amorg. 1, 19; *κἠλειφόμην* Simon. Am. 16, 1; *τἠτέρῃ* Archil. epod. 93, 2. Theognis iam plura habet exempla: *τἀμά* 346. *καὐχένα* 536. *κἀσθλοῖσι* 355. *χἠμέρῃ* 160. *κοὐκ* 1342. *οὐπιτυχών* 918 etc.; Xenophanes unum: *τοὔνεκεν* II 19, Solon duo *κοὐχ* 13, 60, *χὤστις* 37, Tyrtaeus nullum. — Apud Herodotum craseos usus haud frequens est.

Scriptores Dorienses crasin saepe admiserunt, excepto Pindaro; qui paulo rarius ea utitur. Epich.: *κἀπό* 19. *κἤπειτα* 19. *καἴκα* 19. *χὠ* 45, 60. *κὠλίγου* 31. *κὠξύρυγχοι* 40. *κηὔγονοι* 23. *κὠὐδέν* 19. *τὠγαθοῦ* 95. — Sophr.: *κἀπό* 40. *κἠγώ* 6. *ὡλιεύς* 4. — Theocr.: *κἀμφιστειλάμενα, χά, κἠπεί, κἠξ, κἠγώ, κἠμέ, κἠν, κἤδωκ', κἦφα, χαἰ, κοὔτι, τὠστία, χὡς, χὠ, ὥτερος, κᾤχετο, ωὐτός, ὡξ, ὤλαφος, ὤριφος, ὡγώ, ωὑτός, τωὔλιον, ᾡπόλος, τὤλγιος, τωὐβούλοιο.* — Alcm.: *κἠπί* 70 (19). *κἠν* 17 (56). — Pind.: *κἀσόφοις, κἀνθρώποις, κἀγαθῷ, κἀγοραί, κεἰν, χὤταν, τωὐτοῦ, τὠργείου, κοὐ.*

Lesbiacis poetis crasis admodum familiaris est. Sapph. Alc.: *κἀτέρωτα, κὤττι, κωὐκ, ὤνηρ, τὦμον.* Theocr.

in carminibus **Aeolicis**: κἄμμε, χἄτερα, καἰνομόρω, χὤτι, κἠγώ, κἠμέ, κἠπί, καὖτας, χὦτα, ὤξ, ὦρος, τὠραμένῳ. **Balbilla**: κἀντίοχος, κὤσσ'.

Saepissime omnium **poetae scaenici Attici** crasin usurpauerunt, quorum exempla uide supra.

Iam si scriptorum exempla cum inscriptionibus comparauerimus, apparet omnibus in exemplis inscriptionum uocabulum prius craseos aut articulo aut καί copula effici; cetera exempla aut reiecta (cf. μηπιθεῖαν etc.) aut admodum incerta sunt (cf. οὐφόρα etc.). Unum excipiendum ἄμ, cf. pg. 21 sq. Itaque ex titulorum fide **crasis legitima non admittitur, nisi uocabulum antecedens aut articuli forma aut καί copula est. Ceterae crases ad poetarum usum pertinent.**

Inscriptionum ope nonnullae regulae grammaticorum emendari possunt:

1. Articulus saepissime cum proxime sequentis uocis uocali initiali coniungitur, quae uocalis si α est, articuli uocales uel diphthongi cum uocali α apud Atticos semper coalescunt in α longum, ut ὁ ἀνήρ = ἁνήρ. Quas craseos formas, si Kuehnerum audimus, secundum rationem logicam effictas, non recte Atticis sriptoribus solis ita tribui ab illo, ut ceteras dialectos rationem phoneticam sequi dicat, ex eis quae supra exposuimus elucet.

2. Spiritus asper in crasi retinetur, siue pertinet ad articulum (ἁνήρ) siue ad uocabulum sequens (θοἰμάτιον), nisi quod in Ionicis et Aeolicis exemplis in crasi quoque ψίλωσις quae dicitur manet; uelut τἤρῃ (Chius) pro τῇ Ἥρῃ. — τὤμισυ (Hesiod.) pro τὸ ἥμισυ. — ὡὐτός Hom. E 396 pro ὁ αὐτός. — κὤττι (Sapph.), ὤνηρ (Sapph.), κὤσσ' (Balbilla). — Elea dialectus: κὠπόταροι, κὐπαδυκίοι.

3. Thierschius (Gr. § 38, 4 adn. 1) contra regulam supra commemoratam κᾀνταῦθα etc. ι subscripto instruit hac usus ratione: „Man schreibt jetzt allgemein das Iota in der Krasis nur unter, wenn es vor der Krasis zweimal da war, wie in κᾆτα, nicht wenn nur einmal, κἀγώ statt καὶ ἐγώ. Diese von Dawes und Porson empfohlene Gewohnheit hat, soviel ich weiss, kein Ansehen eines alten Grammatikers für

sich, gegen sich aber den Gebrauch der ältesten Handschriften und die Natur der Sache selbst; denn wie könnte die Krasis das einzelne Iota tilgen und warum müssten zwei sein um ihr zu widerstehen?"

Contra eum Kuehnerus inscriptionibus crases κἀγώ etc. sine ι subscripto traditas affert, atque ubi ι subscriptum seruatum sit in inscriptione, errore id factum esse statuit. Mihi, dum inscriptiones perlego, perpauca occurrerunt exempla: 1) C. I. G. 3588, 5 *ΚΑΙΜΟΝ* in inscriptione metrica recentioris temporis, quod Boeckhius transcribit κᾀμόν. 2) C. I. G. 5984 b *ΚΑΙΚ* (κὰκ editor dedit) pro καὶ ἐκ. 3) C. I. G. 6862, 4 *ΚΑΙΧ* (κὰχ editor). Videntur in duobus exemplis posterioribus editores errori lapicidae *Ι* litteram tribuisse. — Mea quidem sententia exempla illa per aphaeresin scribenda sunt καὶ 'μόν, καὶ 'κ, καὶ 'χ, quae lectiones cum litteris traditis plane congruunt, neque ullo modo metrum obstat. — Reliqua Thierschii argumenta non solum inscriptionum sed etiam grammaticorum antiquorum usu refutantur. — Quominus statuamus in crasi ι ad priorem pertinens uocem omitti, rei ipsius natura non obstat; nam ι uocalis ad priorem pertinens diphthongum per crasin tollitur, quia ι in fine uocabuli certe apud Graecos fere non audiebatur, itaque in uocalium commissura facile omitti poterat. Neque duo ι exstare ante contractionem necesse est, immo unum ι posterioris diphthongi sufficit, ut in crasi subscribatur: ὁ αἰπόλος fit ᾡπόλος, quam crasin iam afferunt antiqui grammatici (cf. supra pg. 7). — Itaque, id quod inscriptionum quoque usus testatur, constat ι subscriptum in crasi ponendum non esse, nisi ι uocalis ad diphthongum initialem posterioris uocis pertineat, ut in κᾆτα, κᾀράνας.

Congestis omnibus craseos exemplis facile elucet dialectos diuidendas esse primum in eas, quae $α + ε$ contrahunt in α (Atticam, Ionicam, Lesbiacam), et eas, quae contrahunt in η (Doricas, Eleam etc.); deinde in dialectos $ο + α$ in α contrahentes, quod fit in Attica, Elea, Argiva, cum Dores ceteri, Iones, Lesbiaci etc. contrahant in ω.

Denique liceat mihi tabulam addere, qua omnes uocalium commissurae sub unum conspectum ponantur.

25

	Dialectus:	Attica, κοινή.	Ionica.	Dorica.
1	α, αι, ᾳ + α.	α.	α.	α.
2	α, αι, ᾳ + αι.	αι.	αι.	αι.
3	α, αι, ᾳ + αυ.	αυ.	αυ.	αυ.
4	α, αι, ᾳ + ε.	α.	α.	η.
5	α, αι, ᾳ + ει.	ᾳ (κᾷτα). ει (κεἰς).		ει.
6	α, αι, ᾳ + ο.	ω.	ω.	ω.
7	α + ι.	αι.		
8	αι + ι.	ῑ.		ῑ.
9	αι + υ.	ῡ.		
10	αι + η.	η.	η.	η.
11	αι + ευ.	ευ.		ηυ (Epich.) ευ (Theocr.)
12	αι + οι.	οι.	οι.	ῳ.
13	αι + ου.	ου.	ου.	ωυ (Ep.). ου (Pind. Theocr.)
14	αι + ω.	ω.		
15	αι + ῳ.			ῳ.
16	η, ῃ + α.	α.		
17	η + αυ.	αυ.		
18	η, ῃ + ε.	η.	η.	
19	ῃ + η.	η.	η.	
20	η + ευ.	ηυ.		
21	ο, οι, ου + α.	α.	ω.	α Argos, Aegina. ω Corinth. Achaia.
22	ο, οι, ου + αι.	αι.		ῳ.
23	ο, οι, ου + αυ.	αυ.	ωυ.	ωυ.
24	ο, οι, ου + ε.	ου.	ου.	ω.
25	ο, ου + ο.	ου.	ου.	ου.
26	οι + ο.			
27	ο + οι, ῳ.	ῳ.	ῳ.	
28	οι + ου.		ου.	
29	ο, οι + ι.	οι.		
30	ο + η.	η.	ω.	
31	ο, ου, ω + ευ.	ωυ (ὦ interiect.).		ωυ.
32	ω, ῳ + α.	α (artic.). ω (ὦ interi.)	ω.	ω.
33	ω, ῳ + αυ.	αυ.	ωυ.	
34	ω, ῳ + ε.	ω.		
35	ω, ῳ + ο.	ω.		
36	ω + οι.	ῳ.		

Phocidis.	Locridis.	Elidis.	Arcadiae.	Boeotiae.	Lesb.-Aeol.	
α.	α.	α.	α.	α.	α.	1
		αι.			αι.	2
	αυ.	αυ.			αυ.	3
η.	η.	η.		η.	α.	4
			α̣ (χἀ̣ράνας).		•	5
		ω.			ω.	6
						7
						8
		ῡ.				9
						10
						11
						12
					ωυ.	13
						14
						15
						16
						17
						18
				η.		19
						20
		α.		ω.	ω.	21
						22
		αυ.				23
	ω.	(η).			ω.	24
						25
		ω.		ω.		26
	ῳ.					27
						28
		(ι).				29
						30
						31
				ω.	ω.	32
						33
	ω.				ω.	34
		ω.				35
						36

PARS POSTERIOR . DE APHAERESI.

CAPUT I. DE UOCE APHAERESIS ET DE APHAERESEOS LEGIBUS.

Aphaeresis fit, si uocalis initialis breuis post longam uocalem uel diphthongum uocabuli praecedentis eliditur et per apostrophum significatur. Quam elisionem aphaeresin (ἀφαίρεσιν) nominare solemus, Kuehnerus (Gr. pg. 189) non male „elisionem inuersam" dicere mauult. Nam cum in simplici elisione syllaba extrema prioris uocis sonum minoris momenti habeat, posterioris uocabuli syllaba prima maioris sit auctoritatis, in 'elisione inuersa' contrarium usu uenit, si quidem syllaba prioris uocabuli extrema plus ualet quam posterioris uocabuli prima. Qua in elisione, non secus atque in simplici, uocalis elisa non prorsus euanescit, sed imminuta quamuis leniter pronuntiatur; atque commissura quaedam duarum uocalium fit, qua duae uocales minus arte coniunguntur quam in crasi, ita scilicet ut utraque audiatur. Interpunctio uel personarum mutatio uel pausa metrica 'elisionem inuersam' non impedit, uelut apud Soph. Ph. 591 λέγω· 'πὶ τοῦτον. — Ar. Nub. 1354 φράσω· 'πειδή. Eur. Rhes. 157 ἥξω· 'πὶ τούτοις etc. — Quin etiam in uersuum duorum confinio post prioris uocabuli uocalem longam uel diphthongum tolli potest alterius uocalis breuis, quod saepius augmento accidit, ut ἄνω — 'φορεῖθ' Soph. El. 714/15. — Spiritus asper uocalis elidendae aphaeresin rarissime patitur: μὴ 'τέρωσε Ar. Ach. 828.

'Elisio inuersa' saepissime fit post uoculas ἤ, μή, δή, sim.; ex uocalibus 'elisione inuersa' duae tantummodo affici possunt: ε et ᾰ; ο, ι, υ nunquam per aphaeresin tolluntur.

a. ε eliditur saepissime in augmento, in uocabulis ἐκεῖνος, ἐθέλω, ἐστίν, in praepositionibus ἐπί, ἐξ, ἐν, ἐς, in aduerbiis ἐπειδή, ἔπειτα, ἔνδον, ἐνθάδε, ἐνταῦθα, ἐντεῦθεν, ἔξω,

in pronominibus ἐγώ, ἐμοῦ, ἐμαυτοῦ, ἐμός, rarissime in aliis uocabulis ab hac uocali incipientibus.

b. α uocalis breuis eliditur saepe in ἀπό praepositione et in uoculis cum α priuatiuo quod dicitur compositis, perraro in aliis uocabulis.

Homines docti plerique inter crasin et aphaeresin parum diligenter discernunt. Buttmannus aphaeresin omnino non admittit et omnia exempla per crasin scribi uult. Quem recte Ahrensius eo ipso refutat, quod aphaeresis, ut dixi, post interpunctionem quoque uel pausam metricam uel in personarum mutatione locum habet.

Aphaereseos usus multo artioribus finibus coercetur quam elisionis, cum neque unquam illa inueniatur post uocales breues et uocales α et ε solae elidi possint; multo etiam rarior est quam crasis, ita ut, si quo loco utrum crasis an aphaeresis statuenda sit dubites, illa praeferenda sit; nisi quod ubi sonus posterior est ε post η uel ω uocalem, saepe 'elisio inuersa' praeferenda est.

De accentu in aphaeresi unum addo: Si uocabulum posterius syllabam accentu ictam amisit, uox praecedens oxytonon non graui accentu, ut saepius fit in scriptorum editionibus, sed acuto instruenda uidetur: ἃ μή 'θιγες Soph. Ant. 546. μή 'ξω Aiac. 742. — δή 'γνων Arist. Eq. 632, δή 'πειτα Vesp. 665, μή 'σθιε Eq. 1106. — Ceteroqui accentus uocabulorum aphaeresi non commutantur.

CAPUT II . DE APHAERESEOS EXEMPLIS.

Apud scriptores Graecos ac praecipue apud poetas multa deprehendimus aphaereseos exempla, perpauca in inscriptionibus.

A. Aphaereseos exempla apud scriptores antiquos seruata.

1. Apud Homerum et Hesiodum nusquam exstat 'elisio inuersa'; exempla quae per eam explicari possint, aeque atque craseos exempla synizesi tribuamus.

De Hom. *Α* 277 et antiquis dubitatum est temporibus et hodie dubitatur:

μήτε σύ, Πηλείδη, ἔθελ' ἐριζέμεναι βασιλῆϊ.

Aristarchus testibus scholiis, quia Homerus semper uocabulo *ἐθέλω* nunquam *θέλω* utatur, per aphaeresin scribit *Πηλείδη, 'θελ'*. — Herodianus eadem de causa crasin *Πηλειδῆθελ'* admittit (I 448, 17): *τὸ δὲ θέλω δοκεῖ ἐκ τοῦ ἐθέλω εἶναι· τὸ γὰρ ε τὸ μετὰ συμφώνου ὑπάρχον πέφυκε πολλάκις ἀποβάλλεσθαι, ὡς τὸ ἔφη — φῆ, ἔβη — βῆ. καὶ δεῖ γινώσκειν, ὅτι ἀεὶ τὸ τρισύλλαβον εὑρίσκεται παρὰ τῷ ποιητῇ ἐθέλω. ἀμέλει ἐν τῷ*

μήτε σύ, Πηλειδῆθελ' ἐριζέμεναι

δηλονότι κράσει ἐγένετο τοῦ η καὶ ε εἰς η.

His locis Kuehnerus synizesin statuit; probabilius Ahrensius (de crasi pg. 22) aphaeresin quidem non admittit, sed *θέλε* Aeolicam formam inter Aeolismos, quibus Homeri carmina abundant, refert, cum poetae Lesbiaci uocabulo *θέλω* usi sint (Alc. 54. Sapph. 26 B).

b. Apud Dorienses lyricos aphaeresis ne uno quidem loco legitur. Nam quod apud Pindarum isthm. IV 6 et fr. 220 Ahrensius (cf. l. c. pg. 22) scribit *ὦ 'νασσα*, isthm. I 6 *ὦ 'πολλωνιάς*: ego crasin praefero (uide supra pg. 36).

c. Lyrici Aeolici atque Ionici rarissime admittunt aphaeresin; exempla habemus *ἐπί* praepositionis elisae: *ὀλίγω 'πιδεύης* Sapph. 2, 15. *δὴ 'πίκουρος* Archil. 24. *ποταμοῦ 'πανέρχομαι* Anacr. 23. — *κεῖνος* et *θέλω* uoces non pertinent ad aphaeresin, sed formae breuiores apud hos poetas legitimae sunt.

d. In tragoedia Attica aphaereseos usus freqùens est:

α. augmentum syllabicum:

1. post α: *κάρα 'θώϋξεν* Soph. Ai. 308. — *πεσοῦσαι 'κλαον* O. C. 1608.
2. post ει: *ἐπεὶ 'δάκρυσα* Soph. Phil. 360.
3. post η: *'Ιόλη 'καλεῖτο* Soph. Trach. 381. — *δὴ 'βόησε* 772. — *αὐτὴ 'λόχευον* Eur. El. 1129. — *μὴ 'πόθουν* Soph. Ai. 962. *ἢ 'φάνην* 739. *ἢ 'τολμήσατε* Phil. 369. *μὴ 'κάλεις* O. R. 432. — *μὴ 'θιγες* Ant. 546.

4. post ω: παγκοίνῳ 'δάμῃ Aesch. Sept. 607. — ἥκω· 'τάχυνα Pers. 592. — ἔσω 'σφαζ' Soph. Ai. 235. — ἐκείνῳ 'δωκεν 1303. — ἐγὼ 'φάνην O. C. 454.

5. post ου: οἷον 'τράφῃς Soph. Ai. 500.[1]

β. saepe ἐπί, rarius ἐξ, ἐν, ἐς, rarissime ἀπό per aphaeresin uocalem initialem amittunt:

1. post α: κάρα 'πιδείξων Eur. El. 856.
2. post ει: εἰ 'πιταξόμεσθα Eur. Suppl. 521.
3. post η: δὴ 'πάνελθε Eur. I. T. 256. — εἴη 'ξ ἐμοῦ Soph. O. R. 970. — ἢ 'ν ἀγροῖς O. R. 112. — ἢ 'ν ἐμοί Ai. 1315. — μὴ 'νδικον O. R. 681. — μὴ 'μβαίνῃς O. C. 400. — μὴ 'μπολήσων Ant. 1063: quae exempla ad crasin referenda esse, ita ut scribatur ἦν ἀγροῖς, μῆνδικον etc., Ahrensius (pg. 25) contendit. At si in ἐκ praepositione aphaeresin statuimus, cur non eodem modo in ἐν? — ἀπό praepositionis aphaeresin habemus Soph. Trach. 239 ἢ 'πό. Eur. I. A. 817 ἢ 'παγε. Ahrensius (pg. 24) hic quoque crasin statuit, uerum cum $\eta + \alpha$ non in η sed in α apud Atticos coalescere supra docuerim, aphaeresin praefero.
4. post ω: λέγω· 'πὶ τοῦτον Soph. Ph. 591. ἥξω· 'πί Eur. Rhes. 157. μέλλω· 'πί I. A. 719. θέλω 'περέσθαι Soph. O. C. 557. λόγῳ 'παινῇς Eur. Cycl. 155. κἀγὼ 'ξελέγξαι Eur. I. T. 955. ἐγὼ 'κ τοῦ Cycl. 586. μηδέπω 'ν προοιμίοις Aesch. Prom. 741.
5. post ου: μόχθου 'πικουφίζουσαν Eur. El. 72. σκήπτου 'πιόντος Rhes. 674. — ἀπό elisione

[1] In nuntiorum narrationibus augmentum syllabicum omittitur etiam ubi aphaeresis statui non posse uidetur (cf. Matthiae Gramm. pg. 293 sqq.); quae augmenti elisio non fit nisi in ῥήσεσιν ἀγγελικαῖς ac ne in his quidem nisi uersuum initio et semel medio in uersu post interpunctionem: Eur. Bacch. 1134 ἀρβύλαις· γυμνοῦντο δέ.

uocalem α amittit: μακροῦ 'ποπαύσω Eur. Suppl. 639.

γ. ἐγώ saepe ε uocali initiali priuatur:

1. post αι: γενήσομαι 'γώ Eur. I. A. 1396. κάθημαι 'γώ Soph. O. R. 1231.
2. post η: ἤδη 'γώ Soph. Ant. 801. ἦ 'γώ O. R. 500. 820. μὴ 'γώ Ph. 910. ᾗ 'γώ El. 338. δὴ 'γώ Eur. El. 870.

δ. ἐστί, quibus locis omnibus Ahrensius et Waeschkius crasin statuunt,

1. post η: μή 'στι Soph. Ai. 1400. πολλή 'στ' ἀνάγκη El. 309. ἤδη 'στί Phil. 964.
2. post ου: ποῦ 'στι Ai. 733.
3. post οι: ἐμοί 'στι Phil. 812; encliticae uero μοί et σοί cum sequente uocabulo ἐστί semper per crasin coniunguntur: μοὔστι, σοὔστι.

ε. ἐνταῦθα, ἐνθάδε, ἐγγύθεν, ἔξω aphaeresin patiuntur

post η: μὴ 'νταῦθα Eur. I. T. 1322. ἢ 'νθάδε ibid. 1313. ἢ 'γγύθεν Soph. Ph. 467. μὴ 'ξω Ai. 742.

ζ. ἐμοῦ, ἐμαυτοῦ, ἐμός saepius:

post η: ἢ 'μός Aesch. Pr. 773. ἢ 'μοῦ Soph. El. 101. ἢ 'μοί Ant. 736. μὴ 'μοί Eur. Cycl. 187. ἢ 'μέ Soph. O. R. 1479. ἢ 'μαυτῷ Ai. 1367. — μὴ 'μαυτῷ O. C. 1365. Quas aphaereses Ahrensius adeo incertas esse existimat, ut propterea, quod uocabula arte cohaereant, crasin malit. Ego quidem, ubicunque post η inuenitur ε, id per aphaeresin tolli posse puto, nisi spiritus asper intercedat.

η. ἐθελοντής Soph. Ai. 24 aphaeresin patitur κἀγὼ 'θελοντής.

θ. Nonnulla uocabula, quae a uocali α incipiunt, eam post η amittunt. μὴ 'νατραπῆναι Aesch. Sept. 1076. μὴ 'δικεῖν Eum. 85. 86.

e. Comoedia Attica aphaeresin saepissime usurpat, saepius etiam quam tragoedia. Vocabula ἐπειδή, ἔπειτα, ἔνδον

etc. aphaeresi afficiuntur; item ἐκεῖνος, nam breuior forma κεῖνος ab Attica comoedia aliena est; praeterea nonnullae uoces ab ε uocali incipientes aphaeresin patiuntur.

α. augmentum syllabicum:

1. post αι: κεληтίσαι 'κέλευον Aristoph. Vesp. 501.
2. post η: δή 'γνων Eq. 632.
3. post ω: πορίῳ 'σκευασμένα Eq. 1104.
4. post ου: πάππου 'τιθέμην Nub. 65.
5. post οι: ἐμοὶ 'δόκει Plut. 736.

β. praepositiones ἐπί, ἐξ, ἐν, ἐς, ἀπό.

1. post α: ἀγορὰ 'ν Ἀθάναις Ach. 729. Ἡρακλέα 'νεσκεύασα Pac. 523. Ἑρμᾶ 'μπολαῖε Ach. 816.
2. post αι: περιόψομαι 'πελθόντ' Ran. 509.
3. post ει: χώρει 'ς Lys. 605. πωλήσει 'ς Aristoph. fr. 543 Kock. etc.
4. post η: σκυτίνη 'πικουρία Lys. 110. ἤδη 'πείξομαι Eccl. 1149. αὐτὴ 'ξῆλθεν Lys. 866. — ᾗ 'ς Ran. 186. 187. Lys. 2 (Ahrensius ᾗς).
5. post ω: ἴζω 'πί Ran. 199. τρέχω 'πί Au. 77. ἐξελῶ 'κ Nub. 802. βωστρησάτω 'κ Pac. 1146. ζητῶ 'ξαπατᾶν Nub. 546. τὠφθαλμὼ 'κκοπῇς Au. 1342. ἀποδώσω 'ντελῆ Eq. 1367. προΐτω 'ς Ach. 242. ἐῶ 'πολέσθαι Lys. 734.
6. post ου: ἀνέμου 'ξαίφνης Eupol. fr. 320 Kock. λοιποῦ 'ν Arist. Pac. 1084. σοῦ 'κτεμῶ Eq. 374.

γ. ἐκεῖνος.

1. post η: ἐβδελύχθη 'κεῖνος Lys. 794.
2. post ου: ἐμοῦ 'κεῖνον Eq. 1012. ξιφουργοῦ 'κεινουί Pac. 547 etc.

δ. ἐγώ.

1. post αι: ἄχθομαι 'γώ Ach. 62, ubi Ahrensius crasin statuit ἀχθομἀγώ. — δύναμαι 'γώ Lys. 758; Ahrensius δυναμἀγώ. Malo codices sequi quam crasin probare tam artificiosam.
2. post ω: Ἄπολλω 'γώ Ach. 101. αἱρήσω 'γώ Eq. 829. ἔχω 'γώ Ran. 28, quod Ahrensius peruerse scribit αἱρησὠγώ, ἐχὠγώ.

3. post ου: σαυτοῦ 'γώ Nub. 385. γενοῦ 'γώ Ran. 495.
4. post οι: μέντοι 'γώ Ran. 971. Dindorfius falso coniecit μεντοὐγώ.

ε. ἐπειδή, ἔπειτα.
1. post η: Εὐριπίδη, 'πειδήπερ Ach. 437. — δή 'πειτα Vesp. 665.
2. post ω: φράσω. 'πειδή Nub. 1354.

ζ. ἔνδον, ἐνθάδε, ἐνταῦθα, ἐντεῦθεν.
1. post η: ἤδη 'νδον Ran. 514. ἤδη 'νταῦθα Pac. 1305. δή 'ντεῦθεν Nub. 62. αὕτη 'ντευθενί Vesp. 941.
2. post ου: ἀναβαλοῦ 'νθαδί Pac. 1269. ὅπου 'νθάδ' Ran. 432. που 'νταῦθ' Vesp. 234.

η. ἐμαυτόν.
1. post ω: παρέξω 'μαυτόν Ran. 602. ἐγὼ 'μαυτῷ Eq. 113. Pac. 1103. ἀξιῶ 'γὼ 'μαυτόν Eq. 182. Ahrensium si audimus, hic quoque crasis statuenda est: quem si sequimur, crasin habemus ἀξιὠγὠμαυτόν, qualem nemini placituram confido.

ϑ. ἐστίν et alia uocabula ab ε uocali incipientia.
1. post α: δημοσία 'στιν Ach. 171. εὐφημία 'στω Au. 959.
2. post η: ἀνάγκη 'στί Pac. 373. μή 'σθιε Eq. 1106. μή 'ρεῖς Ran. 7. μή 'λθοι Pac. 167. μή 'ρήσετε Vesp. 1167. ἤ 'μαυτῷ Ran. 18.
3. post ω: κρείττω 'στίν Aristoph. fr. 488 Kock.
4. post ου: αὐτοῦ 'στιν Vesp. 1165; ποῦ 'στι Au. 1122. Quas aphaereses omnes Ahrensius per crasin scribi uult.

ι. uoces ab α priuatiuo incipientes.
1. post αι: ἐναντίζομαι, 'πλάκουντος Plato Comic. fr. 113 Kock.
2. post ει: ἀγοράσει 'γένειος Eq. 1373; utrumque ab Ahrensio recte restitutum.

Pro aphaeresi secundum Ahrensium crasis statuenda est:

a. post articulum: ἡ 'πίνοια Soph. Ant. 389 = ἡπίνοια etc.

b. post relatiuum: ὦ 'φυτεύσαμεν O. R. 1504 = ὠφυτεύσαμεν etc.

c. post μή: μὴ 'πί Ant. 1061 = μὴπί etc.

d. post ἤ: ἢ 'φάνην Ai. 751 = ἠφάνην etc.

e. post ἤ: ἢ 'τολμήσατε Phil. 369 = ἠτολμήσατε etc.

f. post ἐγώ: ἐγὼ 'φάνην O. C. 454 = ἐγὠφάνην etc. — Attamen seruat aphaeresin idem Ahrensius in exemplis κἀγὼ 'ξελέγξαι Eur. I. T. 953. κἀγὼ 'ν τοσούτῳ Arist. Eq. 420 etc.

g. Idem pronomen ἐγώ suo uerbo postpositum per crasin cum eo coire arbitratur apud tragicos: θανὼγώ, γενησομαγώ, ἐχὼγώ, sim.

Certe adstipulandum est Ahrensio iudicanti crasin aphaeresi praeferendam esse, ubicunque utraque statui posse uideatur; neque tamen modum seruat in emendando. Omnia illa exempla, quae Ahrensius crasi tribuit, eodem iure atque adeo meliore per aphaeresin scribi possunt. Nam si aphaeresin statuimus, ad unum omnia hac ratione explicari possunt; Ahrensius uero saepius exceptiones admittere debet, uelut κἀγὼ 'ξελέγξαι dedit, non κἀγὠξελέγξαι. Quare ego quidem omnia, quae Ahrensius in fine libelli per crasin scribi iubet, exempla aphaeresi tribuam.

A prosae orationis scriptoribus aphaeresis fere aliena est, si recesseris a uocabulo ἐκεῖνος et ab ἐγώ pronomine rarissime post ἤ particulam et uoces in -η aut diphthongum exeuntes collocato. Qualia uel post breues uocales Kuehnerus admittit, male mea quidem sententia.

Exempla 'elisionis inuersae' apud auctores pedestris orationis sunt haec: ἢ 'κείνως Plat. Rp. II pg. 370 a. — ἢ 'κεῖνος id. Soph. 258 c. — ἢ 'κείνας Isocr. Phil. 89, 36. — ἢ 'κεῖνοι de Pac. § 115. Dem. Cor. § 178. — ἢ 'κείνῳ id. Ph. α' § 4. — ἢ 'κείνου Xen. Conu. 4, 12. — αὕτη 'κείνη Plat. Rp. I 337 a. — παῖ 'κείνου Plat. Phil. 36 d. Post uocales breues Kuehnerus aphaeresin statuit in περὶ 'κείνων Plat. Gorg. 520 a.

quamquam plerique codd. exhibent ἐκείνων; item in ἃ 'κεῖνος Isocr. Panath. 248 § 78. Quae aphaereseos exempla certe mira essent. Rectius altero loco περὶ ἐκείνων, altero per crasin ἀκεῖνος scribitur.

B. Aphaereseos exempla in inscriptionibus seruata.

Perpauca ex inscriptionibus expiscatus sum exempla haec:

a. ε eliditur

α. post α: σ[τάλ]α 'πὶ Σθενέλα I. G. A. 503 (tit. Cebrensis). — ἁ 'πιϜοικία Cauer 91, 1 (Locr.-Oz.). Quod Roehlius (I. G. A. 321, 1) legit ἁ[γέστω τὸν νόμον ἐ]πιϜοικία, Meisterus (in annal. philol. 125 p. 524) recte refutat.

β. post η: ἢ 'ς Ἑρμώνασσαν I. G. A. 381 a 2 (Chius). — μὴ 'λάσσονες ibid. b 23. μὴ 'πιθεῖαν I. G. A. 112, 2 (Elis). μὴ 'πιποεόντων ibid. 4. μή 'νποι ibid. 6. μὴ 'νπιδέοιαν ib. 118, 3 (uide supra pg. 29).

γ. post ω: τῶ 'ν Ναύπακτον I. G. A. 321, 29 (Locr.-Oz.). — ὅρκῳ 'ς I. G. A. 500, 20 non recte Roehlius; rectius ὁρκῶ⟨ι⟩σ[αι] Dittenberger.

δ. post οι: τοὶ 'νταῦτ' I. G. A. 110, 10 (Elis; cf. supra pg. 29).

ε. post αι: καὶ 'μόν C. I. G. 3588, 5 (κοινή). καὶ 'κ C. I. G. 5984 b (κοινή). καὶ 'χ C. I. G. 6862, 4 (κοινή).

b. α eliditur

α. post η: ἢ 'δελφόν I. G. A. 321, 7 (Locr.-Oz.). μὴ 'ποστᾶμεν ibid. 11.

β. post ω: Θηβαϊκῶ 'πὺ λίθω Cauer 129, 2 (Balbillae epigr.), ubi α praepositionis ἀπύ = att. ἀπό elisum est.

c. ο eliditur

post ω: ὀκτὼ 'βολῶν C. I. A. II Add. p. 520 No. 834 b II 70.

DISSERTATIONES PHILOLOGICAE

ARGENTORATENSES

SELECTAE

VOLVMEN X.

ARGENTORATI
APVD CAROLVM I. TRVEBNER.
MDCCCLXXXVI.

Darmstadii typis G. Otto.

Hoc decimo volumine continentur hi libelli:

Commentationis a H. ZUR JACOBSMUEHLEN scriptae solae paginae 187—298 continentur eis exemplaribus, quae auspiciis amplissimi philosophorum ordinis academiae Wilhelmae Argentinensis prodierunt.

DE SACERDOTII APUD GRAECOS EMPTIONE VENDITIONE.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HUGO HERBRECHT.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXV.

Darmstadtii typis G. Otto.

Graecorum sacerdotes cum inde ab antiquissimis temporibus aut ex certis gentibus aut suffragio aut sortitione constituti sint, qui ex his sacerdotes creandi modis aetate primus fuerit, difficile est diiudicatu.

Atque gentilicia quidem sacerdotia late propagata neque numero exigua fuisse constat. Veluti apud Athenienses quis est qui ignoret Centriadarum, Hesychidarum, Phytalidarum gentes vel Cerycum, qui hierocerycesy et daduchos, Eumolpidarum, qui hierophantas, Eteobutadarum denique, qui Minervae Poliadis praebuerunt sacerdotes? Neque minus memoria digna est Cinyradarum gens Cypria, Milesia Branchidarum, e quibus Apollinis sacerdotes legi solebant. Quibus sacerdotiis illustrandis cum alii, qui supersunt, sacerdotum indices tum Halicarnassensium Neptuni Isthmii sacerdotum stemma maximi momenti est. Nec vero antiquissimis tantum temporibus gentilicia constituta esse sacerdotia e titulis quibusdam aetate recentioribus colligitur. Cf. e. g. Rev. arch. 1845 p. 209 (Gythium): *καὶ εἶναι αὐτοὺς ἱερεῖς τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ ἐγγόνους αὐτῶν ἀεὶ διὰ βίου, καὶ εἶναι αὐτοῖς τὰ τίμια καὶ φιλάνθρωπα πάντα ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις ἱερεῦσιν τοῖς κατὰ γένος ὑπάρχει, καὶ ἔχειν αὐτοὺς τὰν ἐξουσίαν τοῦ τε ἱεροῦ καὶ τοῦ θεοῦ καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ πάντων.*

Deinde suffragio sacerdotes antiquitus legi potuisse Homeri testimonio probatur, cf. Iliad. VI 300: *τὴν γὰρ Τρῶες ἔθηκαν Ἀθηναίῃς ἱέρειαν.* Adde scholiastae codicis Veneti Marciani 453 explicationem: *οὔτε κληρωτοὺς οὔτε ἐκ γένους βούλεται τοὺς ἱερεῖς εἶναι, οὔτε ψήφῳ ἑνός, ἀλλ' οὓς πλῆθος ψηφιζόμενον ἕλοιτο.* Cuius generis sacerdotia et in[1]

---

[1] cf. C. I. G. n. 2270 v. 18: *αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου.* n. 434 v. 3: *εὖτέ με Κεκροπίδαι Δηοῖ θέσαν ἱεροφάντιν.*

inscriptionibus quibusdam commemorantur neque Pausaniae[1] ignota videntur fuisse. Attamen cum admodum exigua sit memoria, hunc sacerdotes constituendi modum minus propagatum fuisse suspicor.

Plurima vero Graecorum sacerdotia sortitione atque ea in singulos plerumque annos mandata esse haud mirum est. Nam hac ipsa ratione maxime permitti videbatur, ut dei ipsi quem vellent sacerdotem constituerent.[2] Quin etiam in gentiliciis sacerdotiis, in quibus quidem maioribus natu privilegium non esset, sortitioni locus esse potuit. Quo ex genere notissimum est, quod e Lycurgi oratoris vita comperimus.[3] Cum electione denique ita coniungi potest sortitio, ut, quos singulae tribus suffragiis creaverint, ad eos sacerdotia sorte transeant. Haec fere sunt, quae de constituendi sacerdotes rationibus certo scire videmur. Quibus perscrutandis quamvis operam dederint homines docti, tamen praeter locos Platonicos, unde plurima argumenta erui solent, omnes qui huc pertinent tituli indagentur, indagati examinentur oportet.[4]

Novum vero atque fere inauditum usum Dionysius Halicarnassensis in arch. Rom. II 21 tradit: *Τῶν ἄλλων φαύλως πως καὶ ἀπερισκέπτως ὡς ἐπὶ πολὺ ποιουμένων τὰς αἱρέσεις τῶν ἐπιστησομένων τοῖς ἱεροῖς, καὶ τῶν μὲν ἀργυρίου τὸ τίμιον ἀξιούντων ἀποκηρύττειν, τῶν δὲ κλήρῳ διαιρούντων [τοὺς ἱερεῖς], ἐκεῖνος* (Romulus) *οὔτε ὠνητὰς χρημάτων ἐποίησε τὰς ἱερωσύνας οὔτε κλήρῳ μεριστάς.* Quibus verbis diu neglectis lux allata est monumento illo Halicarnassensi, quod Boeckhius primum a. 1830 publici fecit iuris; eoque ex tempore nonnullae aliae inscriptiones indagatae sunt, e quibus, qualis fuerit sacerdotii emptio venditio, plenius intellegitur. Atque has

---

[1] cf. VII 27, 1: *κατὰ δόξαν γένους μάλιστα αἱρούμενοι.*

[2] cf. Plat. leg. VI p. 759 C: *τὰ μὲν οὖν τῶν ἱερῶν τῷ θεῷ ἐπιτρέποντα αὐτῷ τὸ κεχαρισμένον γίγνεσθαι κληροῦν τῇ θείᾳ τύχῃ ἀποδιδόντα.*

[3] cf. Vitt. X oratt. p. 843 F: *λαχὼν ἐκ τοῦ γένους τὴν ἱερωσύνην καὶ παραχωρήσας τῷ ἀδελφῷ.*

[4] De Atheniensium sacerdotiis optime egit Martha „les sacerdoces Athéniens“ (Paris. 1882).

inscriptiones, quae quamvis numero exiguae materiam tamen uberrimam multifariamque utilem praebent, componere, ex compositis, quaecunque ad sacerdotiorum venditionem pertinent, explicare et disserere mihi proposui. Quam ad rem suscipiendam monuit me auctoritas Rudolfi Schoellii, qui ope et consilio studiis meis benignissime semper favebat. Cui et Guilelmo Studemundo, praeceptori meo carissimo, qui huic opusculo et perficiendo et perpoliendo maximam navavit operam, non possum quin gratias agam singulares.

Tituli, de quibus agitur, secundum locos dispositi hoc se excipiunt ordine:

I. a) tit. prope Chalcedonem inventus, quem Chalcedonium vocare mihi liceat. — Edidit Curtius, Mon. Ber. d. Berl. Acad. 1877 p. 474.

b) tit. Athenas deportatus, Ephesius, ut venditor simulavit, revera Chalcedonius (vel Byzantius). — Edd. Kumanudis, Ἀθην. VII p. 207 n. 2; Laticheffius, Journal des Ministeriums für Volksaufklärung (Juni 1882) p. 243, cum commentario Russica lingua conscripto[1]; Dittenbergerus, S. I. G. n. 369.

II. tit., qui exstat Bukaresti in museo hominis cuiusdam privati, cui nomen est Kogalnitscheano, prope Callatim inventus. — Brevi commentario instructum a Gomperzio ed. Greg. G. Točilescu, Archaeologisch-Epigraphische Mittheilungen aus Oesterreich VI (1882) p. 8 sq.

III. tit. Halicarnassi inventus. — Edd. Boeckhius, 1) Ind. lect. Berol. aest. 1830, 2) bullet. dell' Inst. arch. 1830 p. 218, 3) C. I. G. n. 2656, cf. Opusc. IV p. 331 sqq.; Dittenbergerus, S. I. G. n. 371.

IV. tit. Erythris inventus. — Edd. Fontrier et Earinos, Μουσ. καὶ βιβλ. τῆς ἐν Σμύρνῃ εὐαγγ. σχολῆς I (1875) p. 103; Rayetus, Rev. arch. XXXIII (1877) p. 107 sqq.; Dittenbergerus, S. I. G. II. n. 370.

V. a) tit. Andri in insula inventus. — Edd. Le Bas-Waddington, Asie min. n. 1799 p. 408.

---

[1] Hunc librum non vidi.

b) tit. Myconi in insula inventus. — Ed. Le Bas-Waddington, Asie min. n. 2059 p. 457.

Hae duae inscriptiones (Va et Vb) adeo inter se consentiunt, ut apographa unius eiusdemque tituli eas esse Keilius [1] optimo iure moneat. Quas cum in integrum restituere nondum contigerit, satis habeo hoc loco commemorasse.

Quaestionem ipsam, cum singulas de quibus agitur inscriptiones tractarent, iam attigerunt nonnullaque exposuerunt viri docti hi:

I. Boeckhius, C. I. G. II n. 2656, cf. Opusc. IV p. 331.

II. Keilius „Zur Sylloge inscript. Boeotic." Jahrb. f. class. Philol. suppl. IV p. 618 sqq.

III. Rayetus, Rev. arch. XXXIII p. 107 sqq.

IV. Dittenbergerus, Herm. XVI p. 164—176.

V. Anthes „de emptione venditione Graecorum" (Halis Saxonum 1885). Ad sacerdotii Graecorum emptionem venditionem enucleandam Anthes Rayeti et Dittenbergeri sententias plerumque amplexus pauca attulit. Quam commentationem, cum sero cognoverim, nisi in adnotationibus respicere non potui.

A. DE FONTIBUS.

§ 1.

QUA AETATE TITULI INCISI SINT.

Inscriptionum, quas supra enumeravi, nullam ante Alexandri Magni tempora exaratam esse constat.

Erythraei tituli aetatem, quem ultimo Alexandri anno non antiquiorem esse ex divino Alexandri qui v. 110 commemoratur cultu colligas, omnium accuratissime definire licet. Alterum enim titulum ipsum quoque Erythris inventum, quem

[1] Jahrb. f. class. Philol. suppl. IV. p. 619.

ediderunt P. Foucart[1] et Dittenbergerus,[2] Leonnorii Gallorum in Asiam traicientium ducis nomine suppleto uno ex annis a. 278 proxime insequentibus incisum esse demonstravit Dittenbergerus. Quo in titulo duo duces *Σῖμος Ἀπολλωνίου* et *Ἑκατᾶς Γνώτου* commemorantur, qui iidem in titulo IV sacerdotiorum emptores vel praedes sunt, tum *ἱεροποιὸς Ἀπατούριος* utrique titulo communis est. Denique dux *Πύθεος Πυθέου* illius tituli nescio an idem sit atque huius *ἱεροποιὸς Πύθεος*. Ad eandem igitur aetatem titulus IV pertinet.[3]

Halicarnassense decretum (tit. III) ante Augusti aetatem scriptum esse Boeckhius ex genere litteraturae conicit.

Chalcedoniorum titulum I b Kumanudis initiis aerae Christianae incisum esse iudicavit, Laticheffius rectius exeunti tertio aut ineunti alteri ante Christum saeculo tribuit; I a sub idem fere tempus exaratum esse propter scripturae genus opinor.

De tituli II aetate quamquam e scriptura exemplaris illius quidem, quod exstat in Arch.-Epigr. Mitth. aus Oest., certi quidquam effici non potest, tamen tertio demum ante Christum saeculo Samothracia mysteria latius propagari coepta esse constat.[4]

§ 2.

UNDE TITULI ORIUNDI SINT.

Boeckhius, qui praeter illum quem supra laudavi Dionysii locum unum titulum Halicarnassensem noverat, nisi in patria Dionysii nusquam sacerdotia veniisse putavit. At eundem usum latius percrebruisse ceteri qui postea innotuerunt tituli evincunt.

Titulus I a, cum Anadoli-Kavak in oppido castra stativa aedificarentur, inventus est. Quod oppidum quin *Ἱεροῦ Διὸς Οὐρίου*, quod veteres vocaverunt, respondeat, quo ipso loco duodecim deorum cultum floruisse complures rerum scriptores[5]

---

[1] Bull. de corresp. Hell. III (1879) p. 388 sqq.
[2] S. I. G. n. 159.
[3] cf. quae Dittenbergerus exposuit Herm. XV p. 609. XVI p. 194.
[4] cf. Conze-Hauser-Benndorf „Samothrake" (Wien 1880) II p. 109.
[5] cf. C. Müller, Geogr. Gr. min. II p. 57. 75.

testantur, dubitari non potest. Quem titulum, cum totus fere dialecto Dorica conscriptus sit et exeunte quidem primo ante Christum saeculo illud *Ἱερὸν Διὸς Οὐρίου* Chalcedonium fuisse Strabo VII p. 319 narret, Dittenbergero auctore Chalcedonium vocare non vereor.

Idem Dittenbergerus titulum I b, cum ex oriente Athenas translatus sit, ipsum quoque Chalcedonium esse praeter dialectum Doricam[1] imprimis verbis *ἱερωτεία*, quae vox in altero titulo Chalcedonio (I a) redit, et *προαισιμνᾶν*, cuius vocabuli et notio et scriptura (*ι* pro *υ*) propria est Megarensium eorumque coloniarum[2], et Megarensi mense *Διονύσιος*[3] usus demonstravit. Cui opinioni quamvis sagaciter prolatae hoc unum opposuerim, titulum de quo agitur I b eodem iure Byzantio, quae ipsa quoque Megarensium colonia fuit, vindicari posse, cum praesertim illud *Ἱερὸν Διὸς Οὐρίου* fere semper Byzantii obtinuerint.[4]

In reliquos denique titulos praeter illum, qui prope Callatim inventus est, hoc loco accuratius inquiramus non oportet. Neque enim Callatianum eum esse, cum Callatis, licet a Milesiis primum condita sit, Heracleae Ponticae fuerit colonia, quis est qui negare audeat? Ac maxime quidem mensis forma[5] in *εών* exeunte, quae Ionum propria est, Ionica tituli origo probatur. Neque igitur veri dissimile est Tomis ex urbe hunc titulum esse oriundum.

§ 3.

IN QUAS CLASSES TITULI DISPERTIENDI SINT.

Halicarnassi primum quidem cultum caerimoniasque Dianae Pergaeae, cum decretum (tit. III) fieret, recepta esse vel inde patet, quod ipsi sacerdoti templum condere, ubi libuerit, permittitur.[6]

---

[1] cf. *ἄλλει, ὁπειοῦν, τέτορες, ὅτικα, φοιτήτω, ἀντεθησεῖται, ἱερῆ.*

[2] cf. C. I. G. n. 3794. Dittenb. S. I. G. n. 218, 1. Roehl. I. G. A. n. 514.

[3] cf. C. I. G. n. 3794. Dittenb. S. I. G. n. 252, 54.

[4] Huc accedit, quod ipsum mensem Dionysium non minus Byzantium fuisse constat. Cf. Dittenb. S. I. G. n. 369[12].

[5] cf. tit. II v. 4: *Ἀπατουρεῶνος.*

[6] cf. v. 28 sq. *κατασκευᾶται δὲ ἡ ἱέρεια καὶ τὸ ἱερόν, οὗ ἂν βούληται.*

Nec minus Chalcedone, cum plebiscitum (tit. I b) fieret, quo sacerdotium Aesculapii locandum proponitur, sacerdotii emptionem venditionem institutam esse e praeceptis accuratissime definitis, nisi fallor, perspici potest. Cf. e. g. v. 7 sq.

Duodecim autem dei antiquitus loco illo, qui Ἱερὸν Διὸς Οὐρίου dicitur, culti sunt.[1] Sed locandi legem non prius scriptam esse apparet, quam Νικομαχεῖον illud, quod I a v. 7 commemoratur, aedificatum esset. Atque hoc Νικομαχεῖον conditum esse censeo denominatumque a Nicomacho illo (v. 1), cuius anno, cum praepositioni ἐπί supplendae nihil obstet, inscriptio facta esse videtur. An quisquam putat casu quodam haec nomina propria in uno eodemque titulo esse coniuncta?

Τῶν μυστῶν θεῶν τῶν ἐν Σαμοθράκῃ (tit. II) sacerdotium iam antea fuisse, sed tum ipsum, cum titulus fieret, primum veniisse e verbis: συνθύσει[2] δὲ καὶ τοὺς λιβάνους ἐμ πάσαις ταῖς συνόδοις μετὰ τοῦ π ρ ο ϋ π ά ρ χ ο ν τ ο ς ἱερέως τῶν μυστῶν perspicuum est. Nam usque ad vitae finem emptori sacerdotium esse administrandum v. 3 docet: ἱερήσεται δ ι ὰ β ί ο υ.

Horum igitur de quibus adhuc egimus sacerdotiorum venditionem, quo tempore ipsi tituli conficerentur, institutam esse certo constat. Atque inscriptiones ipsae, quae huc pertinent, sacerdotum et iura et officia plus minus accurate describunt.

Prorsus diversum est argumentum tituli Erythraei (IV), qui non unius tantum sacerdotii venditionem neque ullam vendendi condicionem, sed multarum venditionum recensum continet. Hae venditiones ita dispositae sunt, ut, quaecunque sacerdotia unius anni spatio venibant, iis nomen hieropoei, qui est apud Erythraeos magistratus eponymus,[3] praemittatur. Cf. e. g. v. 94 (99): αἵδε ἱερητεῖαι ἐπράθησαν (ἐπεπράθησαν) ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἀπατουρίου μηνὸς Ληναιῶνος. Quibus verbis continuari solent 1) nomen eius dei, cuius sacerdotium venit, 2) sacerdotii pretium, 3) eponium, 4) nomen emptoris, 5) no-

---

[1] cf. Müller, G. G. min. II. p. 57. 75.

[2] sol. ὁ πριάμενος.

[3] cf. Doermer „De Graecorum sacrificulis, qui ἱεροποιοί dicuntur“ in Dissertat. philol. Argentorat. vol. VIII p. 19.

men eius, qui fidem praestat. Menses, quibus venierunt sacerdotia, plerumque omissi sunt. Praeter *πράσεις* et *ἐπιπράσεις* ter *διασυστάσεις* commemorantur.[1]

Atque ut in Erythraeo venditionum indice emptorum nominibus locus fuit necessarius, ita etiam decretorum I b et II, quibus sacerdotia Aesculapii et Samothracum deorum vendenda promulgantur, verbis nomina addita sunt emptorum. Quae ne in titulis quidem I a et III, cum ultimi versus maxime mutilati sint, defuisse facile concedes.

§ 4.

QUAESTIONES EPIGRAPHICAE.

a) Erythraeum titulum, cum in partes quattuor secedat,[2] quae cum aliis rebus[3] tum scripturae genere maxime inter se discrepant, non uno tenore incisum esse apparet. Sacrificuli, quibus curantibus venierunt sacerdotia, deinceps commemorantur hi: 1) nomen incertum, 2) *Φανότιμος* v. 14, 3) *Ἑρμόκλειτος* v. 23, 4) *Φανότιμος* v. 37, 5) *Ἑρμόστρατος* v. 45, 6) nomen non servatum est v. 51, 7) *Ἐπίγονος* v. 63, 8) *Ἀγασικλῆς* v. 86, 9) *Θεύδωρος τοῦ Μήτρωνος* v. 91, 10) *Ἀπατούριος* v. 94. 99, 11) *Ζηνόδοτος* v. 109, 12) *Ἡρακλειώτης* v. 121, 13) *Πύθεος* v. 128. Praeterea Pythocrito, Metrone, Hegesagora sacrificulis venditiones factas esse e v. 18. 42. 159 cernimus. Neque igitur omnes quae Erythris factae sunt sacerdotiorum venditiones titulus exhibet. Atque Hegesagoram quidem anno ante Apaturium proximo sacrificulum fuisse ex altero titulo Erythraeo[4] patet. Lapicidae igitur culpa inter sacrificulos Theudorum (v. 91) et Apaturium (v. 99) *Ἀφροδίτης Πυθοχρήστου* sacerdotii venditio omissa est. Et profecto hanc omissionem eius lapicidae, qui tertiam tituli partem confecit, neglegentiae vel ideo tribuendam esse puto, quod

---

[1] cf. v. 13. 36. 156.

[2] Prima pars usque ad v. 48, altera usque ad v. 93, tertia usque ad v. 113, quarta usque ad finem tituli pertinet.

[3] Sic in parte III *ἐπώνιον* et *ἐγγυητής* per compendia scripta sunt, cf. Rev. arch. XXXIII p. 107. 110. 116. 119.

[4] cf. Dittenb. S. I. G. n. 159.

v. 157 sq. venditio antea facta plane et diserte respicitur. Nec facile opinor esse dictu, si quis lapicidae errorem agnoscendum esse neget, quamobrem huius de qua agitur venditionis mentio suo loco non fiat. Dicat quispiam Hegesagoram bis sacrificulum fuisse ac primum quidem, sicuti Pythocritum (v. 18) et Metronem (v. 42), antequam prima quae inest in titulo venditio facta esset. Id tamen perperam iudicari v. 74 sq. evincitur, ubi idem Veneris sacerdotium anno ante Theudorum veniisse docemur. Pythocritum vero Metronemque optimo iure in hoc indice omissos esse ex iis, quae supra dixi, elucet.

Ad eius deinde, qui quartam tituli partem exaravit, lapicidae errorem vel maxime v. 154: *εκεν τὴν γυναικείαν ἤγορα* vertendus est. Quae verba ad prorsus alium titulum spectare contra Rayetum, cuius miram interpretationem praetereo, Dittenbergerus monet: qui iam in lapide fuisse antequam titulus incidereturr versum illum et dextrorsum et sinistrorsum continuandum putat. Sed equidem perspicere non possum, quamobrem tres minimum lapides inter se coniuncti sint, cum de uno tantum versu agatur. Immo vero lapicida oculis ad aliam venditionum rubricam aberrantibus versuum, quorum uterque in *ἤγορα* exibat, similibus finibus deceptus verba illa addidit; deinde errore cognito ad iustam rediit rubricam nec tamen versum illum exsculpsit. Itaque ex hoc ipso errore perspicuum est, quale fuerit exemplar, quod lapidario in lapidem transferendum est propositum. Quod cum varias venditiones nec non condiciones complecteretur, lapicidae autem nisi sacerdotiorum venditiones nihil in titulum esset recipiendum, facile fieri potuit, ut et Hegesagorae sacrificuli, de quo supra egi, annus omitteretur et versui 107, ubi de Iovis Liberatoris sacerdotio agitur, verba [1] quaedam adderentur, quae ad omnes de quibus in hoc titulo agitur sacerdotiorum pertinent venditiones. Atque haec verba sacerdotiis nondum venditis, quamvis essent apta et necessaria, tamen in ipso titulo, quo factae enumerantur venditiones, haud dubie erant omittenda. In exemplari igitur, ut hoc verbo utar, non solum quae vendenda proponerentur sacerdotia fuisse, sed etiam ad unum-

[1] *εἰ μὲν ἔστιν* (Dittenb. *μὲν ἔστιν*) *ἱερεύς, ἐπιπωλεῖται, εἰ δὲ μή ἐστιμ* (Dittenb. *μὴ ἔστιμ*), *πωλεῖται.*

quodque sacerdotium cum alias vendendi condiciones tum illam (v. 107) descriptas fuisse puto; venditis deinde sacerdotiis atque emptorum praediumque nominibus eidem exemplari additis titulus ita erat conficiendus, ut omnes ubique condiciones omitterentur. Illis enim in verbis explicandis valde erravit Rayetus, cuius sententiam Dittenbergerus[1] sequi videtur. Cf. infra p. 20.

Summa inest difficultas in tituli clausula,[2] quae quo spectet, haud facile cognoscas. Unde praedium causa titulum exaratum esse ita, ut nisi ea sacerdotia, quorum pretia nondum sint persoluta, nulla exhibeat, cave concludas. Nec lapicidae errori hic versus tribuendus est. Immo post *πρα-θει[σῶν* summam quandam supplendam esse censeo, quae nescio qua causa a praedibus coacta sit.

Atque etiam qui primam tituli partem confecit, in ea semel peccasse videtur. Interrumpuntur quidem, quae sacrificulo Phanotimo[3] fiunt *διασυστάσεις*, sacerdotiis anno Hermocliti[4] sacrificuli venditis. Neque enim verisimile est, aut sub utroque Phanotimo praeter *διασυστάσεις* venditiones factas esse nullas aut eundem sacrificulum iterum adiisse munus iterationis signo omisso; tum utroque, de quo agitur, loco pluralis numerus[5] usurpatur, quamquam singula sacerdotia commemorantur.

Nunc iam ad v. 11 sqq. nos convertamus: quem locum ita dedit Rayet. Rev. arch. XXXIII p. 109: *ἐγγυητὴς] Πρηξᾶς Εὐβούλου, καὶ ἐπεπράθη | [ρ' . . .,] ἐπώνιον ε', Ἡράκλεος Ἀντιπάτρο[υ, | ἐγγυητ]ὴς Ἐπίκουρος Στεφάνου*: eundem Dittenbergerus l. c. ita: . . . .] *Πρηξᾶς Εὐβούλου καὶ ἐπεπράθη* . . . . *ἐπώνιον ε'. Ἡρακλέος· Ἀντίπατρο[ς τοῦ δεῖνος κτλ.* Atque Dittenbergerus solitum[6] atque usi-

[1] cf. S. I. G. 370[26]: „Ignoratur in praesentia, utrum sit sacerdos necne. Quare sacerdotium ea condicione venit, ut pretium, si postea compertum sit esse sacerdotem, ad hunc perveniat, sin minus, in aerarium publicum redigatur."

[2] cf. v. 166: *ἐγγύ(α)ι ἱερητειῶν τῶν πραθεισ[ῶν.*

[3] cf. v. 13 sqq. 36 sqq.

[4] cf. v. 24 sqq.

[5] cf. v. 13 sq. 36: *διασυστάσεις ἱερητειῶν.*

[6] cf. p. 9.

tatum verborum ordinem ideo videtur immutasse, quia aut lapicidae errorem suspicatus illud Ἡρακλέος post ἐπώνιον ε′ positum ad dei nomen, quod post ἐπεπράθη iure desiderabat, spectare putavit aut nominativum Ἡράκλεος, quem Rayetus scripsit, nusquam alibi invenit. Sed ex ipsa eponii summa[1] patet Dittenbergerum perperam ad insignem illum Herculem Erythraeorum proprium provocasse, qui deus cum aliunde[2] tum ex huius de quo agitur tituli versu 86 notus est.[3] Praeterea nomen Ἡράκλεος Erythraeorum peculiare fuisse nummi docent Erythraei autonomi, qui adservantur in museo regio Berolinensi.[4]

Iam vero quoniam lapicidarum et errores, quales quantique sint, et emendandi studium cognovimus, quin omnia, quae eo quod titulus complectitur temporis spatio venierunt, sacerdotia enumerentur, dubitari non potest. Sacrificuli autem, qui titulo continentur, quin omnes deinceps ac ne uno quidem anno interiecto se exceperint, nihil habeo quod dubitem; non ita multos annos titulum Erythraeum amplecti vel inde cognoscere licet, quod eiusdem Demetrii, Apellii filii, v. 4 et 66, eiusdem Demetrii, Aristarchi filii, v. 30 et 60, eiusdem denique Theophronis, Demetrii filii, v. 87 et 124 mentio fit. Sed haec hactenus.

Initio v. 61 supplere velim Ἀθηνᾶς, ad quam deam Ἐπιμάχου cognomen apte quadrat. Atque Erythris Ἀθηνᾶν Ἐπίμαχον cultam esse similiter ac Πρόμαχον Athenis veri non dissimile est: siquidem et ἐπίμαχος et πρόμαχος imprimis dicitur, qui moenia defendat. V. 31. 32 Ἀθ[η|νᾶς Ἀρεί]ας scribendum esse puto. Denique initio v. 63 ἐπεπράθη]σαν, non ἐπράθη]σαν supplendum videri infra ostendam.[5]

b) Ceterarum inscriptionum recensio, si a titulo Chalcedonio I b recesseris, cum nullis impedita sit difficultatibus,

---

[1] cf. p. 23.

[2] cf. Lamprecht „de rebus Erythraeorum publicis“ (Berol. 1871) p. 44.

[3] V. 12 de eponio quinque drachmarum agitur; pretio contra 1921 drachmarum (v. 86) eponium viginti drachmarum respondet.

[4] cf. Lamprecht l. c. p. 63.

[5] p. 19.

hoc loco immorari opus non est. In titulo Ib vero illud ἀκ[αλῶς | πελά]ζειν perperam a Curtio esse suppletum quis est qui neget? Atque ἀκαλῶς quidem verbum tam inusitatum est, ut a lacuna explenda abstinere malim; nescio tamen, an ἀκμαῖα aut ἔκκριτα temptandum sit. Pro πελάζειν autem ἁγιάζειν vel potius, cum ἁγιάζειν ad inferorum deorum et heroum sacrificia spectare soleat, σφάζειν legendum propono.

B. DE IPSA SACERDOTII EMPTIONE VENDITIONE.

§ 1.

DE SACRORUM MUNERUM INTERVALLIS.

Erythris primum quot in annos venierint sacerdotia, cum quaeramus, ea maxime, quae non semel venditata esse titulus docet, respicienda sunt. Cuiusmodi sacerdotia sunt haec:

1) *Ἀφροδίτης Πυθοχρήστου*. v. 74. —. 161.
2) *Ἀχιλλέως, Θέτιδος, Νηρεΐδων*. v. 51. 76.
3) *Δήμητρος ἐγ Κοιλωναῖς*. v. 47. 63.
4) *Διοσκόρων*. v. 7. 122.
5) *Ἑρμοῦ Ἀγοραίου*. v. 92. 101.
6) *Ἑστίας Τεμενίας*. v. 9. 59.
7) *Διὸς Ἀποτροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἀποτροπαίας*. v. 68. 115.
8) *Ἥρας Τελείας*. v. 128. 134.
9) *Κορυβάντων Εὐφρονιείων καὶ Θαλείων*. v. 95.
   — *Ἀνδρείων*. v. 97.
   — *Θαλείων, Ἀνδρείων*. v. 105.
10) *Προκυκλίων θεῶν*. v. 131. 136.

ad 1) Inter primam et alteram venditionem duo, inter alteram et tertiam tres anni intercedunt.

ad 2) Hoc, de quo agitur, sacerdotium proxime sequenti anno iterum venit.

ad 3) ad 5) Posterior venditio a priore duobus annis distat.

ad 4) Post decem annos altera fit venditio.

ad 6) (ad 7) Quinto (sexto) anno post iterum venit sacerdotium.

ad 8) 9) 10) Uno eodemque anno binae fiunt venditiones.

Ex hoc indice apparet Erythraeos sacerdotes non in certum quoddam tempus esse constitutos. Quod si ita fuisset, sacerdotium Ἀχιλλέως, Θέτιδος, Νηρεΐδων altero quoque anno denuo vendendum fuit. An quisquam illa sacerdotia, quaecunque supra commemoravi, mortuis sacerdotii tempore nondum expleto sacerdotibus iterum veniisse ratus unius Ἀφροδίτης Πυθοχρήστου sacerdotium casu quodam primum in duos tantum, deinde in plures annos esse venditatum sibi persuadebit?[1]

Sacerdotia vero, quae sub n. 8. 9. 10 enumeravi, ad hanc quaestionem omnino non pertinent. Nam qui fieri potuit, ut uno eodemque anno idem sacerdotium bis veniret? Quod emptoris morti aut exsilio illis temporibus non iam usitato aut aliis causis adeo non tribuendum est, ut contra uni eidemque deo sacerdotia fuisse compluria iudicandum sit. Nam idem Διονυσόδωρος Ἀριστομένου, qui primum Ἥρας Τελείας (v. 128) emit sacerdotium, paulo post quidem, sed eodem anno, saepius[2] fidem interposuit.

Atque eandem Ἑρμοῦ Ἀγοραίου sacerdotii esse condicionem ex his locis patet: cf. v. 92 sq.: Ἑρμοῦ Ἀγοραίου ͵δχι', ἐπώνιον μ', Μολίων Διονυσίου, ἐγγυητὴς Ἄρατος Μητροδώρου. v. 101 sqq. Ἑρμοῦ Ἀγοραίου ͵δχ', ἐπώνιον μ', Μολίων Διονυσίου, ἐγγυητὴς Φανόπολις Μενεκλέους. Compluribus igitur annis praeterlapsis Molion, Dionysii filius, idem iterum sacerdotium emit. Quod si de uno eodemque ageretur sacerdotio, tertio quoque anno illud venditatum esse necesse est.

Rayetus sacerdotia Erythraea ad unum omnia hereditaria facta esse contendit. A quo maxime abhorrere, quod

---

[1] Quod uno fere et eodem tempore (e. g. v. 63 sqq.) tot sacerdotia venierunt, non ad certa sacrorum munerum intervalla — id quod Anthes l. c. p. 26 sq. opinatur —, sed plerumque ad sacerdotiorum venditionem nuperrime institutam referendum est; cf. p. 36.

[2] cf. v. 143. 165. Huc adde v. 152.

„tantus sacerdotiorum numerus exiguo temporis spatio in civitate mediocri venierit", Dittenbergerus scite monet. In hunc errorem Rayetum induxisse videntur *διασυστάσεις* illae, quarum mentio fit: I) v. 15 sqq. *Δαμασίστρατος Ἑκατωνύμου Ἑκατωνύμῳ Δαμασιστράτου διασυνέστησεν ἱερητείαν, ἣν ἐπηγοράκει ἐπὶ Δ......... Βάκχωνος ἐφ' ἱεροποιοῦ Πυθοκρίτου, Ἀπόλλωνος Καυκασέως καὶ Ἀρτέμιδος Καυκασίδος καὶ Ἀπόλλωνος Λυκείου καὶ Ἀπόλλωνος Δηλίου καὶ ποταμοῦ Ἀλέοντος σκε', ἐπώνιον ι', ἐγγυητὴς Ἐπίπτωτος Καλλιστράτου.* II) v. 38 sqq. *Ἰατροκλῆς Ἡρακλεώτου Ἀριστείδῃ Ἰατροκλείους διασυνέστησε τὴν ἱερωσύνην Ἀφροδίτης τῆς ἐν Ἐμβάτῳ, ἣν ἐπηγοράκει ἐπὶ Κηφισίωνι τοῦ δεῖνος ἐφ' ἱεροποιοῦ Μήτρωνος, ‚βμ', ἐπώνιον μ', ἐγγυητὴς Ἰατροκλῆς Ἡρακλεώτου.* III) v. 151 sqq. *Ἀρισταγόρῃ Διονυσοδώρου μετὰ τοῦ παιδὸς Διονυσοδώρου τοῦ Ἀριστομένου κληρονόμος οὖσα τῶν Ἀριστομένου τοῦ Μητροδώρου κατὰ διαθήκην διασυνίστησιν ἱερητείαν, ἣν ἠγόρασεν Ἀριστομένης Μητροδώρου ἐπὶ ἱεροποιοῦ Ἡγησαγόρου μηνὸς Ληναιῶνος τριακάδι, Ἀφροδείτης Πυθοχρήστου, δραχμῶν ρλ' καὶ ἐπωνίου ε', Ἀπολλωνίῳ Ἀριστομένου, ἐγγυητὴς Ἀπολλωνίου Διονυσόδωρος Ἀριστομένου.* Ubicunque igitur *διασυστάσεις* fiunt, cui quis *διασυνίστησιν ἱερητείαν*, is ipsius est heres. Quas *διασυστάσεις* de sacerdotiis hereditariis omnino non intellegendas esse eo evincitur, quod ipsum *Ἀφροδίτης Πυθοχρήστου* sacerdotium iam antea[1] emerat *Ἡρακλεώτης Ἡροσῶντος*. Atque comprobatur haec opinio maxime eo, quod haud pauca sacerdotia plus semel venierunt. An vero putamus prohibitos esse omnes qui huc pertinent sacerdotes, quominus empta sacerdotia heredibus suis transferrent?[2] Id sane fatendum est, sacerdotia in certis familiis iure retineri potuisse. Atque ad hoc ipsum ius verbum illud *διασυστάσεις*, si quid video, pertinet, quo significatur cessio ad proximum heredem ita facta, ut pretium aliquanto fortasse deminutum denuo rei publicae esset pendendum.[3]

Quaecunque denique apud Graecos in usu fuerint locandi rationes, cum perlustraverimus, hoc unum, nisi fallor,

---

[1] cf. v. 74 sq.

[2] cf. p. 17.

[3] cf. Anthes p. 17: „*Ἀρισταγόρῃ κληρονόμος τοῦ . . διασυνίστησιν ἱερητείαν* i. e. publice vendendum proponit."

reliquum erit, ut Erythraea sacerdotia ad vitae tempus mandata esse putemus.

Haud aliter Halicarnassenses Dianae Pergaeae sacerdotem constitui iusserunt[1]. Quam eandem condicionem tituli Ia[2] et II[3] exhibent. Aesculapii denique sacerdotium, quamquam de eo propter initium tituli misere truncatum certi quidquam dici nequit, tamen ipsum quoque ad vitae tempus veniisse nescio an ad ceterorum sacerdotiorum exemplum conicere liceat.

§ 2.

QUOD DISCRIMEN INTERCEDAT INTER *ΠΙΠΡΑΣΚΕΙΝ* ET *ἘΠΙΠΙΠΡΑΣΚΕΙΝ*.

Verba composita *ἐπιπιπράσκω, ἐπιπωλέω, ἐπαγοράζω*, quae in titulo Erythraeo primum occurrunt, a simplicibus *πιπράσκω, πωλέω, ἀγοράζω* ita differre Rayetus opinatur, ut, „si sacerdotium aliquod mortuo sacerdote vacet, a civitate denuo id veneat, at si quis vivus, quod emerit sacerdotium, alteri vendat, is *ἐπιπωλεῖν* dicatur.“ Cuius sententiam amplexus in illis sacerdotiis, cum ipsum pretium in aerarium redigatur, eponium non esse nisi accessionem quandam pretii, in his vero pretium ad privatum, qui vendat, eponium ad rem publicam pervenire Dittenbergerus exponit. At omnino animum inducere non possum, ut sacerdotiorum quae in titulo Erythraeo enumerantur pretia partim ad civitatem partim ad privatos putem rediisse homines, quorum titulus ipse mentionem faciat nullam. Quod si ita fuisset, priorum utique possessorum nomina non omittenda erant[4]. Denique nec rei publicae est iis quos ipsa capit reditibus privatorum hominum inserere neque omnino statuendum est tot emptores *ἱερητειῶν πραθεισῶν* morte aut casu aliquo prohibitos esse, ne empta sacerdotia ipsi denuo

[1] cf. tit. III v. 8: *ἡ δὲ πριαμένη ἱεράσεται ἐπὶ ζωῆς τῆς αὐτῆς.*

[2] cf. v. 2 sq. *ὁ πριάμενος τὰν ἱερωτείαν τῶν θεῶν τῶν δυώδεκα ἱερωτεύσει ἐπὶ ζωᾶς.*

[3] cf. v. 1 sqq. *ὁ πριάμενος τὴν ἱερωσύνην τῶν μυστῶν θεῶν τῶν ἐν Σαμοθράκῃ ἱερήσεται διὰ βίου.*

[4] Eandem sententiam protulit Anthes, qui ad similem titulum Tenium (Newton, inscr. in the Brit. Mus. II n. 377) provocat.

venderent. Immo vero verba illa composita — id quod ex aliis (ἐπιλαμβάνω, ἐπιμανθάνω, ἐπιπαρασκευάζω, ἐπιπέμπω, ἐπιποιέω etc.) verbis cum praepositione ἐπί compositis apparet — de iis dici possunt, qui aut 1) idem sacerdotium denuo emunt aut 2) praeter sacerdotium, quod prius emerunt, alterum ita emunt, ut compluribus praesint sacerdotiis, aut 3) constitutum sacerdotii pretium plus licendo augent. Civitas vero utrum vendat necne, ad hanc de qua agitur quaestionem omnino non pertinet.

Atque primam trium, quas proposui, verbi ἐπιπιπράσκειν interpretationem si tuam feceris, v. 107, de quo supra[1] egi, hoc fere modo interpretandus erit: Si sacerdos, qui sacro muneri praeest, idem sacerdotium iterum empturus est, ei iterum, sin minus, alteri venit, i. e. sacerdoti id privilegium datur, ut certo sacerdotii obeundi tempore praeterito prae ceteris idem sacerdotium ei emere liceat. Quotienscunque igitur ἐπιπράσεις, ut hoc verbo utar, fiunt, qui postremus sacerdotio functus est, is denuo id emerit necesse est. Quod longe aliter se habet. Nam primum Ἑστίας Τεμενίας[2] sacerdotium, quod bis deinceps ἐπιπιπράσκεται, prior emit Ἀντίπατρος Ἀπολλοδώρου, deinde Ἱεροίτας Ἱέρωνος. Διοσκόρων[3] porro sacerdotium, quod v. 7 Ἡνιόχου filius emerat, postea Ἀστύνῳ Εὐθύνου ἐπιπιπράσκεται. Denique prima illa verbi ἐπιπιπράσκειν interpretatio vel ideo repudianda est, quod Erythraeorum sacerdotia omnino non in certos annos mandata esse prima paragraphus docet.

Iam alteram interpretationem examinemus, qua ἐπιπιπράσκειν ad illud compluria sacerdotia uno eodemque tempore obeundi ius referatur. Itaque cum sacerdotia ad vitae tempus venditata esse demonstraverimus, ubicunque aliquem compluria sacerdotia emisse constat[4], ἱερητείας postea emptas ἐπιπραθείσας

---

[1] cf. p. 11.
[2] cf. v. 9. 59.
[3] cf. v. 7. 122.
[4] Huic sacerdotiorum tamquam coacervationi cave immisceas sacerdotia 1) Ἀπόλλωνος Καυκασέως καὶ Ἀρτέμιδος Καυκασίδος καὶ Ἀπόλλωνος Λυκείου καὶ Ἀπόλλωνος Δηλίου καὶ ποταμοῦ Ἀλέοντος v. 19 sqq., 2) Ζηνὸς Φημίου καὶ Ἀθηνᾶς Φημίας v. 26 sq., 3) Διὸς Ἀποτροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς

nominari necesse est. Et profecto *Πυθοκλῆς Ἀκέστευ*[1], *Ἑκατώνυμος Χρυσίππου*[2], *Μολίων Διονυσίου*[3], qui bina simul sacerdotia possident, alterum quisque acquisiverunt *ἐπιπιπράσκοντες*. At *Ἀριστῆς Ἀριστεῦ*, cui duo sacerdotia[4] *ἐπιπραθῆναι* scimus, *Διὸς Ἀποτροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἀποτροπαίας*[5] sacerdotium postea *πέπρακε*, non *ἐπιπέπρακεν*! Audio; sed si titulum ex ectypo chartaceo a Rayeto editum accurate perlustraveris, eodem iure *ἐπεπράθη]σαν* v. 63 atque *ἐπράθη]σαν* suppleri posse concedes. Qua in re maximo mihi esset adiumento, si Rayetus *ἱερητείας ἐπιπραθείσας* minoris stare quam *πραθείσας* recte iudicasset[6]. Nam idem *Διὸς Ἀποτροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἀποτροπαίας* sacerdotium v. 115 in *ἱερητειῶν πραθεισῶν* numero positum 150 drachmis venditatum est, cum v. 69 pretium 52 drachmarum sit. Sed hanc opinionem, cum nisi uno certo exemplo non confirmetur, iniuria a Rayeto prolatam esse arbitror. Sane *Ἥρας Τελείας*[7] et *Θεῶν Προκυκλίων*[8] sacerdotia huc referri non licere ex iis, quae de sacerdotiis illis supra[9] docui, satis elucet. Verum etiamsi unius eiusdemque dei sacerdotiorum pretia inter se paria fuisse concedamus, sacerdotio quidem *Δήμητρος ἐγ Κολωναῖς*[10], cum v. 63 „*ἐπεπράθησαν*" suppleri posse intellexerimus, nullam argumenti vim inesse manifestum est. Reliqua autem exempla nescio quo iure huc rettulerit Rayetus. Sed hanc alteram interpretationem cum versu 107: '*εἰ μέν ἐστιν ἱερεύς, ἐπιπω-*

Ἀποτροπαίας v. 68 sq. 115 sq., 4) *Ἀχιλλέως, Θέτιδος, Νηρεΐδων* v. 51 sq. 76. Qui dei *σύμβωμοι* aut *σύνναοι* fuisse videntur. Cf. C. Maurer „de aris Graecorum pluribus deis in commune positis" (diss. Argentor. 1885) p. 61.

[1] cf. v. 32. 35.

[2] cf. v. 72. 90.

[3] cf. v. 84. 102.

[4] cf. v. 54. 58.

[5] cf. v. 68 sq.

[6] cf. Rev. arch. XXXIII p. 121.

[7] cf. v. 128 sq. (*ἐπράθη.*) *Ἥρα; Τελεία; φ', ἐπώνιον ι'.* v. 134 *τῶν ἐπιπραθεισῶν· Ἥρα; Τελεία; σνα', ἐπώνιον ι'.*

[8] cf. v. 131. (*ἐπράθη·*) *Θεῶν Προκυκλίων υ', ἐπώνιον ι'.* v. 136 sq. *τῶν ἐπιπραθεισῶν· Θεῶν Προκυκλίων ρι, ἐπώνιον ε'.*

[9] cf. p. 15.

[10] cf. v. 47. 63.

λεῖται, εἰ δὲ μή ἐστιμ, πωλεῖται' congruere nego, cum in his verbis ea notio inesse non possit, ut ἐπιπιπράσκειν ad illud coacervationis ius pertineat. Denique vel ideo ea reicienda est, quia multos illos Erythraeos semel in titulo commemoratos, quibus sacerdotia ἐπεπράθησαν, iam ante ἐπίπρασιν sacerdotes fuisse verisimile non est.

Restat igitur tertia interpretatio eaque simplicissima, quam nullo argumento refelli posse persuasum habeo[1]. Unde cum proficiscamur, ἐπιπραθεισῶν ἱερητειῶν numerum multo maiorem esse quam πραθεισῶν consentaneum est. Hoc unum examinemus oportet, num v. 107 vis atque notio ab hac interpretatione recedat. Praescribi igitur videtur, si quis, dum sacerdos est, alterum sacerdotium auctione quaesiturus sit, ut plus liceatur aliis, qui nondum sacerdotium emerint. Nostra quidem aetate fieri potest, ut opificibus opificumve conductoribus, qui iam unum opus publicum perficiendum susceperint, cum nova opera locanda sint, ei praeferantur, quibus nondum simile beneficium publicum contigerit. Dubium tamen est, num ex simili ratione condicio illa repetenda sit, quae in titulo Erythraeorum publico[2] disertis verbis expressa est; sane sacerdotiorum et redituum ex sacrificiorum reliquiis provenientium coacervatione ne ceteri cives detrimentum caperent, verendum erat. Quod si recte a me expositum est, fieri non potest, quin v. 63 ἐπεπράθησαν legatur.

Sed priusquam ἱερητείας πραθείσας et ἐπιπραθείσας enumerem, quotiens verba illa vel similia in Erythraeo titulo inveniantur, hoc demonstrabo conspectu:

1) πιπράσκω v. 50. 94. 109. 126. 166.
πωλέω v. 107.
ἀγοράζω v. 97. 157.

---

[1] In eandem sententiam Anthes l. c. p. 28 incidit; quae num recta sit, dubitat, cum Rayetum secutus pretium ex epiprasi ductum usque minus esse quam ex prasi arbitretur. Quod autem una illa Διὸς Ἀποτροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἀποτροπαίας ἱερητεία ἐπιπραθεῖσα minoris valuit quam πραθεῖσα, in posteriore venditione (v. 115) maius pretium quam in priore (v. 68) publice constitutum esse videtur. Nec quidquam habemus, cur semper unum idemque pretium pro eodem sacerdotio publice constitutum esse putemus.

[2] cf. p. 34.

2) *ἐπιπιπράσκω* v. 9. 24. 53. 63. 91. 99. 120. 127. 133.
ἐπιπωλέω v. 44. 85. 107.
ἐπαγοράζω v. 17. 41.

a) *Ἱερητεῖαι πραθεῖσαι*:

1) — *Πυθοχρήστου* v. 2.
2) *Ἀφροδίτης* — v. 4.
3) *Διοσκόρων* v. 7.
4) *Ἀχιλλέως, Θέτιδος, Νηρεΐδων* v. 51.
5) *Κορυβάντων Εὐφρονιείων καὶ Θαλείων* v. 95.
6) *Τῶν Ἀνδρείων* (scl. *Κορυβάντων*) v. 97.
7) *Διὸς Βασιλέως* v. 110.
8) *Βασιλέως Ἀλεξάνδρου* v. 111.
9) ? v. 113.
10) *Διὸς Ἀποτροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἀποτροπαίας* v. 115.
11) *Ἥρας Τελείας* v. 128.
12) *Θεῶν Προκυκλίων* v. 131.

b) *Ἱερητεῖαι ἐπιπραθεῖσαι*:

1) *Ἑστίας Τεμενίας* v. 9. 59.
2) ? v. 11.
3) (*Ἀπόλλωνος Καυκασέως καὶ Ἀρτέμιδος Καυκασίδος κτλ.* v. 17 sqq.)
4) *Ζηνὸς Φημίου καὶ Ἀθηνᾶς Φημίας* v. 26.
5) *Ἀθηνᾶς Νίκης* v. 29.
6) *Ἀθηνᾶς Ἀρείας* v. 31.
7) *Ἐνυοῦς καὶ Ἐνυαλίου* v. 34.
8) (*Ἀφροδίτης τῆς ἐν Ἐμβάτῳ* v. 40.)
9) *Δήμητρος ἐγ Κολωναῖς* v. 47. 63.
10) ? v. 54.
11) *Γῆς* v. 55.
12) *Ἀφροδίτης Πανδήμου* v. 57.
13) *Ἀθηνᾶς Ἐπιμάχου* v. 61.
14) *Ἑστίης Βουλαίης* v. 65.
15) *Ἀβλαβιῶν* v. 67.
16) *Διὸς Ἀποτροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἀποτροπαίας* v. 68.
17) *Δήμητρος καὶ Δήμητρος Κόρης* v. 71.
18) *Διονύσου* v. 73.

19) Ἀφροδίτης Πυθοχρήστου v. 74.
20) Ἀχιλλέως, Θέτιδος, Νηρεΐδων v. 76.
21) Ἀπόλλωνος ἐγ Κοίλοις v. 78.
22) Ποσειδῶνος Φυταλμίου v. 80.
23) Κόρης Σωτείρης v. 82.
24) Μητρὸς Μεγάλης v. 83.
25) Ἡρακλέους v. 86.
26) Ἀγαθῆς Τύχης v. 88.
27) Δήμητρος καὶ Κόρης Πυθοχρήστων v. 89.
28) Ἑρμοῦ Ἀγοραίου v. 92. 101.
29) Ἀπόλλωνος ἐν Σαβηρίδαις v. 103.
30) Κορυβάντων Θαλείων, Ἀνδρείων v. 105.
31) Διὸς Ἐλευθερίου v. 106.
32) Διοσκόρων v. 122.
33) Ἥρας Τελείας v. 134.
34) Θεῶν Προκυκλίων v. 136.
35) Ἀρτέμιδος Φωσφόρου v. 139.
36) Εἰρήνης v. 141.
37) Ἑρμοῦ Πυλίου Ἁρματέως v. 144.
38) Διονύσου Πυθοχρήστου v. 146.
39) Διονύσου Βακχέως v. 148.

c) *Διασυστάσεις ἱερητειῶν*:

1) Ἀπόλλωνος Καυκασέως καὶ Ἀρτέμιδος Καυκασίδος κτλ. v. 19.
2) Ἀφροδίτης τῆς ἐν Ἐμβάτῳ v. 40.
3) Ἀφροδείτης Πυθοχρήστου v. 161.

§ 3.

DE SACERDOTIORUM PRETIIS EPONIISQUE.

Pretia sacerdotiorum, quae in titulo Erythraeo exstant, a decem drachmis incipientia usque ad quattuor milia DCX drachmarum numerum pergunt. Quae pretiorum discrimina cum maximi sint ponderis ad sacerdotiorum vim auctoritatemque cognoscendam, Erythraea sacerdotia secundum pretiorum magnitudinem disposita enumerabo.

Sacerdotia:		Pretia:	
Ἑρμοῦ Ἀγοραίου	1)	4610	dr.
	2)	4600	—
Ἀφροδίτης τῆς ἐν Ἐμβάτῳ		2040	—
Ἡρακλέους		1921	—
Δήμητρος ἐγ Κολωναῖς	1)	1300	—
	2)	600	—
Ἀπόλλωνος ἐγ Κοίλοις		900	—
Ἑστίης Βουλαίης		830	—
Κορυβάντων Εὐφρονιείων καὶ Θαλείων		601	—
Ἥρας Τελείας	1)	500	—
	2)	251	—
Μητρὸς Μεγάλης		480	—
Διοσκόρων	1)	405	—
	2)	200—400?	—
Κόρης Σωτείρης		402	—
Προκυκλίων θεῶν	1)	400	—
	2)	105	—
Ἀβλαβιῶν		400	—
Ἀφροδίτης Πυθοχρήστου	1)	300	—
	2)	130	—
Ἑρμοῦ Πυλίου Ἁρματέως		270	—
Διὸς Βασιλέως		230	—
Ἀπόλλωνος Ἐναγωνίου		230	—
Ἀπόλλωνος Καυκασέως καὶ Ἀρτέμιδος Καυκασίδος καὶ Ἀπόλλωνος Λυκείου καὶ Ἀπόλλωνος Δηλίου καὶ ποταμοῦ Ἀλέοντος		225	—
Δήμητρος καὶ Κόρης Πυθοχρήστου		210	—
Ἀφροδίτης Πανδήμου		200	—
Ἑστίας Τεμενίας	1)	200—1000?	—
	2)	105	—
Δήμητρος καὶ Δήμητρος Κόρης		190	—
Κορυβάντων Ἀνδρείων		180	—
Κορυβάντων Θαλείων, Ἀνδρείων		171	—
Διὸς Ἀποτροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἀποτροπαίας	1)	150	—
	2)	52	—
Ἀπόλλωνος ἐν Σαβηρίδαις		150	—
Ζηνὸς Φημίου καὶ Ἀθηνᾶς Φημίας		140	—

Sacerdotia:		Pretia:	
Ποσειδῶνος Φυταλμίου		136	dr.
Ἀφροδίτης		. 130	—
Ἀθηνᾶς Νίκης		120	—
Ἐννοῦς καὶ Ἐνυαλίου		120	—
Διονύσου Πυθοχρήστου		105	—
Διονύσου Βακχέως		100	—
Ἀγαθῆς Τύχης		100	—
Ἀχιλλέως, Θέτιδος, Νηρεΐδων	1)	?	—
	2)	80	—
Διονύσου		80	—
Ἀθηνᾶς Ἀρείας		70	—
Ἀρτέμιδος Φωσφόρου		50—80 ?	—
Γῆς		10	—

Iis sacerdotiis, quorum pretia mille drachmas excedant, *Βασιλέως Ἀλεξάνδρου* et *Διὸς Ἐλευθερίου* addenda esse ex eponiorum magnitudine perspicitur. Nam ad pretiorum magnitudinem eponia ita spectant, ut, si pretium inter quinquaginta et centum drachmas est, duae, si inter centum et ducentas, quinque, si inter ducentas et mille drachmas versatur, decem drachmae persolvantur. Inter pretia autem quinque ea, quae mille drachmas superent[1], eam intercedere proportionem monet Dittenbergerus, ut pretio 1000—2000 drachmarum eponium viginti, pretio 2000—10000 eponium quadraginta drachmarum constitutum fuerit, quae proportio quamvis mira accurate respondeat ei, quae in eponiis 100—200 et 200—1000 drachmarum insit.

Atque eandem, quae eponium[2], vim habere videtur illa *ἑκατοστὰ καὶ τριακοστά* in titulo Ib; nec tamen perspicio, qui

---

[1] 1300 dr. v. 64, 1921 dr. v. 86, 2040 dr. v. 42, 4600 dr. v. 102, 4610 dr. v. 92.

[2] De eponio v. Poll. 7, Harp., Etym. M., Lex. rhet. p. 255, 1, Phryn. Bekkeri p. 40, 7. Dittenb. S. I. G. n. 37 sqq. Boeckh. Staatsh. I p 432 sqq. Athenis eponia aliter esse computata atque Erythris Rayetus (p. 124) recte dixit. Sed ne Athenienses quidem uno eodemque semper eponio usos esse e C. I. A. I 277 apertum est. Cf. Anthes p. 44.

fiat, ut apud Chalcedonios emptori duo vectigalia solvenda fuerint[1]. Quibus vectigalibus comprehensis Aesculapii sacerdotii pretium quinque milium duodequadraginta drachmarum et quattuor obolorum fuisse idem titulus docet.

Nec minus summa illa 'χρυσῶν ἑπτά, χαλκῶν ἑξήκοντα' (tit. II v. 16 sq.), quam Timaeus pro sacerdotio deorum Samothracum solvebat, ipsa quoque et pretium et eponium contineri colligas. Denique Dianae Pergaeae sacerdotium quanti steterit, e titulo III non iam erui potest.

§ 4.

DE EMPTORIBUS.

Iam vero de iis, qui sacerdotia emerunt, fusius disputabo. Ac primum quidem quaerendum est, num emptores ipsi sacerdotiis praeesse debuerint. Chalcedonius titulus I b expressis verbis condicionem exhibet hanc[2]: *ὠνείσθω δὲ ὅς κα ᾖ ὁλόκλαρος καὶ ᾧ δαμοσιοργίας μέτεστι· ἐξέστω δὲ καὶ παιδὶ ὠνεῖσθαι, ἄλλῳ δὲ μηθενὶ ἐξέστω τὰν ἱερωτείαν ἢ ἑαυτῷ.* V. 11 Dittenbergerus recte quidem *παιδί* supplevit, sed hoc *παιδί* dativum esse commodi, qui vocatur, non ab *ἐξέστω* pendere perperam adnotavit: patri licere sacerdotium filio emere, praeterea vero nemini permitti, ut alteri emat sacerdotium quam sibi ipsi. Immo secundum sententiarum compositionem *παιδί* et *ἄλλῳ δὲ μηθενί* sibi respondent, quorum utrumque ab *ἐξέστω* pendere necesse est; quoniam in verbis *ἐξέστω δὲ καὶ κτλ.* exceptionis vim inesse negari nequit. Atque veri dissimile est verba illa voci *πατρί* opposita esse, quae in titulo ipso deest. Itaque patre mortuo filio nondum sui iuris facto ita emere licet, ut ipsum sacerdotium alteri administrandum det. Nam sacerdotem sui iuris esse debere cum ex universo Aesculapii cultu tum ex ipsis quae in titulo I b exstant praeceptis efficitur.

---

[1] cf. Anthes p. 45 sq.

[2] cf. tit. I b v. 9 sqq.

Atque ut Chalcedone ita Erythris quoque puero licuisse emere sacerdotium e tituli IV v. 122 sponte patet: *Διοσκόρων Ἀστύνους Εὐθύνου καὶ ἐπίτροπος Νοσσὼ Σίμου καὶ κύριος Νοσσοῦς Θεόφριων Δημητρίου.* Nec vero minus Chalcedone nisi assentiente tutore id fieri non potuisse neque Erythris *Ἀστύνῳ* illi puero licuisse sacerdotio fungi, quod nonnullis annis ante [1] homo sui iuris emisset, quis non fatebitur?

Prorsus diversa est condicio et duodecim et Samothracum deorum sacerdotiorum[2], quae emptoribus ipsis obeunda erant.

Halicarnassi autem et viro et mulieri Dianae Pergaeae sacerdotium emere licuisse, sed emptori feminam sacerdotem instituendam fuisse ex Dittenbergeri supplemento (initio v. 5) *πριάμενος* apparet: *(ὁ) πριάμενος τὴν ἱερητείαν τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Περγαίας παρέξεται ἱέρειαν ἀστὴν ἐξ ἀστῶν ἀμφοτέρων ἐπὶ τρεῖς γενεὰς γεγενημένην καὶ πρὸς πατρὸς καὶ πρὸς μητρός, ἡ δὲ πριαμένη· ἱεράσεται ἐπὶ ζωῆς τῆς αὐτῆς.* Boeckhii lectio *πριαμένη* v. 5 sine dubio repudianda est. Quod autem Keilius: *πρία(σ) [θαι] τὴν ἱερητείαν τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Περγαίας [ἐνδ]έξετα(ι ἱ)έρειαν* legendum proposuit[3], a sollemni eiusmodi decretorum sermone illud *ἐνδέξεται* alienum esse Dittenbergerus monet, quem ipsum sacerdotiorum apud Graecos coacervationem haud inusitatam fuisse videtur fugisse. Idem vir doctus Erythris eandem legem, si qui vir sacerdotium emisset, ut feminam institueret sacerdotem, valuisse frustra studet demonstrare[4]. Sane mirum esset, si Erythris feminae sacerdotes non fuissent. Quo autem argumento usus Dittenbergerus omnia Erythraeorum sacerdotia in hoc indice enumerari putet, nescio. Unius quidem deae, quae in hoc titulo non commemoratur, *Ἀθηναίης Πολιάδος* apud Erythraeos cultum et tituli[5] et Pausanias[6] et nummi[7] testantur. Immo vero ex eo ipso, quod ne una quidem mulier pro se ipsa emit sacer-

---

[1] cf. tit. IV v. 7.
[2] cf. tit. I a. II.
[3] cf. l. c. p. 618.
[4] cf. Herm. XVI p. 170.
[5] cf. Le Bas-Wadd. As. min. 38.
[6] cf. VII 5, 4.
[7] cf. Mionnet. méd. gr. III 127. 474 sq.

dotium, ubi Asianarum mulierum condicionem respexerimus[1], usum illum, ut sacerdotibus idem sexus esset ac deis, ad Erythraea illa sacerdotia non pertinuisse colligere licebit.

Ceterum, quoniam non cuilibet apud Graecos facultas fuit sacerdotium administrandi, in Halicarnassensi decreto praescribitur, ut sacerdos inde a tertio genere civis sit legitima[2]. Aesculapii deinde sacerdos integer (ὁλόκλαρος) et iuris honorum particeps (ᾧ δαμοσιοργίας μέτεστι) esse debet. Cuiusmodi condiciones, quamquam tit. Ia et II plane et expresse non adscriptae sunt, tamen in deorum et duodecim et Samothracum sacerdotiis — si quidem publica fuerunt — valuisse nemo negabit[3].

§ 5.

QUAE RATIONES INTERCESSERINT INTER ERYTHRAEORUM SACERDOTIORUM EMPTORES ET PRAEDES.

Satis multa verba de emptoribus sacerdotibusque fecisse mihi videor; proximum est, ut rationes, quae intercesserint inter emptores et praedes, breviter attingam. Ac praedium quidem in uno Erythraeo titulo mentio fit[4]; in quo emptorum et praedium nomina haec legimus plus semel commemorata:

1) Ἀριστῆς Ἀριστεῦ: tria sacerdotia emit a) —, ἐγγυητὴς Θεόπομπος Δημώνακτος v. 54, b) Ἀφροδίτης Πανδήμου, ἐγγυητὴς Ἀλέξανδρος v. 58, c) Διὸς Ἀποτροπαίου κτλ., ἐγγυητὴς Θεόπομπος Δημώνακτος v. 70.

2) Θεόπομπος Δημώνακτος: bis vadimonium facit, cf. 1 a. c.

3) Δημήτριος Ἀπελλίου: a) emptor sacerdotii Ἑστίης Βουλαίης v. 66, b) vadimonium facit Ἑρμησίλεῳ Μέντορος v. 4.

4) Δημήτριος Ἀριστάρχου: emptor sacerdotii Ἀθηνᾶς Νίκης v. 30, b) vadem se dat pro Ἱεροίτᾳ Ἱέρωνος v. 60.

5) Ἑκατώνυμος Χρυσίππου: emptor sacerdotiorum a) Δήμητρος καὶ Δήμητρος Κόρης, ἐγγυητὴς Ἑκατᾶς Γνώτου v. 72,

---

[1] cf. p. 30.
[2] cf. tit. III v. 6 sq.
[3] cf. p. 53 sq.
[4] cf. Anthes p. 40.

b) *Δήμητρος καὶ Κόρης Πυθοχρήστου, ἐγγυητὴς Ἑκατᾶς Γνώτου* v. 90.

6) *Ἑκατᾶς Γνώτου*: cf. 5 a. b.

7) *Ἰατροκλῆς Ἡρακλεώτου*: a) *Ἀριστείδῃ Ἰατροκλείους διασυνέστησε τὴν ἱερωσύνην Ἀφροδίτης τῆς ἐν Ἐμβάτῳ* v. 38, b) vadimonium facit *Ἀριστείδῃ Ἰατροκλείους* v. 43.

8) *Θεόφρων Δημητρίου*: a) emptor sacerdotii *Ἡρακλέους* v. 87, b) *κύριος Νοσσοῦς* v. 124, c) vadimonium facit *Ἀστύνῳ* v. 125.

9) *Νοσσὼ Σίμου*: a) *ἐπίτροπος Ἀστύνου* v. 123, b) cf. 8 b.

10) *Πυθοκλῆς Ἀκέστευ*: emptor sacerdotiorum, a) *Ἀθηνᾶς Ἀρείας, ἐγγυητὴς Ἱεροίτας Ἱερογένου* v. 32, b) *Ἐνυοῦς καὶ Ἐνυαλίου, ἐγγυητὴς Ἱεροίτας Ἱερογένου* v. 35.

11) *Ἱεροίτας Ἱερογένου*: bis vadimonium facit, cf. 10 a. b.

12) *Καλλίας Καλλίου:* vadimonium facit a) *Μενεκλεῖ Φανοπόλιδος* v. 132, b) *Μητροδώρῳ Διοφάντου* v. 138, c) *Καλλίας Καλλίου νεώτερος:* emptor sacerdotii *Διὸς Ἀποτροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἀποτροπαίας, ἐγγυητὴς Μητρόδωρος Διοφάντου* v. 117.

13) *Μητρόδωρος Διοφάντου:* a) emptor sacerdotii *θεῶν Προκυκλίων* v. 137, cf. 12 b, b) vadimonium facit, cf. 12 c.

14) *Μολίων Διονυσίου*: emptor sacerdotiorum a) *Μητρὸς Μεγάλης, ἐγγυητὴς Φανόπολις Μενεκλείους* v. 84, b) *Ἑρμοῦ Ἀγοραίου, ἐγγυητὴς Ἄρατος Μητροδώρου* v. 93, c) *Ἑρμοῦ Ἀγοραίου, ἐγγυητὴς Φανόπολις Μενεκλείους* v. 102.

15) *Φανόπολις Μενεκλείους:* bis vadimonium facit, cf. 14 a. c.

16) *Σῖμος Ἀπολλωνίου:* a) emptor sacerdotii *Ἀπόλλωνος Ἐναγωνίου, ἐγγυητὴς Βακχύλος Μητροδώρου* v. 101, b) vadimonium facit *Βακχύλῳ Μητροδώρου* v. 108.

17) *Βακχύλος Μητροδώρου*: a) emptor sacerdotii *Διὸς Ἐλευθερίου* v. 108, cf. 16 b, b) vadimonium facit, cf. 16 a.

18) *Καλλίων Φυλάρχου* vadimonium facit: a) *Φυλάρχῳ Αὐτονόμου* v. 135, b) *Φυλάρχῳ Καλλίωνος* v. 140.

Ubi hoc fere modo cognationis ratio repraesentari videtur posse:

[Φύλαρχος Αὐτονόμου]

Καλλίων Φυλάρχου | [Αὐτόνομος Φυλάρχου]
Φύλαρχος Καλλίωνος | Φύλαρχος Αὐτονόμου.

Καλλίων igitur et pro suo ipsius et pro fratris filio spondet.

19) cf. v. 151 sqq.: Ἀρισταγόρη Διονυσοδώρου μετὰ τοῦ παιδὸς Διονυσοδώρου τοῦ Ἀριστομένου κληρονόμος οὖσα τῶν Ἀριστομένου τοῦ Μητροδώρου κατὰ διαθήκην διασυνίστησιν ἱερητείαν, ἣν ἠγόρασεν Ἀριστομένης Μητροδώρου ἐπὶ ἱεροποιοῦ Ἡγησαγόρου μηνὸς Ληναιῶνος τριακάδι, Ἀφροδείτης Πυθοχρήστου, δραχμῶν ρλ' καὶ ἐπωνίου ε', Ἀπολλωνίῳ Ἀριστομένου, ἐγγυητὴς Ἀπολλωνίου Διονυσόδωρος Ἀριστομένου.

Cognationis rationem Rayetus hoc stemmate illustravit:

Μητρόδωρος | Διονυσόδωρος
Ἀριστομένης | Ἀρισταγόρη
Διονυσόδωρος | Ἀπολλώνιος.

Rayetus igitur Apollonium Dionysodori esse fratrem isdem parentibus ortum arbitratur. Eodem vero iure, quo Apollonium, huc addere licet eiusdem Dionysodori fratrem Dionysium illum, cuius v. 142 mentio fit: Εἰρήνης φ', ἐπώνιον ι', Διονύσιος Ἀριστομένου, ἐγγυητὴς Διονυσόδωρος Ἀριστομένου. Sed et Apollonium et Dionysium ex alia matre, non ex Aristagora esse natos inde patet, quod solus Dionysodorus matri suae coheres est verique videtur dissimillimum patrem familias duos filios ex eadem, atque Dionysodorum, matre natos ab hereditate exclusisse. Quorum alteri Aristagora cum Dionysodoro filio ex coniugis testamento sacerdotium Ἀφροδίτης Πυθοχρήστου cedit, alter sibi ipse haud ita multo ante Εἰρήνης emit sacerdotium. Atque utrique fratri vadem se dedit Dionysodorus[1].

Uxorem vero praeter filium institui posse heredem quamquam ab Atheniensium quidem legibus alienum fuit, civitatum Asianarum leges multo maiora tribuisse iura feminis

[1] Eadem ratio est v. 89. 130; pater ipse pro filio spondet v. 105.

quam Atticas constat[1]. Quin etiam tutelam mulieri gerere licuisse e. v. 122 sqq. cernimus: *Διοσκόρων Ἀστύνους Εὐθύνου καὶ ἐπίτροπος Νοσσῶ Σίμου καὶ κύριος Νοσσοῦς Θεόφρων Δημητρίου*. Ut aliud afferam exemplum, Halicarnassi mulieres adeo non coërcitae erant legibus, ut etiam emendi facultas iis concederetur[2].

Sed redeat disputatio eo, unde digressa est. Plerumque igitur fieri solet, si quis sacerdotia emit compluria, ut eodem vade utatur[3]. Emptorum denique alterum pro altero nonnunquam spondere consentaneum est. Sic *Καλλίας Καλλίωνος* pro *Μητροδώρῳ Διοφάντου* versaque vice *Μητρόδωρος Διοφάντου* pro *Καλλίᾳ Καλλίωνος* spondet, cf. n. 12. 13. Eadem ratio est inter *Σίμον Ἀπολλωνίου* et *Βακχύλον Μητροδώρου*, cf. n. 16. 17.

§ 6.

DE SACERDOTUM EMOLUMENTIS PRIVILEGIISQUE.

Ad reditus sacerdotum cognoscendos maximi momenti est titulus Halicarnassensis: Dianae Pergaeae sacerdoti victimarum publice caesarum omnium praeter unum sacrificium, cuius pariter participes fiunt prytanum mulieres[4], perna pernaeque proxima, viscerum pars quarta, pellis; privatim caesarum excepto pelle eadem tribuenda sunt. Reditus ex pellibus ducti, qui vulgo *δερματικόν* nominantur, non semper in sacerdotum arcam proficisci solebant. Veluti apud Athenienses cum sacrificia publica fiebant maiora, dermaticum illud ad rempublicam rediisse constat[5]. Praeter haec emolumenta singulis mensibus sacerdos ex sacro thesauro unam drachmam accipit ad supplicationem singulorum mensium initio pro

---

[1] cf. Rayet l. c. p. 123.
[2] cf. tit. III v. 8. Anthes p. 17.
[3] cf. supra n. 2, 5, 11, 15.
[4] cf. p. 32.
[5] De Atheniensium sacerdotum reditibus cf. Boeckh. Staatsh. II p. 120 sqq. C. I. G. I p. 251. Martha l. c. p. 120 sqq.

urbis salute faciendam. Ex eodem thesauro exetastae ad sacerdotis vestimentum sumptus praebeant oportet. Qui reditus augentur stipibus illis, quae per tres Heraclei mensis dies in certa urbis parte ei colligendae sunt.

Similiter atque Halicarnassensi titulo promulgatum est, duodecim deorum sacerdoti hostiarum pernae pellesque tribuendae sunt[1].

Ceteri tituli ut ad sacerdotum emolumenta cognoscenda nihil fere conferunt, ita ad privilegia illustranda maximi ponderis sunt. Aesculapii quidem sacerdoti permittitur, ut agro publico circum templum sito utatur, quem quidem civitas ipsa nondum usurpaverit. In honorum vero numero illud habendum esse puto, quod sacerdoti praescribitur, ut diebus festis corona ornatus cenarum publicarum particeps fiat[2]. Ac *δεῖπνα* illa *δαμόσια,* quae in titulo commemorantur, non ad cotidianas cenas, ut Athenis[3] hierophantes et daduchus, qui vocantur, in prytaneo publice ali solebant, sed ad epula nisi diebus festis non edita spectare ex arta illa[2] sententiarum coniunctione elucet. Alia porro privilegia velut stipendii vacationem vectigaliumque immunitatem tituli exordium continuisse probabile est.

Ut Aesculapii sacerdoti diebus festis coronam gestare licet, ita mystarum ope Samothracum deorum sacerdos coronandus est, quo die adit sacerdotium[4]. Nam ad hunc ipsum diem verba '*ἐν ᾗ ἱερᾶται ἡμέρᾳ*' pertinere e versu 13 sq.: *ὑπάρχειν δὲ αὐτῷ τὸν στέφανον εἰς τὸ κατ . . .* colligas, praesertim si *εἰς τὸ κατάλοιπον* suppletur, quamquam una littera excedere hoc supplementum spatium in titulo traditum Gomperzius adnotat.

---

[1] cf. tit. Ia v. 4 sqq. *ἐνδασόμενος τῶν θυομένων πάντα τὰ δέρματα καὶ τὰς κωλέας, ὅσα κα τοὶ Ἱερῶται θύωντι τοῖς δώδεκα θεοῖς.*

[2] cf. tit. Ib v. 5 sqq. *στεφανοφορείτω δὲ τὰς ἑρότιας καὶ ἐπὶ τὰ δεῖπνα φοιτήτω τὰ δαμόσια.*

[3] cf. C. I. G. I n. 191.

[4] cf. tit. II v. 7 sqq.

§ 7.

DE SACERDOTUM OFFICIIS.

Si quis omnes qui huc pertinent titulos universe generatimque contuebitur, sacerdotum officia multo copiosius fusiusque descripta et definita esse reditibus perspiciet.

Dianae Pergaeae sacerdoti et publica et privata curanda sunt sacrificia, cf. v. 9: *θύσει τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελέα καὶ τὰ ἰδιωτικά.* Atque ex publicis sacrificiis unius tempus accurate definitur, mensis Heraclei diei duodecimi, quo die, nisi fallor, Dianae sacerdotium et constitutum et vendendum propositum est. Quod ipsum sacrificium non sacerdoti, sed prytanum huius mensis mulieribus triginta drachmis publice datis parandum est.

Samothracibus quoque deis similiter ac Dianae Pergaeae sacrificium praebendum videtur esse anniversarium, cf. v. 4 sqq.: *Ἀπατουρεῶνος ἑβδόμῃ παρ[έξει τὸ πέμμ]α σχίξας καὶ ἐγχέει [τὸ ποτὸν τοῖ]ς μύσταις καὶ πομπε[υθήσεται πα]ρ' αὐτοῦ. στεφανωθήσεται κτλ.* Nec veri dissimile est hoc septimo Apatureonis die constitutum esse, ut sacerdotium venale fieret. Praescribitur denique sacerdoti, ut in omnibus mystarum contionibus proximo decessore aliisque ex sodalicia lege adhibitis tura sacrificet.

Duodecim deinde deorum sacerdoti quae officia exsequenda fuerint, tit. Ia v. 7 sqq. doceri videtur: *ποταγόντω δὲ τ[οὶ ἱερεῖς τοὶ] ἑκαστάκι γινόμενοι τὰ ἱερεῖα, ἃ κ[α δέῃ σφά]ζειν, ποτὶ τὸν βωμὸν τῶν θεῶν τῶν δυώδεκα καὶ ποιούντω τὰν θυσίαν.* Sacerdoti igitur certae hostiae ad aram ducendae et caedendae sunt: quod si neglexerit, poenam sibi contrahet. Quamquam haec supplementa fatendum est incerta esse et propter formam suspecta: ut ne id quidem constet, ad sacerdotes haec pertinere.

In Chalcedonio decreto Ib sacerdotis non modo iura, sed etiam officia parum accurate exponuntur. Nisi templum cotidie ornandum esse verrendamque porticum, quae prope Aesculapii templum sita est, nihil fere titulus ipse docet. Quam porticum, ut apud Athenienses[1] in Aesculapii aede factum est, ad aegrotos excipiendos institutam esse arbitror. —

[1] cf. Aristoph. Plut. v. 670.

Ποθόδου vero notionem, quam Laticheffius ad officia sacerdotis rettulit, num rectius de reditibus intellexerit Dittenbergerus, diiudicare non ausim. Quo verbo quaecumque ad cultum spectent officia non comprehendi etsi Dittenbergero concedo, unam tamen certam pompam aut supplicationem in hoc titulo significari non negaverim. Toto sacerdotii pretio ab emptore ad diem soluto '*ἁ ἄνθεσις*' emptoris sumptibus celebratur. *Ἄνθεσις* enim et *ἀνατιθέναι* de sacerdote inaugurando dictum esse Dittenbergerus scite quidem adnotat; at „huius vocabuli usum inde repetendum esse, quod sacerdos sellae in delubro positae imponatur similiter atque in episcoporum inauguratione fieri soleat," adeo non probabile esse puto, ut et propria verbi *ἀνατιθέναι* vi ac notione et Servii [1] testimonio nisus, quin *ἄνθεσις* eo pertineat, quod sacerdos cultui dei sacratur et quasi dedicatur, nullus dubitem. Sacerdos sane non eodem modo quo res aliqua deo traditur, sed per quandam notionis translationem *ἀνατιθέναι* eodem iure de inaugurando sacerdote, quo de servis manumittendis [2] usurpatur. — Quod denique res publica ipsa emptori cavet, ne quis in iure exsequendo eum interpellet, mirum non est, cum praesertim magnum sacerdotii pretium respiciamus, cf. v. 13 sqq.: *ὃς δέ κα εἴπῃ ἢ προαισιμνάσῃ ἢ προθῇ ἢ ἐν δάμῳ ἢ ἄλλει καὶ γ' ὁπειοῦν, ὡς δεῖ ἀφελέσθαι τὸν πριάμενον τὰν ἱερωτείαν, χιλίας δραχμὰς ἀποτεισάτω ἱερὰς τοῦ Ἀσκλαπιοῦ.* — Quo ex loco simul cognoscere licet Aesculapii non minus quam Dianae Pergaeae aedi fuisse aerarium. In Halicarnassensi enim titulo verbis expressis praescribitur, ut sacerdos thesaurum instituat, in quem quicumque sacrificet, ei pro immatura victima unus, pro adulta duo oboli inferendi sint. Sacerdos Dianae Pergaeae num ipsa suis impensis templum aedificandum curaverit, perspici nequit.

Restat, ut solvendi dies breviter perstringam, quorum nisi in titulis Ib et II mentio non fit. Cf. tit. Ib v. 17 sqq.:

---

[1] ad Verg. Aen. I v. 73: sacerdos dicatus est numini, hoc est ad obsequium datus est.

[2] cf. I. G. A. n. 83. 86. 88; Wescher-Foucart, Inscr. Delph. n. 432; Curtius, Anecd. Delph. p. 32.

τᾶς δὲ τιμᾶς καταβαλεῖ τὸ ἥμισσον καὶ ἑκατοστὰν καὶ τριακοστὰν ἐν τῷ Πεταγειτνίῳ μηνὶ πρὸ τᾶς δεκάτας, τὸ δὲ ἥμισσον ἐν τῷ Διονυσίῳ πρὸ τᾶς δεκάτας[1], et II v. 15 sqq.: *ἐπρίατο τὴν ἱερωσύνην Τίμαιος Στράτωνος χρυσῶν ἑπτά, χαλκῶν ἑξήκοντα, οὓς ἔδωκε παραχρῆμα.*

§ 8.

DE PUBLICIS ET PRIVATIS SACERDOTIIS.

Sacerdotia, quae venditata esse scimus, duplicis generis videntur fuisse.

Dianae Pergaeae cultum publicum fuisse tituli praescripta docent: *Ἐπὶ νεωποιοῦ*[2] *Χαρμύλου τοῦ Διαγόρου, μηνὸς Ἡρακλείου, πρυτανείας τῆς μετὰ Μενεκλεῦς τοῦ Φορμίωνος, γραμματεύοντος Διοδότου τοῦ Ἡλιονίκου, ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δάμῳ, γνώμη πρυτάνεων.*

Idem de Aesculapii sacerdotio, quamquam praescripta titulo desunt, colligere licet e tit. Ib v. 5—8: *στεφαναφορείτω δὲ τὰς ἑρότιας καὶ ἐπὶ τὰ δεῖπνα φοιτήτω τὰ δαμόσια. χρηείσθω δὲ καὶ τῷ περὶ τὸ ἱερὸν χώρῳ τῷ δαμοσίῳ, ὅτι κα θέλῃ.* Huc adde v. 13—16: *ὃς δέ κα εἴπῃ ἢ προαισιμνάσῃ ἢ προθῇ ἢ ἐν δάμῳ ἢ ἄλλει καὶ χ' ὁπειοῦν, ὡς δεῖ ἀφελέσθαι τὸν πριάμενον τὰν ἱερωτείαν, χιλίας δραχμὰς ἀποτεισάτω ἱερὰς τοῦ Ἀσκλαπιοῦ.*

Erythraea deinde sacerdotia quaecumque in titulo commemorantur, non unius eiusdemque generis fuisse veri simillimum est; sed cum maxima pars nullam omnino ansam det ad rem diligenter cognoscendam, quae publica, quae privata origine ac natura fuerint, difficile est dictu[3]. Quod cum ita

---

[1] cf. Anthes p. 43.

[2] cf. Anthes p. 38.

[3] Nec magis quae gentilicia fuerint sacerdotia, cognoscas. Hoc sane manifestum est, gentilicia sacerdotia — siquidem Erythris fuerunt — civibus ex certis gentibus oriundis, non cuilibet civi sui iuris veniisse. Pretia vero omnis sacerdotiorum generis ad civitatem rediisse negari nequit. Cui enim pro sacerdotiis plus quadraginta vades datos esse putabimus nisi civitati?

sit, de Corybantum cultu paulo fusius disserere satis habeo. Quos Κορύβαντας Θαλείους, Εὐφρονιείους, Ἀνδρείους ab iis, qui haec sacerdotia condidissent, cognomina traxisse Foucartus, cum ad similia quae in Rhodiorum sacris occurrunt exempla provocat, apud Rayetum (p. 128) monet. Ita exstant in marmore quodam Rhodio[1] Ἀγαθοδαιμονιασταὶ Φιλώνειοι, Διονυσιασταὶ Χαιρημόνειοι, quae collegia sine dubio a Philone et Chaeremone instituta et denominata sunt[2]. Ac Θαλείων quidem Κορυβάντων cultus quin a Thalete illo, cuius v. 95 mentio fit, originem traxerit, nemo dubitabit. Qui Thales ipse primus Κορυβάντων Θαλείων sacerdos fuisse videtur. Sed publicum puto factum esse hoc sacerdotium, cum Ἀντίπατρος Ἀγασικλέους Thalete auctore pretium DLI drachmarum solveret. Nam illud 'ἐπὶ Θάλεω' omnino non eadem vi atque 'ἐπὶ Κηφισίωνι' v. 41 intellegendum est[3], sed Thaletis auctoritate interpretemur oportet. Thales igitur privatum Θαλείων Κορυβάντων sacerdotium civitati concessit. Cuius generis sacerdotia publica ab hominibus privatis ita instituta, ut ipsi primi fierent sacerdotes, ab Atheniensium sacris haud aliena fuisse titulus Atticus docet[4]: Ὁ θεὸς ἔχρησεν τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων δοῦναι τὴν οἰκίαν τὴν Δήμωνος καὶ τὸν κῆπον ἱερὸν τῷ Ἀσκληπιῷ, καὶ αὐτὸν Δήμωνα ἱερέα εἶναι κτλ. Demon igitur Aesculapii delubrum civitati ita tradidit, ut ipse sacerdos institueretur.

Sodalicius vero fuit Samothracum deorum cultus, quorum sacris obeundis mystarum sodalitas operam navavit. Samothraces igitur dei a privatis, non a civitate arcessiti esse videntur e Samothrace.

Duodecim denique deorum sacerdotium utrum ad privatum quoddam collegium pertinuerit an publicum fuerit, non satis perspici potest: quamquam ad privatam potius religionem pertinere videtur Nicomacheum a Nicomacho, cuius nomen titulo inscribitur, dedicatum.

---

[1] cf. Ross. inscr. ined. n. 282.

[2] De talium collegiorum indole egit Boeckhius, C. I. G. II n. 2525 b.

[3] cf. Dittenb. S. I. G. n. 370[22].

[4] cf. Dittenb. S. I. G. n. 368.

§ 9.

QUA AETATE SACERDOTII EMPTIO VENDITIO NATA, QUAM LATE PROPAGATA, QUAMOBREM INSTITUTA SIT.

1) Sacerdotia vendendi consuetudinem cum ex omnibus veterum scriptoribus unus[1], qui Augusto demum imperante floruit, memoriae prodiderit et in interpretandis omnibus quae huc pertinent inscriptionibus post Alexandri Magni tempora scriptis tum demum venalia sacerdotia facta esse demonstraverimus[2], non ante Alexandrum consuetudinem illam valuisse contendo. Hoc tantum non clamant Erythraea sacra, quorum plurima tunc ipsum, cum indici adderentur, venalia facta esse negari nequit. Neque ulli alii causae tribui potest, quod tot sacerdotia tam brevi temporis spatio venierunt. Quin etiam exceptis *Ἀπόλλωνος Καυκασέως*[3] *κτλ.* et *Ἀφροδίτης τῆς ἐν Ἐμβάτῳ*[4] sacerdotiis in titulo IV inesse puto nullum, quod non primum venierit. Quam in sententiam vel maxime eo adducimur, quod in utroque quod modo indicavi sacerdotio eius mentio fit, qui antea sacerdotium emerat[5]. Cum enim in ceteris Erythraei tituli sacerdotiis praedecessorum nomina omissa sint, haec omnia primum veniisse necesse fere est concedamus.

2) Sacerdotia vendendi consuetudinem non unius Halicarnassiorum reipublicae propriam fuisse nec tantum in civitatibus Asianis Asiaeque finitimis, sed etiam in insulis quibusdam prope Atticam sitis usitatam fuisse tituli demonstrant. Quae sacerdotii emptio venditio, cum in urbibus et Doriis et Ioniis isdem fere temporibus floruerit neque Graeciam ipsam[6]

---

[1] cf. p. 4.

[2] cf. p. 9.

[3] cf. tit. IV v. 19 sqq.

[4] cf. l. c. v. 40 sq.

[5] cf. v. 17 sq. 41 sq.

[6] Athenienses quidem more illo omnino caruisse constat. Cf. Martha l. c. p. 29, 6.

attigisse videatur, non Dorum aut Ionum propria fuit, sed ex alieno quodam more ab Asianis Graecorum civitatibus imprimis recepto derivata est. Adiumento est huic opinioni meae locus quidam Ciceronis, quem nemo, quantum scio, ad consuetudinem illam rettulit, orationis pro P. Sestio c. 26 § 56: 'Lege tribunicia Matris Magnae Pessinuntius ille sacerdos expulsus et spoliatus sacerdotio est fanumque sanctissimarum atque antiquissimarum religionum venditum pecunia grandi Brogitaro, impuro homini atque indigno illa religione, praesertim cum ea[1] sibi ille non colendi, sed violandi causa adpetisset.' Vendendi igitur sacerdotium usus a Pessinuntiorum institutis haud alienus videtur fuisse. Atque quod huic Magnae Matri, cuius cultus Graecorum civitatibus nescio an vendendi sacerdotia exemplo fuerit, in *Ἱερῷ Διὸς Οὐρίου*, ubi duodecim deorum sacerdotium veniisse scimus, illustre publicumque templum fuit[2], id casui tribuendum esse nego. Ad eandem Phrygiae deae cultum Corybantum apud Erythraeos sacerdotia spectant[3]. Multorum denique sacra deorum ab alienis gentibus ac maxime quidem a Phoenicibus mutuatos esse Graecos quis est quin sciat[4]? Neque Erythris eius rei vestigia desunt. Nam Herculis quidem cultum Erythraeos a Phoenicibus recepisse constat.[5] Denique imprimis huc pertinere puto Samothracum deorum, qui Cabiri vocantur, et Dianae Pergaeae cultus, quorum alterum Phoenicum peculiarem fuisse[6], alterum Perge ex Pamphyliae urbe Halicarnassum translatum esse scimus. Cui Dianae Pergaeae cum Pessinuntia illa dea tam multa communia fuerunt, ut utriusque cultus non dubitem quin ex unius eiusdemque gentis religionibus repetendus sit.

---

[1] Codicum lectione 'ea' apte significatur sacerdotium ipsum omnibus et iuribus et officiis comprehensis; 'eam' scribunt Manutius et Lambinus

[2] cf. Müller, G. G. min. II p. 57.

[3] cf. tit. IV v. 95. 97. 105.

[4] cf. Duncker, Gesch. d. Alterth. V p. 42 sqq. 201. 349. sqq.

[5] cf. Lamprecht „de rebus Erythraeorum publicis" p. 56.

[6] cf. Duncker, l. c. I p. 278.

3) Restat, ut quaeramus, quamobrem sacerdotii emptio venditio instituta sit. Ac primum quidem maxime cavendum est, ne Boeckhium secuti hanc Graecorum consuetudinem cum prava illa, quam medii aevi temporibus valuisse inter omnes constat, quodammodo confundamus aut comparemus. Nam Graecorum venditio, quamquam a Dionysio improbatur, tamen ab illo medii aevi abusu eo nomine maxime differt, quod, cum Dionysius emptione sacerdotia quaeri eodem iure ac sorte iudicet, non fraude, sed lege venditata sunt sacerdotia. Praeterea ad pietatem erga deos religionemque comminuendam ut simonia, quae nominatur, maximi, ita minimi apud Graecos fuit ponderis, quod nonnulla sacerdotia venibant. Graecorum enim sacerdotes corpore vitaque integri[1] et cives[2] esse debebant neque scientia iis opus erat dogmatica; qui praeter templa tuenda[3] et celebrandos dies festos nihil curabant, deorumque cultus ne a patrum more discederet, maxime dabant operam. Itaque, sive sorte sive emptione quaerebantur sacerdotia, sacerdotes ipsi nec deteriores nec praestantiores esse videbantur; nec secus Dionysius empta sacra ab illis, quae ad sortem revocabantur, ita discernit, ut sacerdotiorum venditionem φαύλως, sortitionem ἀπεριοσκέπτως institutam esse arbitretur. Quam emptionem venditionem cum inde ab Alexandri demum temporibus valuisse cognoverimus, in civitatibus bellis atque excidiis ad inopiam redactis natam esse manifestum est. Atque ut Asianae civitates vel maxime vexari atque turbari coeptae sunt, ita ibi primum sacerdotiorum venditionem in usu fuisse vidimus. Halicarnassii quidem urbe ab Alexandro Magno diruta vires colligere et revocare studuerunt. Quod ut efficeretur, hanc quoque sacerdotes constituendi rationem institutam esse verisimile est. Sacerdotiorum igitur venditio nihil aliud nisi liturgia quaedam fuisse videtur, qua civitas rebus dubiis civium pecunias ad se revocaret. Cives autem non solum honoris, sed etiam quaestus causa sacerdotia emerunt. Itaque maxime dolendum est, quod non iam erui potest, quanta et

---

[1] cf. Etym. M. p. 176.
[2] cf. Dem. Eubul. § 48. adv. Neaer. § 75. Ross. inscr. gr. III p. 52.
[3] cf. Arist. Pol. VI 5.

qualia sacrificia singulis de quibus agitur deis oblata sint. Hoc certe dubitari nequit, quin sacerdotiorum pretia quodammodo respondeant reditibus, etiamsi qui in sacerdotis condicione inest honos ad emenda sacerdotia magni fuerit momenti.

APPENDICES.

A.

DE DEORUM IN ERYTHRAEO TITULO COGNOMINIBUS.

Dei plus quinquaginta in uno illo Erythraeo titulo enumerantur, quorum multis ea sunt cognomina, quae raris aut nullis exemplis probentur. His interpretandis Rayetus[1] tam bono successu operam dedit, ut pauca iniudicata reliquerit.

1) Ἀβλαβιῶν in Parcarum nomine similem euphemismum agnovit Rayetus, atque is est, quo eaedem deae Athenis Eumenides dicuntur. Nec rari sunt eiusmodi euphemismi: Bechtelius[2] quidem Mytilenaeorum θεὰς Ἐτηφίλας tamquam deas vere amicas significari ita monet, ut similem qui inest in Εὐβουλέως nomine euphemismum respiciat. Verbum ἀβλαβίη uno tantum loco exstat Hom. hymn. in Merc. v. 393: ἐπ' ἀβλαβίῃσι νοοῖο. Haec ἀβλαβίη forma Ionica est pro ἀβλάβεια.

2) Alexander Magnus iam vivus divinis honoribus cultus est. Primus Lysander his honoribus usus videtur esse[3]. Post hunc Thasios Agesilaum 'ναοῖς καὶ ἀποθεώσεσι' coluisse constat. Porro altero ante Christum saeculo Philopoemena in deorum numero habitum esse nonnulli tituli docent. De Alexandri cultu v. Aelian. V. H. II 19; Lucian. Calumn. 17.

---

[1] cf. Revue arch. XXXIII p. 125 sqq.
[2] „Die inschriftl. Denkmäler des aeol. Dial." n. 15 ap. Bezzenb. V.
[3] cf. Duris ap. Plut. Lys. 18.

Alexandro quae ratio intercesserit cum Erythraeis, Paus. II 1, 5 et Plin. N. H. V 116 memorant. Cuius sacerdotium, quod usque ad imperatorum Flaviorum aetatem floruisse e titulo apud Le Bas-Waddington As. min. 57 cernimus, si pretii summa respiciatur,[1] apud Erythraeos multum valuisse Rayetus adnotat. Ubi templum Alexandri situm fuerit, narrat Strabo XIV p. 644: *ὑπέρκειται δὲ τῶν Χαλκιδέων ἄλσος καθιερωμένον Ἀλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου, καὶ ἀγὼν ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων Ἀλεξάνδρεια καταγγέλλεται, συντελούμενος ἐνταῦθα.* Ex eodem loco apparet in Alexandri honorem Erythris ab Ionibus ludos celebratos esse.

3) *Ἀλέων ποταμός.* Cf. Plin. N. H. V 117: Iuxta eas (Erythras) fuerunt oppida Pteleon, Heleos, Dorion, nunc est Aleon fluvius. XXXI 14: Erythris Aleos amnis pilos gignit in corporibus.

4) *Ἐναγωνίου* cognomen Mercurio vulgo[2] tributum est. De Apolline Enagonio cf. Eusth. Il. p. 1322, 57: *Ἀπόλλωνος δ' ἐνταῦθα* (Il. XXIII 660) *μέμνηται ὁ ποιητὴς διὰ τὸ δοκεῖν ἐναγώνιον εἶναι καὶ αὐτὸν ὁμοίως τῷ Ἑρμῇ.* Praeterea semel Enagonius vocatur *Ἀχελῷος* fluvius; cf. Philostr. Her. p. 678.

5) *Ἀπόλλωνος Καυκασέως καὶ Ἀρτέμιδος Καυκασίδος* cultus ex Caucasa, qui est Chii insulae portus meridionali in ora maritima situs angustoque freto ab Erythris distans, Erythras translatus est similiter atque Dianae Pergaeae[3] cultus Perge ex urbe quadam Pamphyliae Halicarnassum arcessitus est. De Caucasa v. Herod. V 33. Ab eadem insula *Ἀπόλλωνος ἐγ Κοίλοις* cultum Erythraeos excepisse Rayetus apte monuit. Cf. Herod. VI 26: *Χίων φρουρῇ οὐ προσιεμένῃ μιν συνέβαλε ἐν Κοίλοισι καλεομένοισι τῆς Χίης χώρας.* Ceterum in deorum cultu quod multa Erythraeos cum Chiis communia habuerint, non mirum esse, cum idem de dialecto

---

[1] cf. p. 24.

[2] cf. Gerhard, Mythol. § 272, 4 b; § 275, 4 b.

[3] Diana Pergaea cum alibi tum Lindi in urbe culta est. Cf. Foucart, inscr. inéd. de l'île de Rhodes p. 81 n. 67: *Ἀ]ρτάμιτι Περγαίαι.* Cf. A. Maury, histoire des religions de la Grèce antique, t. III p. 180 sqq.

testetur Herodotus[1] neque desint in titulis vestigia, quibus eius testimonium confirmetur, Dittenbergerus adnotat.

6) *Δημήτηρ ἐγ Κολωναῖς.* Rayetus laudat Strab. XIII p. 589: *Ἀναξιμένης δὲ καὶ ἐν τῇ Ἐρυθραίᾳ φησὶ λέγεσθαι Κολωνάς.* Demetria Erythris celebrata esse e Le Bas-Waddington As. min. n. 53 colligas.

7) *Διόνυσος Βακχεύς*[2] et in titulo quodam Myconi invento[3] et ab Athenaeo,[4] qui ad Andriscum provocat, commemoratur. Saepius *Διονύσου Βάκχου*,[5] raro, quantum scio, *Διονύσου Βακχείου* et *Διονύσου Βακχίου*[6] mentio fit. *Βακχέως* formam ut poesis propriam usurpant Euripides, Sophocles, alii[7].

8) *Ἐνυώ* Martis esse comitem in Homeri Il. V 333. 592, matrem apud Homeri scholiastam aliosque legimus. Pausania[8] teste ei statua erat dedicata Athenis, qua in urbe unum idemque cum Marte templum illa dea habitasse videtur. Cf. C. I. A. III 2: *ἱερεὺς Ἄρεως καὶ Ἐνυοῦς καὶ Διὸς Γελέοντος.* Atque Romae quoque Bellonae erat templum[9], quod Dio Cassius *Ἐνυεῖον* nominat[10].

9) *Ἑστία Τεμενία* aliunde non nota est. *Τεμένιος* deus exstat in titulo Laconico C. I. G. n. 1446: *ἱερέαν κατὰ γένος Καρνείου Οἰκέτα καὶ Καρνείου Δρομαιέος καὶ Ποσειδῶνος Δωματείτα καὶ Ἡρακλέους Γενάρχα καὶ Κόρας καὶ Τεμενίου τῶν ἐν τῷ Ἕλει.* Cicero[11] et Suetonius[12] Apollinem *Τεμενίτην*

---

[1] cf. I 142.

[2] cf. Gerhard, Mythol. § 444, 2ᵃ; § 457, 2ᶜ. *Βακχεύς* Dionysi epitheton exstat etiam in Anonymi Laurentiani Deorum Epithetis, quae Guilelmus Studemund edidit in Anecdotorum Variorum volumine I.

[3] cf. Dittenb. S. I. G. n. 373.

[4] cf. 378 b. c.

[5] cf. C. I. G. n. 2919. 3538. 5956. 6388.

[6] cf. C. I. G. 2529 b. 2919. Gerhard, Mythol. § 443, 4; (§ 449, 1; § 457, 2ᶜ).

[7] Eurip. Bacch. v. 145. Ion. v. 218; Soph. Ant. v. 1121; Anth. Plan. 4, 150; Orph. hymn. 45, 2. 52, 1.

[8] cf. I 8, 4

[9] cf. Plut. Sull. 7; Cic. 13.

[10] cf. 42, 26. 50, 4. 69, 15. 71, 33.

[11] cf. Verr. IV 53, 119.

[12] cf. Tib. 74.

commemorant, cuius statua in Syracusanorum Temeno erat posita. De *Τεμένου* loco cf. Steph. Byz.; cuius incola eodem teste *Τεμενίτης* vocatur. Myconi *Ποσειδῶν Τεμενίτης* cultus est[1]. Erythris vero num eiusdem nominis fuerit pagus, nescimus. Adiectivum *τεμένιος* legimus apud Sophoclem[2].

10) *Ζεὺς Ἀποτρόπαιος καὶ Ἀθηνᾶ Ἀποτροπαία.* Plerumque ad calamitatem avertendam Apollo[3] invocatur. Iovi Minervaeque hoc cognomen tributum esse raris locis probatur. De Minerva v. C. I. G. n. 5939. Iovem Apotropaeum memorat Lucian. Alex. c. 4: *Ὦ ἀλεξίκακε Ἡράκλεις καὶ Ζεῦ ἀποτρόπαιε καὶ Διόσκουροι σωτῆρες*[4]. De Graecorum deis averruncis v. Plat. leg. p. 854 b; schol. ad Aristoph. Pl. v. 359. Huc Soph. Ai. versum 186 referendum esse puto: *ἀλλ' ἀπερύκοι καὶ Ζεὺς κακὰν καὶ Φοῖβος Ἀργείων φάτιν.* Hos deos averruncos non solum in cotidianis illis atque usitatis formulis usurpari, sed etiam templis sacerdotiisque honoratos esse et ex hac de qua agitur Erythraea inscriptione et, nisi fallor, e Paus. II 11, 1 apparet: *Πρὸ τοῦ βωμοῦ δὲ αὐτῷ μνῆμα Ἐπωπεῖ κέχωσται καὶ τοῦ τάφου πλησίον εἰσὶν Ἀποτρόπαιοι θεοί· παρὰ τούτοις δρῶσιν, ὅσα Ἕλληνες ἐς ἀποτροπὴν κακῶν νομίζουσιν.*

11) *Ζηνὸς Φημίου καὶ Ἀθηνᾶς Φημίας* nomina nusquam alibi memoriae prodita sunt. Hunc Iovem Phemium Iovi illi Euphemo, qui Hesychii testimonio Lesbi in insula colebatur, vel potius Iovi Euphamio, quem idem Hesychius commemorat, accurate respondere facile concedes, cum *Δία Βουλέα*[5] atque *Εὐβουλέα* unum et eundem esse deum in memoriam revocaveris. Haec numina non minus quam *Δία Βουλέα* aut *Εὐβουλέα*[6] i. e. Ditem patrem per euphemismum dici manifestum est.

---

[1] Dittenb. S. I. G. n. 373.

[2] cf. Trach. v. 754.

[3] cf. Gerhard, Mythol. § 311, 1^d.

[4] *Ἀποτρόπαιος* Iovis epitheton exstat etiam in Anonymi Laurentiani Deorum Epithetis, quae Guilelmus Studemund edidit in Anecdotorum Variorum volumine I.

[5] cf. Dittenb. S. I. G. n. 373 v. 17.

[6] cf. p. 39.

12) Ἥρα Τελεία. Cf. Paus. VIII 22, 2: Ἐν δὲ τῇ Στυμφήλῳ (quae est urbs Arcadiae) τῇ ἀρχαίᾳ Τήμενόν φασιν οἰκῆσαι τὸν Πελασγοῦ καὶ Ἥραν ὑπὸ τοῦ Τημένου τραφῆναι τούτου καὶ αὐτὸν ἱερὰ τῇ θεῷ τρία ἱδρύσασθαι καὶ ἐπικλήσεις τρεῖς ἐπ' αὐτῇ θέσθαι, παρθένῳ μὲν ἔτι οὔσῃ Παιδί, γημαμένην δὲ τῷ Διὶ ἐκάλεσεν αὐτὴν Τελείαν, διενεχθεῖσαν δὲ ἐφ' ὅτῳ δὴ ἐς τὸν Δία καὶ ἐπανήκουσαν ἐς τὴν Στύμφηλον ὠνόμασεν ὁ Τήμενος Χήραν. Τάδε μὲν ὑπὸ Στυμφηλίων λεγόμενα οἶδα ἐς τὴν θεόν. Iunoni Teleae et in Coccyge[1] monte Arcadiae et Plataeis[2] templum fuisse constat. Denique cf. Aristoph. Thesm. v. 976 et scholiastae adnotationem.

13) Πυθόχρηστοι ei dei sunt, quibus sacra institui Apollo Pythius iussit. Cuius generis commemorantur Venus v. 75. 160, Ceres eiusque filia v. 98, Bacchus v. 145, deus, cuius nomen incertum est, v. 2. Haud aliter Athenis Apolline Pythio iubente Aesculapii templum institutum esse videtur.[3]

14) Ἀγαθὴ Τύχη.[4] De Bona Fortuna cf. C. I. G. n. 371. 1950; C. I. A. II n. 162, 20. 741 etc. Huius igitur deae non solum in formula illa notissima mentio fit, sed etiam ara et victimis cum alii tum Athenienses eam coluerunt. De Erythraeorum Bona Fortuna cf. Le Bas-Waddington As. min. n. 55.

---

[1] cf. Müller, H. G. II p. 190.
[2] cf. Paus. IX 2, 5.
[3] cf. Dittenb. S. I. G. n 368.
[4] cf. Gerhard, Mythol. § 156, 2; § 294, 4[a].

B.

TITULI.

I a.

Ν]ικομάχου τοῦ θυ[οσκόου?

— — ὁ πριάμενος τὰν ἱερωτε[ίαν τῶν
θεῶ]ν τῶν δυώδεκα ἱερωτεύσει ἐ[πὶ ζωᾶς
ἐν]δασόμενος τῶν θυομένων πάν[των τ-
ὰ] δέρματα καὶ τὰς κωλέας ὅσα κα τ[οὶ
Ἱε]ρῶται θύωντι τοῖς δυώδεκα θεοῖς ἐν τ[ού-
τωι τῶι Νικομαχείωι· ποταγόντω δὲ τ[οὶ ἱε-
ρεῖς τοὶ] ἑκαστάκι γινόμενοι τὰ ἱερεῖα, ἅ κ[α δέη
ι σφά]ζειν, ποτὶ τὸν βωμὸν τῶν θε[ῶν
τῶν δυώ]δεκα καὶ ποιούντω τὰν θυσίαν·
αἰ δέ κα [μὴ] ποτά[γωντι

I b.

. . . . ειδιδ . .
. . . . στρατείας καὶ αι . . . . .
. . . . αν ἄν κα μὴ αὐτὸς θέ[λῃ . . . .
. . . τοῦ] ἐπικεφαλαίου τέλεος τοῦ ι . . . . . .
. . . . ιον. στε[φ]ανα[φ]ορείτω δὲ τὰς ἐρ[ότ-
ια]ς καὶ ἐπὶ τὰ δεῖπνα φοιτήτω τὰ δ[αμό-
σια]. χρηείσθω δὲ καὶ τῶι περὶ τὸ ἱερὸ[ν χώ-
ρωι] τῶι δαμοσίωι, ὅτι κα θέλῃ, ὅτι κα [μὴ
ἁ πό]λις κατασκευάξῃ· ὠνείσθω δὲ ὅς [κα ᾖι
ὁλ]όκλαρος καὶ ὧι δαμοσιοργίας [μέτε-
στι· ἐ]ξέστω δὲ καὶ [π]αιδὶ ὠνεῖσθαι, ἄ[λλ-
ωι] δὲ μηθενὶ ἐξέστω τὰν ἱερωτεία[ν ἢ ἑα-
υτ]ῶι· ὅς δέ κ[α] εἴπῃ ἢ προαισιμνάσῃ [ἢ πρ-
οθῇ] ἢ ἐν δάμωι ἢ ἄλλει καὶ χ' ὁπειοῦν, [ὡς δεῖ
ἀφε]λέσθαι τὸν πριάμενον τὰν ἱερω[τείαν,
χιλ]ίας δραχμὰς ἀποτεισάτω ἱερὰ[ς τοῦ
Ἀσ]κλαπιοῦ· τᾶς δὲ τιμᾶς καταβαλεῖ [τὸ
ἥμι]σσον καὶ ἑκατοστὰν καὶ τριακο[στὰν

ἐν] τῶι Πεταγειτνίωι μηνὶ πρὸ τᾶς δε[κάτας, τὸ δ]ὲ ἥμισσον ἐν τῶι Διονυσίωι πρὸ [τᾶς δεκάτα]ς. ἐπ[εὶ δ]έ κα τὰν τιμὰν πᾶσαν κα[ταβάλη]ι, ἀντεθησεῖται· τὸ δὲ ἀνάλωμα [τὸ ἐς τὰ]ν ἄνθεσιν παρέξει αὐτὸς ἑαυτῶι. [κοσμεῖν] δὲ τὸν ἱερῆ τὸν ναὸν κατ' ἀμέ[ραν. ἐπιμέ]λεσθαι δὲ αὐτὸν καὶ τᾶς στοιᾶ[ς τᾶς πο]τ τῶι Ἀσκλαπιείωι, ὅπως καθαρ[ὰ ἦι. τᾶ]ς δὲ ποθόδου ἄρξει μεὶς Μαχανε[ύς. τιμ]ὰ ἱερωτείας σὺν ἑκατοστᾶι κ[αὶ τριακο]στᾶι δραχμαὶ πεντακισχίλιαι [. . . . κον]τα ὀκτώ, τέτορες ὀβολοί. ἐπρία[το . . . .]τρις Μηνίου.

II.

. . . . ὁ πριάμενος τὴν ἱερωσύνην τῶ]ν μυστῶν θεῶν τῶν ἐν Σαμοθρά]κηι ἱερήσεται διὰ βίο[υ, καὶ Ἀπατου]ρεῶνος ἑβδόμηι παρ[έξει τὸ πέμμ]α σχίξας καὶ ἐγχέει [τὸ ποτὸν τοῖ]ς μύσταις καὶ πομπε[υθήσεται πα]ρ' αὐτοῦ· στεφανωθήσεται δὲ παρὰ] τῶν μυστῶν φιλοτιμίας ἕνεκε]ν τῆς εἰς ἑαυτούς, ἐν ἧι ἱερᾶται ἡμέραι· συνθύσει δὲ καὶ τοὺς λιβάνους ἐμ πάσαις ταῖς συνόδοις μετὰ τοῦ προϋπάρχοντος ἱερέω(ς) τῶν μυστῶν καὶ οἷς ἐπιβάλλει ἐκ τοῦ νόμου· ὑπάρχειν δὲ αὐτῶι τὸν στέφανον εἰς τὸ κατ . . . . ον· ἐπρίατο τὴν ἱερωσύνην Τίμ[αιος Στράτωνος χρυσῶν ἑπτά, χαλ[κῶν ἑξήκοντα, οὓς ἔδωκε παραχρ[ῆμα.

III.

Ἐπὶ ν]εωποιοῦ Χαρμύ(λ)ου (τ)οῦ Διαγόρου, μηνὸς Ἡρα(κλ)[ε]ίου, πρυτανείας τῆς μετὰ Μενεκλεῦς τοῦ Φορμίωνος,

γρ](α)μματεύοντος Διοδότου τοῦ Ἡλ(ι)ονίκου, ἔ[δ]οξε (τῆι) βουλ]ῆι καὶ τῶι δάμωι, γνώμηι πρυτάνεων· [ὁ] πριάμ(ε)νος τ]ὴν ἱερητείαν τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Περ(γα)ίας παρ]έξετα(ι ἱ)έρειαν ἀστὴν ἐξ ἀστῶν ἀμφοτέρων ἐπὶ τ]ρεῖς γενεὰς γεγενημένην καὶ πρὸς πατρὸς καὶ πρὸς μητρός, ἡ δὲ πριαμένη ἱεράσεται ἐπὶ (ζ)ωῆς τῆς αὐτῆ[ς καὶ θύσει τὰ ἱερὰ τὰ δημο[τελέ]α καὶ τὰ ἰδιωτικά, καὶ λήψεται τῶν θυομένων δημοσίαι ἀ(φ') ἑκάστου ἱερείου κωλῆν καὶ τὰ ἐπὶ κωλῆι νεμόμενα καὶ τεταρτημο(ρ)ίδα σπλάγχνων καὶ τὰ δέρματα, τῶν δὲ ἰ(δ)ιωτι(κ)ῶν λήψεται κωλῆν καὶ τὰ ἐπὶ κωλῆι νεμόμενα καὶ τεταρτημορίδα σπλάγχνων. τοὺς δὲ ταμίας διδόναι τοῖς πρυτάνεσιν εἰς τὴν θυσίαν τῆς Ἀρτέμιδος ἐντελε(ῖ)ς δραχμὰς τριάκοντα. παρασκευάζειν δὲ τὴν (θ)υσίαν τὰς γυναῖκας τὰς τῶν πρυτάνεων, λαβούσας τὸ ἐκ (τ)ῆς π(όλ)εως διδόμενον, τῶν πρυτανευόντ(ω)ν τὸμ μῆνα τὸν Ἡράκλειον. τὴν δὲ θυσίαν συντε(λ)είτω μηνὸς Ἡρακλείου δωδεκάτηι. ἔστω δὲ (ἡ ἱ)έρεια ἰσόμοιρος (κα)ὶ ταῖς γυναιξὶν τῶν πρυτάνεων τῶν θυομένων δημοσίαι. ποιείσθω δὲ ἡ ἱέρεια καθ' ἑκάστην νουμηνίαν ἐπικουρίαν ὑπὲρ πόλεως, λαμβάνουσα δραχμὴν παρὰ τῆς πόλεως. ἐν (ὧι δ)ὲ μηνὶ ἡ θυσία σ]υντελεῖται ἡ δημοτελής, ἀγειρέτω πρὸ νήσου κ]α[θ'] ἡμέρας τρεῖς ἐπ' οἰκίαν μὴ πορευομένη. ὁ δὲ ἀγερμὸς ἔστω τῆς ἱερείας, κατ(α)σκευᾶτα(ι) δὲ ἡ ἱέρεια καὶ τὸ ἱερόν, οὗ ἂν βούληται· κατασκευασάτω δὲ καὶ θησαυρὸν τῆι (θ)εῶι, ἐν(β)αλ(λ)έτωσαν δὲ ο[ἱ θύοντ(ε)ς ἐπὶ μὲν τῶ(ι) τελείωι ὀβολοὺς δύο, ἐπὶ δὲ γαλαθ(η)νῶι ὀβολόν· ἀνοιγόντων δὲ οἱ ἐξετασταὶ κατ' ἐνιαυτ(ὸ)ν τὸν θησαυρὸν καὶ δι(δ)ό[ντων τῆ(ι) ἱερείαι εἴς τε τὴν ἐπικουρίαν [καὶ . . . . .]ματισμὸν καὶ εἰς ἱματισμὸν καὶ . . . ο . . .

IV

a

. . . . ογέ[νη]ς [. . . . .
. . . . . Πυθ]οχρήστου ϱ' . . . . .

. . . . . . Ἑρμησίλεως Μέντο[ρος, ἐγγυ-
ητὴς Δημή]τριος Ἀπελλίου. Ἀφροδ[ίτης . . . .
. . . . .] ρλ', ἐπώνιον ε', Ἀ[. . . . .
. . . . . δ]ώρου, ἐγγυητὴς Βακχύλος
. . . . Διοσκόρων νε', ἐπώνι[ον ι'.,
. . . . . . Ἡ]νιόχου, ἐγγυητὴς Μητρᾶς Μ[. . . . .
. . . ἥδ]ε ἐπεπράθη· Ἑστίας Τεμενίας [. . . . .
. . . ἐπ]ώνιον ι', Ἀντίπατρος Ἀπολλοδώ[ρου, ἐγγυ-
ητὴς] Πρηξᾶς Εὐβούλου καὶ ἐπεπράθη . . . .
. . . . . ἐπώνιον ε', Ἡράκλεος Ἀντιπάτρο[υ,
ἐγγυητ]ὴς Ἐπίκουρος Στεφάνου. διασ[υστά-
σεις ἱ]ερητειῶν ἐφ' ἱεροποιοῦ Φανοτίμο[υ
μηνὸς . . . . . .]νος· Δαμασίστρατος Ἑκατωνύμου
Ἑκατων]ύμωι Δαμασιστράτου διασυνέσ-
τησεν ἱ]ερητείαν, ἣν ἐπηγοράκει ἐπὶ Δ . . .
. . . . . . Βάκχωνος ἐφ' ἱεροποιοῦ Πυθοκρίτου,
Ἀπό]λλωνος Καυκασέως καὶ Ἀρτέμιδος Καυ-
κασί]δος καὶ Ἀπόλλωνος Λυκείου καὶ Ἀπόλ-
λω]νος Δηλίου καὶ ποταμοῦ Ἀλέοντος
σ]κε', ἐπώνιον ι', ἐγγυητὴς Ἐπίπτω-
το]ς Καλλιστράτου. ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἑρμο-
κλ]είτου, μηνὸς Ληναιῶνος, αἵδε ἐπεπρά-
θησ]αν ἱερητεῖαι ἐπ' ἐξεταστῶν τῶμ μ[ε-
τὰ Ὑ]ψικλείους καὶ Θευδότου· Ζηνὸς
Φη]μίου καὶ Ἀθηνᾶς Φημίας ρμ', ἐπ[ώ-
νιο]ν ε', Πολυπείθης Φαννοθέμιδος, ἐ[γ-
γυ]ητὴς Κρίτος Θευκρίτου. Ἀθηνᾶς Νίκη[ς
ρ]κ', ἐπώνιον ε', Δημήτριος Ἀριστάρχο[υ,
ἐγγ]υητὴς Τηλέμαχος Ἀθηνογένου. Ἀθ[η-
νᾶς Ἀρεί]ας ο', ἐπώνιον β', Πυθοκλῆς
Ἀκέσ]τευ, ἐγγυητὴς Ἱεροίτας Ἱερογένου.
Ἐνυ]οῦς καὶ Ἐνυαλίου ρκ', ἐπώνιον ε',
Πυθ]οκλῆς Ἀκέστευ, ἐγγυητὴς Ἱεροίτας Ἱερ[ο-
γέ]νου. Διασυστάσεις ἱερητειῶν ἐφ' ἱεροπο[ι-
οῦ] Φανοτίμου, μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος
τ]ρίτη ἐξιόντος· Ἰατροκλῆς Ἡρακλεώτου
Ἀρ]ιστείδηι Ἰατροκλείους διασυνέστη-
σε] τὴν ἱερωσύνην Ἀφροδίτης τῆς ἐ[ν

᾿Εμβ]άτωι, ἣν ἐπηγοράκει ἐπὶ Κηφισίωνι [τοῦ δεῖνος] ἐφ᾿ ἱεροποιοῦ Μήτρωνος, ͵βμ΄, ἐπώ]νιον μ΄, ἐγγυητὴς ᾿Ιατροκλῆς ῾Ηρακ]λεώτου. ἱερητεῖαι ἐπιπωληθεῖσ]αι ἐφ᾿ ἱεροποιοῦ ῾Ερμοστράτου, μηνὸ]ς Ποσιδεῶνος ὀγδόῃ ἐξιόντος· Δήμ]ητρος ἐγ Κολωναῖς ἑξα[κοσίων], ἐπώνιον δέκα, Μητρόδωρος τοῦ δεῖνος, ἐ]γγυητὴς [ὁ δεῖνα . . .

b

αἵδε ἐπράθησαν] ἱερ[η]τεῖ[αι ἐφ᾿ ἱεροποιοῦ τοῦ δεῖνος.....] ᾿Αχιλλέως, Θέτιδος, Νηρεΐδων..... ἐπώνιον......]αῖος ᾿Αλκιμάχου, ἐγγυητὴς ὁ δεῖνα.....]θέμιδος. αἵδε ἐπεπράθησα[ν· ....ἐπώνιον α΄, ᾿Αριστ[ῆ]ς ᾿Αριστε[ῦ, ἐγγυητὴς Θεόπομπος] Δ[η]μώ[ν]α[κτ]ος. Γῆς ι΄, ἐπώνιον [α΄, ὁ δεῖνα Φανν]ο[θ]έμιδος, ἐγ[γυη]τὴς ᾿Αναξίπολις ....᾿Αφρ]οδίτης Πανδήμου σ΄, ἐπώνιον [ι΄, ᾿Αριστῆ]ς ᾿Αριστεῦ, ἐγγυητὴς ᾿Αλέξανδρος ....῾Εστί]ας Τεμενίας ρε΄, ἐπώνιον ε΄, ῾Ιεροίτας ῾Ιέρω]νος, ἐγγυητὴς Δημήτριος ᾿Αριστάρχου. ᾿Αθηνᾶς] ᾿Επιμάχου σ΄, ἐπώνιον ι΄, Ξενόφιλος ......, ἐγγυητὴς Φιλιστῆς ῾Ερμώνακτος. αἵδε ἐπεπράθη]σαν ἐφ᾿ ἱεροποιοῦ ᾿Επιγόνου· Δήμητρος ἐγ Κ[ολωναῖς] ͵ατ΄, ἐπώνιον κ΄, Τρέφων Σίμου, ἐγγυητὴς] Ζῆνις Φιλίσκου. ῾Εστίης Βουλαίης ωλ΄, ἐπώ]νιον ι΄, Δημήτριος ᾿Απελλίου, ἐγγυητὴς ᾿Απολλώνιος] Ζωπύρου. ᾿Αβλαβιῶν ν΄, ἐπώνιον ι΄, Φιλίσκος Π]υθίκοντος, ἐγγυητὴς Ζηνόδοτος Μύτωνος. Διὸς ᾿Αποτροπαίου καὶ ᾿Αθηνᾶς ᾿Αποτροπαίας νβ΄, ἐπώνιον Ι-[Ι-, ᾿Αριστῆς ᾿Αριστεῦ, ἐγγυητὴς Θεόπομπος Δημώνακτο[ς. Δήμητρος καὶ Δήμητρος Κόρης ϛ΄, ἐπώνιον ε΄, ῾Εκατώνυμος Χρυσίππου, ἐγγυητὴς ῾Εκατᾶς Γνώτου. Διονύσου π΄, ἐπώνιον β΄, Θεύξενος Θρασυμ[άχου, ἐγγυητὴς Πρύτανις Εἰρηνάδος. ᾿Αφροδίτης Πυθοχρήστου τ΄, ἐπώνιον ι΄, ῾Ηρακλεώτης ῾Η[ρο·

σιῶντος. Ἀχιλλέως, Θέτιδος, Νηρεΐδων, π', ἐπώ[νιον ⊢[⊢], Κ[τη]σικράτης Ἐπιγένου, ἐγγυητὴς Ἀθην[ίων? Ζωπυρίωνος. Ἀπόλλωνος ἐγ Κοίλοις ϑ', ἐπ[ώνιον ι', Πύθερμος Ἀριστάρχου, ἐγγυητὴς Ἡρόδοτος Εὐπαθίδου. Ποσειδῶνος Φυτα⟨ι⟩λμίου ρλϛ', ἐπώνιον [ε'], Ἐπίγονος Ἀστυκράτευ, ἐγγυητὴς Κρ[ατίδημος Παρμενιτάδος. Κόρης Σωτείρης νβ', ἐπώνιον ι', Χάρης Χάρητος. Μητρὸς Μεγάλης νπ', ἐπώνιον ι', Μολίων Διονυσίου, ἐγγυητὴς Φανόπολις Μενεκλείους. αἵδε ἐπεπωλήθησαν ἐ]π' Ἀ[γα]σικλείους· Ἡρακλέους ,αϡκα', Θ]εόφρων Δημητρίου, ἐγγυητὴς Ἑρμήσιος Ἑρμησιάνακτο[ς. Ἀγ]αθῆς Τύχης ρ', [Ἐ]λπήνωρ Ἀπολλωνίου, ἐγγυητὴ]ς Πατρεὺς Ἀπολλωνίου. Δήμητρος καὶ Κόρης Πυ]θοχρήστου σι', Ἑκατώνυμος Χρυσίππου, ἐγγυη]τὴς Ἑκατᾶς Γνώτου. ἥδε ἐπεπράθη ἐπὶ Θευδώρου τοῦ Μ]ήτρωνος. Ἑρμοῦ Ἀγοραίου ,δχι', ἐπώνιον μ', Μολίω[ν Δι]ονυσίου, ἐγγυητὴς Ἄρατος Μητροδώρου. αἵδε ἱερητεῖαι ἐπράθησαν ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἀπατουρίου, μηνὸς Ληναιῶνος. Κορυβάντων Εὐφρονιείων καὶ Θαλείων ἐπὶ Θάλεω Ἰσέως ἔτει]σεν Ἀντίπατρος Ἀγασικλείους χα', ἐπώνιον ι', ἐγγυητὴς Ἡρόδοτος Ἀρχέοντος. Τῶν Ἀνδρείων ἠγόρασεν Ἀριστοκλῆς Ἀδε[ιμάντου δραχμῶν ρπ', ἐπώνιον ε', ἐγγυητὴς Σώσιμος Ἀριστοκλείους. αἵδε ἐπεπράθησαν ἐφ' ἱεροποιοῦ Ἀπατουρίου, μηνὸς Ληναιῶνος· Ἀπόλλωνος Ἐναγωνίου σλ', ἐπώνιον ι', Σῖμος Ἀπολλωνίου, ἐγγυητὴς Βακχύλος Μητροδώρου. Ἑρμοῦ Ἀγοραίου ,δχ', ἐπώνιον μ', Μολίων Διονυσίου, ἐγγυητὴς Φανόπολις Μενεκλείους. Ἀπόλλωνος ἐν Σαβηρίδαις ρν', ἐπώνιον ε', Φαναγόρας Ἀπολλοδότου, ἐγγυητὴς Ἀπολλόδοτος Φαναγόρου. Κορυβάντων Θαλείων, Ἀνδρείων ροα', ἐπώνιον [ε', Ἡνίοχος Ἡνιόχου, ἐγγυητὴς Μητρόδωρος Μητροδώρου. Διὸς Ἐλε[υθ]ερίου, εἰ μὲν ἔστιν ἱερεύς, ἐπιπωλεῖται, εἰ δὲ μή ἐστιμ, πωλεῖται, ... , ἐπώνιον κ', Βακχύλος Μητροδώρου, ἐγγυητὴς Σῖμος Ἀπολλωνίου.

αἵδε ἱ]ερητεῖαι ἐπράθησαν ἐφ' ἱεροποιοῦ Ζηνοδότου,
μηνὸς Ληνʼ[αι-
ῶνος· Δι]ὸς Βασιλέως σλʹ, ἐπώνιον ιʹ, Μέδων Μέ[δον]τος,
ἐγ[γυ-
ητὴς Ἱ]ερογένης Ἡροδώρου. Βασιλέως Ἀλεξάν[δρου . . . . .
ἐπώνιον . . .]ΔΔ, Θεοφάνης Ἡροδότου, ἐγγυ[ητὴς . . . . . .
. . . .

c.

. . . . . ω . . . . . .
. . . . . . τος Κτησικράτου. Διὸ[ς
Ἀποτ]ροπαίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἀποτ[ρο-
παί]ας ρνʹ, ἐπώνιον εʹ, Καλλίας [Καλ-
λίο]υ νεώτερος, ἐγγυητὴς Μη[τρό-
δ]ωρος Διοφάντου.
αἵδε ἱερητεῖαι ἐπεπράθησαν ἐπὶ [ἱε-
ροποιοῦ Ἡρακλεώτου, μηνὸς Ληνα[ιῶ-
νος· Διοσκόρων Ἀστύνους Εὐθύ[νου
κ]αὶ ἐπίτροπος Νοσσὼ Σίμου καὶ κ[ύριος
Ν]οσσοῦς Θεόφρων Δημητρίου, ΗΗ . . ,
ἐπ]ώνιον ιʹ, ἐγγυητὴς Θεόφρων Δη[μη-
τ]ρίου. ἱερατέαι αἱ πραθεῖσ[αι
καὶ ἐπιπραθεῖσαι ἐπὶ ἱερο[ποιοῦ
Πυθέου· Ἥρας Τελείας φʹ,
ἐπώ(νιον) ιʹ, Διονυσόδωρος Ἀριστομ[ένου,
ἐγγυ(ητὴς) Διονύσιος Ἀριστομέν[ου.
Θεῶν Προκυκλίων υʹ, ἐπώ(νιον)[ιʹ,
Μενεκλῆς Φανοπόλιδος, ἐγγυ(ητὴς) Καλλία[ς
Κ]αλλίου. τῶν ἐπιπραθεισῶν·
Ἥρας Τελείας σναʹ, ἐπώ(νιον) ιʹ,
Φύ]λαρχος Αὐτονόμου, ἐγ(γυητὴς) Καλλίω[ν
Φ]υλάρχου. Θεῶν Προκυκλίων ρεʹ,
ἐ]πώ(νιον) εʹ, Μητρόδωρος Διοφάντου,
ἐγ]γυ(ητὴς) Καλλίας Καλλίου.
Ἀ]ρτέμιδ⟨ω⟩ος Φωσφόρου [ᐁ . . .
ἐπώ(νιον) . . .], Ζωπᾶς Ζωπάδος, ἐγγυ(ητὴς) Καλ[λίων
Φυ]λάρχου. Εἰρήνης φʹ, ἐπώ(νιον) ιʹ,
Διο]νύσιος Ἀριστομένου,

ἐγ]γυ(ητὴς) Διονυσόδωρος Ἀριστομένο[υ.
Ἑρ]μοῦ Πυλίου Ἁρματέως σο', ἐπ[ώ(νιον) ι',
Φύ]λαρχος Καλλίωνος, ἐγγυ(ητὴς) Καλλί[ων
Φ]υλάρχου. Διονύσου Πυθοχρήστου ρε',
ἐπώ(νιον) ε', Ἡγέμων Μητροφάνου, ἐγγ(υητὴς)
Παρμενίσκος Πυθεῦ. Διονύσου
Βακχέως ρ', ἐπώ(νιον) ε', Ἀγασικλῆς
Ζωπύρου, ἐγγυ(ητὴς) Ἀριστοκλῆς Ἀδημᾶ.
Ἀρισταγόρη Διονυσοδώρου με[τὰ τοῦ
παιδὸς Διονυσοδώρου τοῦ Ἀρισ[το-
μένου κληρονόμος οὖσα τ[ῶν
Ἀριστομένου τοῦ Μητροδ[ώ-
⟨εκεν τὴγ γυναικείαν ἤγορα⟩
ρου κατὰ διαθήκην διασυνίσ-
⟨σ⟩τησιν ἱερητείαν, ἣν ἠγόρα-
σεν Ἀριστομένης Μητρο[δώ-
ρ]ου ἐπὶ ἱεροποιοῦ Ἡγησαγόρ[ου,
μηνὸς Ληναιῶνος τριακάδι,
Ἀφροδείτης Πυθοχρήστο[υ,
δ]ραχμῶν ρλ' καὶ ἐπωνίου [ε',
Ἀ]πολλωνίωι Ἀριστομένου,
ἐγ]γυητὴς Ἀπολλωνίου
Δι]ονυσόδωρος Ἀριστομένο[υ.
ἐ]γγύ(α)ι ἱερητειῶν τῶν πραθεισ[ῶν?

V a.

συλε | ευαν . . μενο | ι ειασησειχενπρο |
δουλον . . . . . . οσυνηνδ || επιλιμε . . . . καιτοκ | ουσασοικα
θισταμενοιιερειστ . . ο . . . l | καιτησκαρπειαστονκη . . . . |
ντοεκτησμισθωσεωσλημυσταιαποτον | υπαρατουμεμισθωμενουτην
ιερωσυνην || αφοραντηιβουληκαιοιο . εθαδιυδαβειναυγ | σθαι δοκει
τηιβουληιεπιτελεισθαιτα | ε¯ενημηνπροσαναφορανυποτωνστρατ |
προδεδηλωμενοσ α . . ουθ . πραττων | αικαλοκαγαθιαι διακειται
προστονδηl || καιγενομενοσμεν ιερευστου | ν . . αρχοντοσενιαυτου
καιθυσασ | ω . . ριασπαντωντων κατοικουντωντην | ο . . τουστε
πολιτασκαι . αιοικουσκωιαπ | υντασξενουσ ομοιωσδεκαιτουσελευ ||

δεκαιγραμματευσβουλησκαιδημο | ενιαυτονηρξενκαλοσκαιενδοξο |
‾τωνδημοσιωνγραμματωνκαιτ | ιηγησενδεπαρεαυτουκαιταεικ | ναγρ
αφηντωνχρηματιζομεν || τοντηνεαυτουμεγαλομερειανε | εδημοθοινη
σεντουστεπολιτ | τουσπαρεπιδημουντασξενουσ | θερουσπαιδασεκα
λεσενεπισπ | μη . . ο . γ

V b.

αισυν | ρειαν μει | ργασιασησειχενπρο | δουλ . . . . . ηνιε
ρωσυνηνην || . . . . . επιλιμενι . . . . . . ειταικαιταχ | . ουσασοικαθιστα
μενοιιερεισημιων κα | δικαιτησκαρπειαστωνκηπων . . . . ην | ντοεκ
τησμισθωσεωσδημι . . ταιδετον | . υπαρατουμεμισθωμένου τηνιερω
συνην || . αφορυντηιβουληικαιοιομεθαδιαλαβειν | . σται δοκειτηιβου
ληι . ἐπιτελεισθαιτα | εγενημενηνπροσανα . . . εαννπο | προδεδηλω
μενοσ ακολουθαπραττων | ικαλοκαγαθια διακειταιπροστονδημ ||
. ιρω καιγενομενοσμενιερευστον | . . . . αρχοντοσενιαυτονκαιθυσαστοισ
| . . . ριασπαντωντωνκατοικουντωντην | . . . τουστεπολιτασκαιπαροι
κουσκαιαπ | υντασξενουσ ομοιωσδ . . α . . ουσελευ || . . δεκαιγραμ
ματευσβουλησκαιδημο | . ενιαυτονηρξενκαλωσκαιενδοξω | . . τονδημο
σιωνγραμματωνκαιτ | ορηγησινδεπαρεαυτουκαιτα | ναναγραφηντων
χρηματιζομεν || . ιοντηνεαυτουμεγαλομερειανε | εδημοθοινησεν
τουστεπολιτ | τουσπαρεπιδημουντασξενουσ | τουσπα . . ασεκαλε . . εν
ε . . .

C.

INDEX DEORUM:

I) QUI IN ERYTHRAEO TITULO, II) QUI IN CETERIS TITULIS EXSTANT.

I.

II.

D.

INDEX ERYTHRAEORUM,

QUORUM IN TITULO IV MENTIO FIT.

Corrigenda.

V. 5 p. 14 pro 'ἀκμαῖα aut ἔκκριτα' lege 'ἃ κ[α δέη'.

ARGUMENTUM.

A.

B.

DE

MODORUM TEMPORUMQUE

IN ENUNTIATIS CONDICIONALIBUS LATINIS

PERMUTATIONE

QUAESTIONES SELECTAE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICUS BLASE

RHENANUS

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER

MDCCCLXXXV

Darmstadtii typis G. Otto.

Quaestionem de enuntiatis condicionalibus latinis cum multi aggressi sint homines docti, multum abest, ut quisquam ad finem perduxerit. Nam neque enallages doctrina, qua olim ad quasdam syntaxeos formas explicandas grammatici abuti solebant, nostra aetate omnium consensu reicitur, neque dubitatur linguae latinae proprietates ex graeca explicare; quamquam in dies augetur eorum numerus, quibus persuasum est linguas graecam et latinam inde ab antiquissimis temporibus coepisse alteram ab altera adeo secedere, ut syntaxeos diversissima ratio evaderet. Atque multum contulit, ut in errore versarentur grammatici, eorum doctrina, qui Godofredi Hermann umeris innixi scriptorum sermonem logicae quae dicitur doctrinae legibus metiendum esse contenderunt.

Adde quod, cum eandem omnibus temporibus fuisse formarum indolem neque quicquam mutatum esse opinarentur, sic fere plerique olim inquisiverunt in leges grammaticas, ut nullam aut aetatis qua scripsisset auctor aut generis orationis quod amasset rationem haberent.

Verum postquam cognitum est, quantum intercedat discriminis inter syntaxin Plautinam et Ciceronianam, de unius Plauti enuntiatis condicionalibus primus disseruit Rothheimer [1] accurateque singulorum generum exempla congessit. Tamen ne quaestionem absolveret, impedimento fuit, quod Ciceronianae elocutionis sedulo comparandae rationem non habuit. Ac ne is quidem, qui cum hunc tum Ussingium vituperans, quod congestae potius quam digestae variae enuntiatorum formae

[1] Rothheimer, de enuntiatis condicionalibus Plautinis. Diss. Gotting. 1874.

ab illis essent, novissimus de ea re disputavit, Petrus Langen [1] rem confecisse et causas discriminum recte videtur cognovisse.

Quae cum ita sint, nos denuo quaestionem ita instituere conamur, ut Ciceronis elocutione, quae quidem selectis quas Carolus Halm commentariis instruxit orationibus illustretur, diligenter cum Plautina comparata primum quaeramus de vi coniunctivorum in enuntiatis condicionalibus, deinde de eis enuntiatis, quorum in protasi coniunctivus, in apodosi indicativus legitur.

Orationes autem illae Halmianae, si ordinem annorum, quibus a Cicerone habitae sunt, respexeris, hae sunt: oratio pro Sex. Roscio Amerino, in Q. Caecilium, accusationis in Verrem libri IV et V, oratio de imperio Cn. Pompei, in Catilinam orationes quattuor, oratio pro L. Murena, pro P. Sulla, pro Archia poëta, pro P. Sestio, pro Milone, pro Q. Ligario, pro rege Deiotaro, in M. Antonium orationes Philippicae I et II.

CAPUT I.

PRAESENTIS, IMPERFECTI, PERFECTI, PLUSQUAMPERFECTI CONIUNCTIVI QUAM HABEANT VIM IN ENUNTIATIS CONDICIONALIBUS.

§ 1.

In enuntiatis et primario et secundario coniunctivus imperfecti vicies novies apud Plautum legitur (cf. Rothheimer l. c. p. 39 sq.), si a versu Truc. 363 recesseris, quoniam, utrum Ambrosiani an Palatinorum memoria hoc loco probanda sit, adhuc incertum est. Ex illis tria ita comparata sunt, ut coniunctivus vim praeteriti in utroque enuntiato prae se ferat:

---

[1] P. Langen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus. Lipsiae 1880. p. 43 sqq.

1) Aul. 741 *Quid vis fieri? factumst illud: fieri infectum non potest.*
Deos credo voluisse: nam ni vellent, non fieret scio.

2) Aul. 439 *Ibi ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses,*
Non fissile auferres caput: merito id tibi factumst.
auferres Goetz; *haberes* codd.

3) Asin. 677 *Furcifer, etiam me delusisti? ::*
Numquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.

E perfecto *delusisti* quod antecedit efficitur praeteriti notionem inesse in formis *facerem* et *fricares.* Ac nequis credat voce *numquam* hanc infringi interpretationem, conferatur

Merc. 993 *Si hercle scivissem sive adeo ioculo dixisset mihi*
Se illam amare, numquam facerem ut illam amanti abducerem.

Praeteriti notio in apodosi perspicua est; in protasi utrum notio praeteriti sit intellegenda necne, non satis certo cognoscitur:

Amph. 525 *Ea tibi omnia enarravi: nisi te amarem plurumum,*
Non facerem.

Bacch. 916 *Nam ni illic hodie forte fortuna hic foret,*
Miles Mnesilochum cum uxore opprimeret sua
Atque obtruncaret moechum manufestarium.

Cas. III 2. 25 *Verum autem altrovorsum quom eam mecum rationem puto,*
Si quid eius esset, esset mecum postulatio.

alterovorsum et *quo* in priore versu male A [teste Studemundo]. (apodoseos sententia nostra lingua est haec: *sie hätte sich mit mir darüber auseinandergesetzt*).

Poen. 691 *Quid ita? :: Quia a muscis si mi hospitium quaererem,*
Adveniens irem in carcerem recta via.

Trin. 113 *Mihi commendavit virginem gnatam suam*
Et rem suam omnem et illum corrumptum filium.
Haec, si mi inimicus esset, credo haud crederet.

Trin. 957 *Mihi⟨n⟩ concrederet, ni me ille et ego illum novissem adprobe?*

Hunc versum, cum *novissem* forma imperfecti vicem obtineat, Rothheimerum secutus hoc loco enumeravi.

Sed etiam alios locos si accuratius examinaverimus, in eam suspicionem adducemur, ut vim praeteriti coniunctivo subesse putemus. Velut legimus

Pers. 44 *Quaesivi: nusquam repperi. :: Quaeram equidem, siquis credat.*
:: Nempe habes in mundo. :: Si id domi esset mihi, iam pollicerer.

ab eo BC, *ab eo* D, *habes* Pius et Langen l. c. pag. 129. Cum ex sententiarum conexu tum ex enuntiato *quaeram, si quis credat* facile perspicitur nostra lingua hos versus sic interpretandos esse: *wenn ich das Geld hätte, hätte ich es dir schon längst versprochen.* Hoc autem cum loco conferatur necesse est

Ep. 116 *Si hercle haberem, ⟨pollicerer⟩. :: Nam quid te igitur retulit*
Beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuomst?

Ut et sententiae et metro satisfacerent, in priore versu Camerarius *non negarem*, Mueller (Plautinische Prosodie p. 257 adn.) *pollicerer* suppleverunt. Goetz vero haec adnotavit: *In* B *STRATIPPOCES post haberem scriptum est a rubricatore, quod lacunae esse signum videtur.* Inde arridet mihi haec versus restitutio:

Si hercle haberem — :: Polliceres. Nam quid te igitur retulit etc.

Nam *polliceres* forma activa, nisi malis *pollicerer* formam ex animo amici dictam Stratippocli tribuere, legitur apud Varr. sat. Men. 41; et fieri poterat, ut librarius extremam partem nominis Stratippoclis litteris POLLICERES male lectis in archetypo vel prope evanidis contineri opinaretur. Plerumque enim Stratippoclis nomen STRA litteris notari solet in Camerarii 'codice vetere', hoc loco praeter consuetudinem plenis litteris perscriptum est, nisi quod littera L neglegentia librarii omissa est.

Quid, quod egregie convenit ad animum turbulentum et cupidum Stratippoclis, quod sententia amici e protasi cognita orationem interrumpit nec perorare eum sinit? Eodem modo v. 128 Epidici servi salutationem intercipiens a poëta fingitur.

Alia est versus Bacch. 635 indoles, qui in libris Palatinis sic fere legitur: *Si mihi est, non pollicear. :: Scio, dares: novi.* At probata Camerarii correctione *sit* pro *est* scribentis et repudiata, quippe quae e proximo versu irrepserit, negationis particula non male sic versum restituisse videtur A. Spengel in libro qui inscribitur: 'T. M. Plautus etc.' p. 160:

Si mihi sit, pollicear. :: Scio, dares: novi.

Ubi cum valde incerta sit metri restitutio, Palatinorum memoria nisus *dares* formam retinere malo quam eidem Spengelio obsequi, qui nuper [1] nec 'veteris codicis' versuum distributione servata et *dares* forma in *des* mutata anapaesticis numeris hunc locum discripsit.

Pistoclerus igitur sincera amicitia ductus captusque infelicis amici condicionis misericordia, quo nondum abiciendam esse spem pecuniae adipiscendae exprimat, coniunctivo praesentis eodemque ad futurum tempus spectante utitur. Inde alter cum et propensum amici in se studium persentiscat et ipse desperet mutuam pecuniam se accepturum esse, respondet: *Scio, dares* = *du hättest es mir gegeben.*

Neque absonum est versus As. 392 et Pseud. 640 comparare. Altero enim loco mercator brevissime rogat, ut cum domino colloqui sibi liceat. Cui servus respondet: *Si sit domi, dicam tibi.* Altero loco Harpax, priusquam, ut dominum evocet servus insidiosus, rogat, longa illius altercatione producitur. Deinde morae impatiens servum his compellat verbis:

Verba multa facimus. erus si tuos domist, quin provocas,
Ut id agam, quod missus huc sum, quicquid est nomen tibi?

---

[1] Spengel, Reformvorschläge zur Metrik der lyrischen Versarten bei Plautus und den übrigen lateinischen Scenikern. Berolini 1882, p. 341.

Respondet servus: *Si intus esset, evocarem* i. e. 'si intus esset, iam dudum eum evocassem'.

Ac nescio an nullum eiusmodi exemplum apud Plautum inveniatur, quin statui possit imperfectum coniunctivi in apodosi aliquo modo spectare ad actionem praeteritam.

Sed his, de quibus modo diximus, exemplis omissis novies (vel decies; cf. Bacch. 486 infra initio paragraphi 2) videmus legi coniunctivum impf. ita, ut perspicua sit praeteriti notio sive in utraque parte enuntiati sive in apodosi. Vicies autem sic leguntur coniunctivi, ut temporis praesentis significatio aut appareat, aut, utrum praesentis an praeteriti vis insit, diiudicari non possit.

§ 2.

Iam ea perlustremus enuntiata condicionalia, quorum in protasi imperfecti, in apodosi plusquamperfecti coniunctivus legitur. Ex his praeteriti notionem in imperfecto prae se ferunt haec:

Bacch. 486 *Quid opust verbis? si opperiri vellem paulisper modo,*
Ut opino illius inspectandi mi esset maior copia,
Plus vidissem, quam deceret, quam me atque illo aequom foret.

v. 487 *ut opino illius* Weise; *ut illi illius* Ritschl; *ut opinor illius* codd. v. 488 *uidissem* Palatini; sed *uiderem* Guyetus (probabiliter, conf. § 1) idque confirmat codicis A lectio Studemundiana UIDEEREM. Deinceps *quam deceret quam me atque illo* codd., *opinor quam me⟨d⟩ atque illo⟨c⟩* Ritschl, *⟨miser⟩, opinor, quam me atque illo* Fleckeisen.

Rud. 590 *Si invitare nos paulisper pergeret,*
Ibidem obdormissemus.

Stich. 742 *Morigerabor, meae deliciae: nam ita me Venus amoena amet,*
Ut ego huc iam dudum simitu exissem vobiscum foras,
Nisi me vobis exornarem.

Persa 172 *Nam equidém te iám sectór quintum húnc annúm, quom intérea, crédo,*
Ovis, si in ludum iret, pótuissét iam fieri ut próbe litterás scirét.

As. 396 *Conveni: sed post non redit? :: Non edepol. quid volebas? ::*
Argenti viginti minas, si adesset, accepisset.

Minus certa res est Men. 238 *Si acum, credo, quaereres,*
Acum invenisses, si appareret, iam diu.

Itaque cum duodecim (vel undecim) omnino apud Plautum huius modi exempla legantur (cf. Rothheimer l. c. p. 40), fere alterius partis coniunctivi praeteriti habent significationem, alterius ad praesens accedere videntur.

§ 3.

Coniunctivus imperfecti ad praeteritum tempus respicit saepius in iis quoque enuntiatis, quorum in protasi coniunctivus plusq., in apodosi coni. impf. positus est. Haec conferas velim exempla:

Curc. 700 *Nam si is valuisset, iam pridem, quoquo posset, mitteret.*

Bacch. 433 *⟨Ibi⟩ librum quom legeres, si unam peccavisses syllabam,*
Fieret corium tam maculosum quamst nutricis pallium.

Mil. 28 *Pol si quidem*
Conisus esses, per corium, per viscera
Perque os elephanti transmineret brachium.

transtineret Ritschl, *transmineret* e codice rescripto A et e vestigiis in Palatinis codd. relictis eruit Studemund in Hermae vol. I p. 293.

Merc. 993 *Si hercle scivissem sive adeo ioculo dixisset mihi*
Se illam amare, numquam facerem, ut illam amanti abducerem.

Capt. 871 *Igitur olim si advenissem, magis tu tum istuc diceres.*

Mil. 719 *Pol si habuissem, satis cepissem miseriarum ⟨e⟩ liberis.*
Continuo excruciarer animi: si ei forte fuisset febris,
Censerem emori: cecidissetue ebrius aut de equo uspiam,
Metuerem ne ibi diffregisset crura aut cervices sibi.

Bacch. 1207 *Hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adulescentia,*
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.

Bacch. 1209 *Neque adeo haec faceremus, ni antehac vidissemus fieri,*
Ut apud lenones rivales filiis fierent patres.

Rud. 1259 *Nam illic cum servo siquo congressus foret,*
Et ipsum sese et illum furti astringeret.
Dum praedam habere se censeret, interim
Praeda ipsus esset: praeda praedam duceret.

Cist. II 3, 81 *Nunc intellexi. :: Dis hercle habeo gratiam:*
Nam ni intellexes, numquam, credo, amitteres.

Quem locum recte interpretatus esse videtur Pareus his usus verbis: *Numquam dimisisses me occupatum et alio properantem.*

Eodem nescio an pertineant vv. Ep. 427 sqq.:

Ego si adlegassem aliquem hominem ad hoc negotium
Minus quam hunc doctum minusque ad hanc rem callidum,
Os sublitum esset itaque me albis dentibus
Meus derideret filius meritissumo; et

Trin. 566 *Licitumst, si velles: nunc quom nihil est, non licet. ::*
Quid tecum, Stasime? :: De istoc quod dixti modo:
Si ante voluisses, esses: nunc sero cupis.

Etenim priore loco ex eo quod praecedit plusquamperfecto *sublitum esset* facile conicitur *derideret* quoque ad tempus praeteritum spectare; in Trinummi autem v. 568 *esset*

cum vi praeteriti positum esse verisimile est comparato enuntiato: *licitumst, si velles,* cuius in protasi sine dubio praeteriti significatio inest.

Ceterum si ab his de quibus modo diximus locis recesseris, decies apud Plautum in eiusmodi enuntiatis exstare coniunctivum impf. cum significatione praeteriti statuimus, quindecies (cf. Rothheimer p. 41) sic leguntur coniunctivi, ut aut ad praesens tempus accedant aut, utrum hoc an illud spectent, diiudicari non possit.

Plusquamperfecti denique coniunctivus cum eiusdem temporis coniunctivo consociatus cum fere octies apud Plautum occurrat, septuaginta quattuor omnino inveniuntur enuntiata condicionalia eius generis, quod coniunctivum impf. aut plusq. in utraque parte positum habet. Itaque cum de 74 enuntiatis in 25 inesse imperfectum significatione temporis praeteriti praeditum statuerimus, sequitur, in centum eiusmodi exemplis, si modo legerentur apud Plautum, fere tricies semel nos lecturos esse coniunctivum impf. ad praeteritum tempus spectantem.

§ 4.

Iam vero antequam ad Plautinam elocutionem cum Ciceroniana comparandam pergamus, videndum est, qualis sit illa notio praeteriti coniunctivo imperfecti inhaerens et qua ratione aut differat a reliquis verbi formis, quae actionem praeteritam significant, aut comparari possit cum illis. Ac Draeger quidem (Historische Syntax II p. 693) coniunctivi illius indolem sic assecutus esse sibi visus est, ut, quotiescunque legeretur eiusmodi coniunctivus, repraesentationem quae dicitur fieri statueret temporis praeteriti. At deceptus est vir doctus ille et sibi ipse contrarius, quippe qui et p. 695 Cic. Verr. II 1 § 31 *si voluissem, vererer* his verbis interpretatus sit: *ich musste fürchten* et ad Liv. 33, 5, 2 *ut subiret, ni* etc. adnotaverit, nisi enuntiatum primarium *ut* coniunctionem sequeretur, auctori scribendum fuisse *subibat, ni* pro eo quod est *subiret, ni.* Neque ullo modo cogitari potest tempus praesens in iis enuntiatis, in quibus sive adverbio aliquo sive locutione aliqua ad praeteritum respiciente actio ad praeteritum

refertur. Atque ut omittam versus qui huc pertinere videntur Plautinos, conferantur hi loci e Ciceronis orationibus petiti:

p. Cluent. 29 § 80: *at tum si dicerem, non audirer.* p. Sest. 29 § 63: *atque ille, etiam si alia quapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac urbe, facile pateretur: etenim qui superiore anno senatu caruisset, quo si tum veniret, me tamen socium suorum in re publica consiliorum videre posset, is aequo animo . . . in hac urbe esse posset?*

Attamen multum abest, ut omnino repraesentationem illam actionis praeteritae fieri posse negem. Velut repraesentatio haud dubie agnoscenda videtur ad Att. II 21, 4: *et ut Apelles, si Venerem . . . . caeno oblitam videret, magnum, credo, acciperet dolorem, sic ego hunc . . . . non sine magno dolore vidi;* ac fortasse etiam p. Rosc. Am. 36 § 103: *Africanus, qui suo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret; nam illud in talem virum non audeo dicere: si diceret, non crederetur.*

Halmius quidem interpretatus est *diceret = hätte gesagt*, cum fieri aliquid posse in praeterito tempore significaretur; itemque in *diceret, crederetur* formis inesse potentialem qui vocatur praeteriti modum. Tamen equidem minus longe a vero abesse puto repraesentationis voce usus ad locum explicandum. Africani enim imago, quo nemo usquam Ciceronis quidem iudicio exstitit dignior quem imitarentur Romani, tam clara obversatur ante oculos oratoris tamque saepe ab eo eiusdem viri exemplum ad imitandum proponitur, ut, si nostro sermone ille uti potuisset, his, nisi fallor, verbis dicturus fuerit: *Africanus würde* (sc. *wenn er lebte*) *kein Zeugnis abgeben.*

Itaque licet repraesentationis doctrina omnino non utendum esse minime affirmemus, tamen a plurimorum locorum interpretatione eam prohibendam esse censeo.

Neque plus profecit Draeger ad illustrandum illum coniunctivi usum, cum diceret impf. coniunctivum esse positum pro coni. plusq.; quibus verbis nihil nisi grammaticorum veterum de formarum enallage doctrinam videtur recoxisse. Nec tamen defuerunt grammatici, qui propius accederent ad

genuinam coniunctivi significationem cognoscendam. Velut Cortius de loco Sall. Iug. 59, 3 disserens affirmavit coniunctivo significari, quid moris esset. Quod quam falsum sit, quamvis ex ipso illo Iugurthae loco satis appareat, tamen propinquum quodammodo esse coniunctivum indicativo impf. recte sensit vir doctus. Eius sententiam refellens Krueger[1] pluribus exposuit aliquotiens a scriptoribus imperfectum poni, non ut simpliciter condicio in tempus praeteritum reiceretur, quod factum esset coniunctivo plusq. posito, sed ut actionem in praeterito durare indicaretur. Eius vestigia secutus Kuehner[2] docuit coniunctivum impf. sic sociari cum coni. plusq., ut status in praeterito vel actio tum durans significaretur.

Verum ne plane coniunctivi sensum assequerentur homines docti, ea potissimum impedimento fuerunt, quae tum de indicativi impf. natura statui solebant. Nos rectius cum Wetzelio[3] facere videmur, qui Curtio[4] adstipulatus sumpsit imperfecto tempore simpliciter significari, fieri aliquid in tempore praeterito; nec tamen eam ab initio eius formae fuisse vim, ut actionem durantem vel repetitam exprimeret. Atque eadem est genuina coniunctivi temporis notio, quae servata est in iis enuntiatis condicionalibus, in quibus coniunctivus illa praeteriti temporis significatione praeditus cernitur.

§ 5.

Quoniam quantus sit numerus eorum de quibus diximus enuntiatorum condicionalium apud Plautum et quae praeteriti notio inhaereat coniunctivo impf. explicavimus, age videamus, quantum Ciceroniana consuetudo a Plautina distet. Atque in illis orationibus ab Halmio editis 212 enuntiata condicionalia insunt, quorum in utraque parte aut plusquamperfecti coniunctivus aut coni. impf. praesentis significationem redolens

---

[1] G. T. A. Krueger, Untersuchungen aus dem Gebiete der lat. Sprachlehre, fascic. II p. 212 sqq.

[2] Kuehner, Ausf. Gramm. der lat. Spr. II 2 § 215, 2 p. 929.

[3] Wetzel, Beiträge zur Lehre von der consec. temp. p. 20 sqq.

[4] G. Curtius, Das Verbum der griech. Sprache I p. 104 sqq.

legitur. Accuratius autem coniunctivorum in singulis enuntiatis vicissitudines illustrantur hac tabella. Legitur enim

coni.	impf.	in	protasi,	coni.	impf.	in	apodosi	78ies
„	„	„	„,	„	plusq.	„	„	15 „
„	plusq.	„	„,	„	impf.	„	„	52 „
„	„	„	„,	„	plusq.	„	„	67 „
								212ies.

Cum magno sane eiusmodi enuntiatorum numero 25 fere alterius generis exempla conferre licet, quorum aut in utraque parte aut in altera tantum parte coniunctivus impf. cum vi temporis praeteriti positus est. Itaque de centum exemplis nonaginta fere alterius, decem alterius generis sunt. Vel hoc uno calculo cum Plautinorum enuntiatorum enarratione comparato efficitur usum coniunctivi imperfecti notione praeteriti praediti satis late patuisse Plautina aetate, post Plautinam aetatem magis magisque evanuisse.

§ 6.

Verum esse quod contendimus magis etiam apparebit, si naturam eorum locorum, qui imperfectum praeteriti notione praeditum apud Ciceronem exhibent, accuratius perlustraverimus. Ex quibus haec fere seiungenda et inter se comparanda sunt exempla:

Rosc. Am. 34 § 97: *quae necessitas eum tanta premebat, ut, si sua sponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficisceretur, nullam partem noctis requiesceret?* Verr. V 8 § 18: *Apollonium, hominem locupletissimum, qui, si fugitivi bellum in Sicilia facerent, amplissimas fortunas amitteret, belli fugitivorum nomine indicta causa in vincla coniecit.* Verr. V 12 § 30: *Inter eius modi viros et mulieres adulta aetate filius versabatur, ut eum, etiamsi natura a parentis similitudine abriperet, consuetudo tamen ac disciplina patris similem esse cogeret.* Verr. V 34 § 89: *Erat enim sola illa navis constrata et ita magna, ut propugnaculo ceteris posset esse; quae, si in praedonum pugna versaretur, urbis instar habere inter illos piraticos myoparones videretur.* Lig. 7 § 21: *(Tubero) ita quidam agebat, ita rei publicae sanctissimum nomen opponebat, ut,*

etiamsi aliter s e n t i r e t, *verborum tamen ipsorum pondus sustinere non* p o s s e t. Phil. II 37 § 93: *Ubi est septiens miliens, quod est in tabulis, quae sunt ad Opis? funestae illius quidem pecuniae, sed tamen,* q u a e *nos, si iis, quorum erat, non* r e d d e r e t u r, *a tributis* p o s s e t *vindicare.*

In his enuntiatis, quorum ea est natura, ut apodosis pendeat ex coniunctione consecutiva vel ex pronomine relativo, cui consecutionis vis subest, fieri non potest nisi sensu prorsus mutato, ut pro imperfecto in apodosi substituatur plusquamperfectum. Hoc tum tantum suum habet locum in apodosi, si actio verbi, quod inest in apodosi, pertinet ad tempus antecedens tempori verbi eius enuntiati, cui enuntiatum condicionale subiectum est. Cf. Kuehner l. c. II p. 781 adn. 2 et Wetzel l. c. p. 2 sqq.

Quoniam recte legi imperfectum in apodosi docuimus, eidem formae in protasi plerumque locum esse consentaneum est. Etenim si plusquamperfecto in protasi uteremur, actio verbi quod protasi continetur ad priorem temporis statum referretur quam status est eius verbi quod apodosi continetur. Attamen is nexus duorum eiusmodi enuntiatorum solet esse, ut alterius tempus congruat cum tempore alterius. Contra ubi actio antecedens exprimenda est in protasi, plusqpf. legitur, velut p. Mil. 14 § 38: *potuitne illo die, cum est lata lex de me? cum totius Italiae concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam libens agnovisset,* u t, *etiamsi id Milo* f e c i s s e t, *cuncta civitas eam laudem pro sua* v i n d i c a r e t.

Eadem ratione leguntur impf. coniuntivi in protasi eorum enuntiatorum, quae in apodosi coniunctivum iussivum, qui dicitur, vel potentialem, vel deliberativum exhibent. Conferantur hi loci:

Verr. V 23 § 59: *ne tum quidem . . . Mamertinis navem imperare ausus es: quo tempore in tanta inopia navium tantaque calamitate provinciae, etiamsi precario* e s s e n t r o g a n d i, *tamen ab iis impetraretur.* Verr. V 65 § 168: *Adservasses hominem custodiis Mamertinorum tuorum, vinctum clausum habuisses, dum Panhormo Raecius veniret:* c o g n o s c e r e t *hominem, aliquid de summo supplicio* r e m i t t e r e s: *si* i g n o r a r e t, *tum, si ita tibi* v i d e r e t u r, *hoc iuris in omnes*

constitueres, ut, qui neque tibi notus esset, neque cognitorem locupletem daret, quamvis civis Romanus esset, in crucem tolleretur. Sest. 30 § 64: *Ecquae vox umquam est audita consulum? Quamquam quis audiret, si maxime queri vellent?*

Notio praesentis inest in imperfecto protaseos Sulla 8 § 25: *Ac si, iudices, ceteris patriciis me et vos peregrinos videri oporteret, a Torquato tamen hoc vitium sileretur.*

Coni. plusq. exstat in enuntiato secundario Lig. 9 § 28: *qui in eum locum veneras, ubi tibi esset pereundum, nisi vicisses.*

Tertium genus eorum est enuntiatorum condicionalium, quorum in apodosi plusq. coni., in protasi coni. impf., quales sunt *arbitrarer*, *putarer*, leguntur. Quod non sine causa accidisse videtur. Nam et raro utuntur Romani formis a participio perfecti pass. horum verborum derivatis et plerumque eum sensum in talibus enuntiatis inesse voluerunt, ut actio 'arbitrandi, putandi' non perfecta esse in praeterito diceretur. Iam conferantur hi loci:

Mur. 14 § 32: *quo ille, cum esset, ut ego mihi statuo, talis, qualem te esse video, numquam esset profectus, si cum mulierculis bellandum arbitraretur. Neque . . . rem publicam liberasset, nisi illud grave bellum et vehemens putaretur.* Verr. V 2 § 5: *a quo illi conatu non tanto opere prohibendi fuissent, si ulla in Sicilia praesidia ad illorum adventum opposita putarentur.* Arch. 7 § 16: *qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem litteris adiuvarentur, nunquam se ad earum studium contulissent.* Mil. 30 § 82: *Nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset, cum tantum in consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer?*

Reliquorum exemplorum similis est natura atque eorum, de quibus supra disseruimus, locorum. Nam coniunctivus in eis ita fere ponitur, ut congruat cum temporibus formarum verbi in longiore orationis ambitu vel antecedentium vel sebuentium. Itaque ne substitui quidem plerumque in locum

imperfecti plusquamperfectum potest nisi sententia prorsus mutata. Qua temporum collocatione et varia et concinna oratio efficitur. Id maxime ex locis his qui sequuntur elucebit:

Sest. 29 § 63: *Atque ille, etiamsi alia quapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac urbe, facile pateretur. Etenim qui superiore anno senatu caruisset, quo, si tum veniret, me tamen socium suorum in re publica consiliorum videre posset, is aequo animo tum, me expulso . . . in hac urbe esse posset?* Sest. 38 § 81: *si P. Sestius . . . occisus esset, fuistisne ad arma ituri? . . . an etiam tum quiesceretis, cunctaremini, timeretis . . .? cuius igitur mortem ulcisceremini, si quidem liberi esse et habere rem publicam cogitaretis, de eius virtute vivi quid vos loqui . . oporteat, dubitandum putatis?* Mil. 25 § 68: *Quod si locus Miloni datus esset, probasset profecto tibi ipsi. . . . Quae si non probaret, si tibi ita penitus inhaesisset suspicio . . . ne iste haud dubitans cessisset patria . . .; te, Magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facit.* Mil. 17 § 45: *At quo die! quo, ut ante dixi, fuit insanissima contio, ab ipsius mercennario tribuno plebis concitata: quem diem ille, quam contionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus adproperaret, numquam reliquisset.* Verr. V 51 § 133: *quod certe non fecisset, si suum numerum naves haberent . . .* Sest. 20 § 45: *Etenim si mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti hoc, iudices, accidisset, ut multi ex multis locis praedones classibus eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedidissent, si id vectores negarent ac mecum simul interire quam me tradere hostibus mallent, iecissem ipse me potius in profundum, ut ceteros conservarem, quam illos . . . in vitae discrimen adducerem.*

Carolus Halm ad hunc locum adnotavit haec:

Das Verhältnis dieser zweiten Protasis, welche (si id negarent) die nähere Bedingung, unter welcher die Folge eingetreten wäre, angiebt, lässt sich im Deutschen durch die Wendung 'im Falle dass' klar machen. Oft auch fahren wir in solchen Fällen in coordinierter Verbindung fort: 'und wenn dann'.

. Quod quamquam recte animadversum est, ne illud quidem neglegendum, imperfectum *negarent* congruere cum imperfecto *minitarentur*, plusq. *iecissem* respondere plusq. *accidisset.* [1]

---

[1] Simile quoddam loquendi genus apud Plautum invenitur. Aliquotiens enim cum apodosi duae protases ita coniunctae sunt, ut altera alteri quodam modo subiecta sit. Quod si evenit, in apodosi ind. futuri legitur, in protasi priore loco ind. futuri, altero loco ind. praesentis. Atque homines docti cum concinnitatem verborum requirerent, nonnumquam librorum scripturam mutaverunt vel metro cogente tempora commutata esse adnotaverunt. Cf. hi loci:

Capt. 683 *Si ego hic peribo, si ille, ut dixit, non redit,*
At erit mi hoc factum mortuo memorabile.

si ille Brix, *ast ille* codd.

Mil. 480 *Erus si veniet, si me quaerit, hic ero, hinc me arcessito.*

quaerit CD, *querit* B; *quaeret* Pylades, Brix, Lorenz.

Pseud. 143 *Nunc adeo hanc edictionem, nisi animum advortetis omnes,*
Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque amovetis,
Ita ego vostra latera loris faciam ut valide varia fiant,

ut valide varia fiant Hermannus; *ut valide varia sint* codd.; *valide varia uti sint* Ritschl. Adnotavit Lorenz metri necessitate coactum poëtam *amovetis* formam in versum arcessivisse.

Pseud. 373 *Nisi mihi hodie attulerit miles quinque quas debet minas,*
Sicut haec est praestituta summa ei argento dies:
Si id non adfert, posse opinor facere me officium meum.

hodie Ritschl et A^{st} (id est A teste Studemundo), omiserunt Palatini. *summa ei* Gruter et A^{st}, *summę* B, *summe* CD. *id non adfert* A^{st}, *is non aderit* Pall.; *me* A^{st}, omiserunt Palatini.

posse opinor facere pro futuro *faciam* dictum est.

Mil. 936 *At egone hoc si ecficiam plane,*
Ut concubinam militis meus hospes habeat hodie
Atque hinc Athenas avehat, ⟨si⟩ hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris?

Merc. 458 *Quid? illi quoidam, qui mandavit tibi, si emetur, tum volet:*
Si ego emo illi, qui mandavit, tum ille nolet? nihil agis.

Quibus si adiecerimus unum locum Phil. II 2, 3: *sed neque fecisti nec, si cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuisset*, omnia eiusmodi enuntiata condicionalia, quae in orationibus Halmianis leguntur, enumeravimus.

Sed antequam elocutionem Plautinam cum Ciceroniana comparare pergam, ut accuratius etiam perspiciatur Ciceronis loquendi usus, duorum mihi locorum, quos Draeger attulit l. c. II p. 694 sub littera β, mentio est facienda. Quos si obiter legeris, imperfecti et plusquamperfecti coniunctivi nullo discrimine positi esse videbuntur. Sin diligentius inquisiveris, mira arte singulas formas inter se congruere intelleges. Atque altero quidem loco har. resp. § 47 haec legimus: *An iste nisi prius se dedisset eis, quorum animos a vestra auctoritate seiunctos esse arbitrabatur, nisi eos in caelum suis laudibus praeclarus auctor extolleret, nisi exercitum C. Caesaris . . . signis infestis in curiam se immissurum minitaretur, nisi se Cn. Pompeio adiutore, M. Crasso auctore, quae faciebat, facere clamaret, nisi consules causam coniunxisse secum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret, tam crudelis mei, tam sceleratus rei publicae vexator esse potuisset?*

Plusquamperfecto *dedisset* respondet *potuisset.* Inserti sunt quattuor impf. coniunctivi, quibus ea quae principali protasi continetur sententia pluribus verbis explicatur. Accuratissime autem redolent coniunctivorum formae earum formarum naturam, quas legeremus, si sine condicione auctor id quod sentiebat elocutus esset. Sunt hi indicativi: *dedit* — *extollebat* — *minitabatur* — *clamabat* — *confirmabat* — non *potuit.*

Eandem prae se fert speciem locus orationis de domo sua ad pont. § 129: *Quod si tibi tum in illo rei publicae naufragio omnia in mentem venire potuissent aut si tuus scriptor in illo incendio civitatis non syngraphas cum Byzantiis exsulibus et cum legatis Brogitari faceret, sed vacuo animo tibi ista non scita, sed portenta conscriberet, esses omnia, si minus re, at verbis legitimis consecutus. Sed uno tempore cautiones fiebant pecuniarum* etc.

His quoque coniunctivis in promptu est significari indi-

cativi formas, quae, si condicione careret enuntiatum, scribendae essent; quae sunt: non *potuerunt* — *faciebat* — *scribebat* — non *es consecutus*.

Atque homines docti, qui in librorum commentariis de eiusmodi coniunctivis egerunt, in eam maxime sententiam disputaverunt, significari illis fieri aliquid posse in praeterito. Qua interpretatione qui utuntur, etiamsi prope absunt a vera coniunctivi vi percipienda, tamen non omni ex parte probandi sunt. Nam eorundem ea sententia videtur esse, ut et coniunctivo impf. cum notione praesentis posito et coni. plusq. significari aliquid fieri non posse censeant.

Nec tamen sufficere hanc interpretationem ad coniunctivi impf. et plusq. indolem penitus cognoscendam infra fusius explicabimus; verum id primum tenendum est, nulla nisi temporis notione coniunctivos inter se discerni, et esse propinquam eorum notionem ei notioni, quae inest in eorundem temporum indicativis.

§ 7.

Magnum igitur intercedere discrimen inter elocutionem Ciceronianam et Plautinam demonstratum est. Ciceronem enim vidimus eiusmodi imperfectis raro usum esse et id latiore tamquam sententiarum conexu coactum. At Plautum simili causa aut numquam aut raro adductum esse, ut praeterita imperfecti coni. notione uteretur, facile ex versibus quos supra attulimus cognoscitur. Atque quam late pateat ea quam diximus differentia sermonis Plautini et Ciceroniani, magis etiam apparebit, si eorum enuntiatorum condicionalium, quorum in utraque parte aut praes. coniunctivus legitur aut perf. coni., numerum comparaverimus. Eius modi enim enuntiatorum e fabulis Plautinis fere 170 enumerantur (cf. Rothheimer p. 36 sqq.), non plus viginti ex orationum Ciceronianarum delectu Halmiano.

Omnia vero exempla, quae coniunctivum quemvis in utroque enuntiato praebent, si colligas, apud Plautum 244, apud Ciceronem in orationibus quas supra diximus 255 effi-

ciuntur. Sequitur ut de centenis exemplis Plautinis 70, de centenis Ciceronianis 8 praebeant coniunctivum aut praes. aut perf. Neque minus mirum, quantum differat coniunctivi plusquamperfecti usus in utroque enuntiato positi apud utrumque scriptorem. Nam cum inter 244 exempla Plautina quae supra commemoravimus 8 eiusmodi occurrant, inter 255 Ciceroniana 67, efficitur in centenis enuntiatis a Plauto ter, a Cicerone vicies sexies plusq. coni. utrimque usurpari.

§ 8.

Comparanda praeterea ea sunt enuntiata condicionalia, quorum in apodosi indicativus praeteriti, in protasi coniunctivus aut imperfecti aut plusquamperfecti legitur. Cum praeteriti igitur significatione coni. impf. apud Plautum occurrit his locis:

Trin. 566 *Licitumst, si velles . .*

Curc. 449 *Quia enim in cavea si forent*
Conclusi ⟨illi⟩ itidem ut pulli gallinacei,
Ita non potuere uno anno circumirier.

Cas. II 8, 4 *Volui Chalinum, si domi esset, mittere.*

Pseud. 285 *Fuit occasio, si vellet, iam pridem argentum ut daret.*

Bacch. 563 *Qui? tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,*
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi,
Occiperes tute ⟨ipse⟩ amare et mi ires consultum male?

Stich. 512 *Et magis par fuerat me vobis dare cenam advenientibus,*
Quam me ad illum promittere, nisi nollem ei advorsarier.

Mil. 53 *Ni hebes machaera foret, uno ictu occideras.*
occideras A; *occideres* Pall.

Persa 595 *Vide sis, ego ille doctus leno paene in foveam decidi,*
Ni hic adesses.

Most. 458 *Quomodo pultare potui, si non tangerem?*

In his quae exscripsi exemplis perspicua est coni. imperf. notio praeteriti. Ac nescio an prope ea significatio absit a reliquis tribus locis:

Bacch. 818 *Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,*
Plus iam viginti mortuom esse oportuit.

Mil. 803 *Non potuit reperire, si ipsi Soli quaerundas dares,*
Lepidiores duas ad hanc rem . . .

Pseud. 792 *Nam ego si iuratus pessumum hominem quaererem,*
Peiorem hau potui, quam hunc quem duco ducere.

Adiciendi sunt huic numero exemplorum duo loci e Milite Glorioso petiti. V. enim 1356 in libris sic circumfertur:

Et si ita sententia esset, tibi servire malui
Multo quam alii libertus esse.

Quae verba cum idoneo sensu carere opinarentur homines docti, pro *malui* scribere *mavelim* voluerunt deteriorum librorum auctoritatem secuti. Sed si, ut prioris dimetri metrum expleatur, aut cum Brixio conieceris *et si ita* ⟨*tua*⟩, aut cum Lachmanno ad Lucr. p. 249 verborum ordine mutato scripseris *et ita si*, non erit quod amplius mutetur. Hanc enim sententiam inesse mihi concedes: *Wenn du die Bestimmung getroffen hättest* (sc. *dass ich dein Sclave bleiben sollte, du hast mich leider freigegeben), ich hätte lieber dein Sclave als eines anderen Freigelassener sein mögen.*

Altero loco Mil. 1207

nam si possem ullo modo
Impetrare, ut abiret nec te abduceret, operam dedi.

Brix adnotavit *si* esse = '*ob*' collato v. Men. 146 Quam interpretationem falsam esse inde efficitur, quod nusquam ea vis in coniunctione *si* inest, nisi ipsa enuntiatum principale sequitur. Quod nisi fieret, primo conspectu, quae notio insit in coniunctione, vix percipi posset. Verum hoc loco duas inter se commixtas esse loquendi rationes statuendum est. Quarum altera quidem haec est: *operam dedi, ut abiret;* altera haec: *si possem impetrare, ut abiret,*

impetravissem. His igitur verbis interpretandum esse locum nostro sermone puto: *Denn wenn ich auf irgend eine Art ihn hätte bestimmen können wegzugehen — Mühe genug habe ich mir gegeben.*

Itaque his additis locis coniunctivus impf. 14ies legitur in eiusmodi enuntiatis. Praeteriti autem vis si non in omnibus, at in undecim enuntiatis perspicitur. Plusquamperfecti coni. vero quinquies apud Plautum cum indicativo praet. consociatur (cf. Rothheimer p. 47).

Contra in Halmianae sylloges orationibus coni. plusq. in protasi duodecies legitur, coni. impf. praeteriti vi praeditus octies; quater de actione praesenti usurpatur. Praeterea si enuntiatorum numerum compares, quorum in apodosi ind. praes., in protasi coni. aut praesentis aut perfecti exstat, eandem inter haec quoque enuntiata intercedere differentiam atque inter ea, de quibus uberius supra diximus, nullo negotio cognoscitur. Apud Plautum enim nonaginta fere eius generis exempla occurrunt (cf. Rothheimer p. 43 sqq.), in orationibus ab Halmio editis viginti quinque.

§ 9.

Ac ne ea quidem enuntiata prorsus neglegenda sunt, in quibus coniunctivus impf. nude positus est, sive coniunctivi aut iussivi quem vocant aut deliberativi prae se fert speciem, sive condicionalis notio cogitationi subicitur. Ac nescio an nullum usquam eius generis enuntiatum apud Plautum occurrat ad praesentis temporis notionem accedens; verum praeteriti vis omnibus locis videtur posse cognosci. Nam et Gepperti coniectura Poen. 359 *non aequos in me esses* repudianda est prae Ambrosiani scriptura: *non aequos in me es;* neque librorum memoria nituntur ii qui Truc. 501 vel *me maleficio vinceres?* vel *ego malficio vincerem?* restituendum esse arbitrati sunt.

Praeteriti vero significationem his qui sequuntur locis agnoscas:

Capt. 704 *cur es ausus mentiri mihi? ::*
Quia vera obessent illi, quoi operam dabam.

Cas. V 2, 30 *Sed quom cogito, non habuit gladium, nam esset frigidus.*

Trin. 954 *An ille tam esset stultus qui mi mille nummum crederet?*

Poen. 1137 *Tua pietas plane nobis auxilio fuit,*
Quom tu huc advenisti hodie in ipso tempore:
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quaestum corpore.

i. e. 'nisi advenisses, nomina mutata essent.'

Bacch. 312 *Quin in eapse aede Dianai conditumst,*
Ibidem publicitus servant.:: Occidistis me,
Nimio id privatim servaretur rectius.

Praeteriti inesse notionem manifestum est, si genere verbi activo *servares* eum qui loquitur usum esse fingis.

Persa 710 *Cras ires potius, hodie hic cenares. vale.*

Quamquam *cras* adverbium enuntiato additum est, tamen, cum is qui compellatur discedere iam coeperit, praeteriti vis inest = *Besser wärest du morgen gegangen.*

Men. 160 *Eu, edepol ne tu, ut ego opinor, esses agitator probus.*

Adnotavit ad hunc locum Brix: *esses du würdest sein (wenn du in den Fall kämest), dagegen Mil. 1112 ad equas fuisti scitus admissarius = 'du wärest gewesen', ähnlich Curc. 110 canem esse hanc quidem magis par fuit: sagax nasum habet.*

At mihi et ipsis illis locis et versu Mil. 911 *bonus vates poteras esse* comparatis veri esse similius videtur Plautum praeteriti vi uti maluisse in eiusmodi enuntiatis, ut nobis interpretari liceat: *du wärest gewesen.*

Neque Pseud. 491 sqq. a Lorenzio accurate ad codicum memoriam conformati sunt, cum scriberet:

Quor non rescivi? :: Eloquar:
Quia nolebam ex me morem progigni malum,
Erum ut ⟨*suos*⟩ *servos criminaret apud erum.*
SI. Iuberen hunc praecipitem in pistrinum trahi?

suos in v. 493 addidit Mueller, Beiträge zur Plaut. Pr. p. 41. Simonis nota ante v. 494 in C, non in BD legitur.

Pro *iuberen*, quod Bothe coniecit (*iuberen tu* Ritschl), in Palatinis exstat *Luberes.*

Itaque nescio an sic potius genuina loci sententia restituenda sit, ut cum BD codicibus et Scaligero v. 494 Pseudolo continuetur atque in versu 493 ante *servos* particula *si* suppleatur:

Quia nolebam ex me morem progigni malum,
Erum ut ⟨si⟩ servos criminaret apud erum,
Iuberes hunc praecipitem in pistrinum trahi.

Cum Most. autem versu 183:

Quid ais, scelesta? quomodo adiurasti? ita ego istam amarem?

(*amarim* Ritschl Guietum secutus) recte Ussingium contulisse censeo vv. Hor. sat. II 2, 124:

Post hoc ludus erat culpa potare magistra,
Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto.

Itaque ut altero loco *surgeret* perfecto *venerata est* subicitur, ita altero loco *amarem* perfecto *adiurasti.*

Restat ut dicam de vv. Cas. V 1, 11 et Bacch. 496. Atque illo quidem loco, ubi vel *arbitrarer esse* vel *arbitro esse* ex Veteris lectione, quae est *arbitrare esse,* ab editoribus effectum est, propter metrum incertum, quid scribendum sit, in medio relinquimus. Similis est alter locus, qui in A[st] sic memoriae proditus est:

Mélius múlto mé quoque úna sí cum hóc relíqueris;

in Palatinis vero sic:

Mélius ésset mé quoque úna sí cum illó relínquerés.

Quaecunque huius loci genuina forma fuit, certe Ambrosianae lectioni *reliqueris* Palatina *relinqueres* praeferenda est.

§ 10.

Quae disputavimus accuratius consideranti dubium non erit, quin et maximum in enuntiatis condicionalibus intercedat discrimen inter elocutionem Plautinam et Ciceronianam, et coniunctivus imperfecti praeteriti notionem, quam ab origine ei insitam fuisse verisimile est, Plautina aetate servaverit.

Atque si reputaveris, quanto plura numero apud Plautum sint eius generis enuntiata quae aut praesentis perfective coniunctivos aut imperfecti coniunctivos cum praeteriti vi positos exhibeant, et quanto parcior sit usus coniunctivi plusquamperfecti et imperfecti ad praesentis notionem appropinquantis — contra quam frequens apud Ciceronem sit harum formarum usus, illarum quam parcus: in eam sententiam adduceris, ut coniunctivum imperfecti in praesentis coniunctivi locum, plusquamperfecti coni. in locum imperfecti significatione praeteriti insignis irrepsisse putes. Atque singularis ille temporum in enuntt. condd. apud Plautum usus etsi non plane fugit editores, tamen falsa eius plerumque utebantur interpretatione, cum Plautum metri necessitate coactum ita scripsisse dicerent. Sed eo argumento qui utitur, idem, si magnum eius modi enuntiatorum numerum perlustraverit, concedat necesse est insulsissimum fuisse scriptorem et omnis artis expertem eum quem et verborum et numerorum artificem fuisse aequales consenserint.

Neque tamen Rothheimer, cum quaereret, quibus coniunctivis praesentis, quid fieri posset, exprimeretur, quibus, quid fieri non posset, rei satisfecit, neque Langen quaestionem absolvit, qui eius rei causam indagasse sibi visus est his verbis l. c. p. 52 sq.:

Nicht genau dagegen hat Plautus als Bezeichnung der Nichtwirklichkeit Impf. und Plusq. Conj. festgehalten, oder vielmehr, um mich richtiger auszudrücken, die lat. Sprache hatte zur Zeit des Plautus die Scheidung der Gegensätze zu der Annahme der Wirklichkeit in Annahme der Möglichkeit und unbedingten Nichtwirklichkeit noch nicht vollständig durchgeführt, sondern war teilweise auf der ersten Stufe stehen geblieben, auf welcher die Annahme der Wirklichkeit der Bedingung durch den Indicativ, der Nichtwirklichkeit, gleichviel ob die Verwirklichung als möglich oder nicht möglich gedacht war, durch den Conjunctiv des betreffenden Tempus ausgedrückt wurde.

Sed iam supra ostendimus errasse eos, qui indicativo aliquid re vera fieri, coniunctivo fieri aut posse aut non posse significari docerent. Eandem de indicativo sententiam protulit

Aken[1] collatis Platonis Symp. 217 B; εἰ ψεύδομαι, ἐξέλεγχε et iis exemplis, in quibus εἰ δὲ μή indicativum sequitur, velut Dem. 44, 57. Eadem interpretatione Draeger usus (II § 548) comparavit Sall. Cat. 52, 32: *verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae umquam pepercit.*

Nec magis ea est propria coniunctivi vis, ut fieri aliquid aut posse aut non posse indicet. Immo utrumque earum rerum pondere efficitur, quae ne res conficiatur impedimento sunt. Et quo maiora imminent obstacula, quominus ea fiat actio, quae cum condicione ponitur, eo minus eam confici verisimile est. Recte igitur Etzler (Spracherörterungen p. 113):

Von Möglichkeit, inquit, *oder Unmöglichkeit kann zuvörderst keine Rede sein, alles was die Sprache als bedinglich aufstellt, wird als möglich gedacht, wäre es auch an und für sich noch so ungereimt und widersprechend.*

Iam vero quaerendum est, quibus causis facta sit illa quam supra commemoravimus coniunctivorum permutatio et qua ratione acciderit, ut eae formae, quibus irrealitatem, si hoc verbo uti licet, indicari vulgo docent, hac potissimum in verborum conexu indole praeditae sint.

§ 11.

Omnium temporum coniunctivi in lingua latina olim eandem temporis speciem prae se ferebant, quae eiusdem temporis indicativi propria erat. Itaque *si habeam, dem* idem fere erat atque 'si forte fit, ut habeam' = *wenn ich etwa habe (hätte) jetzt oder in Zukunft.* Quodsi forma *si habuerim* usurpabatur, perfectio sive in praesenti sive in futuro tempore valens exprimebatur. Contra *si haberem* nihil aliud significare poterat, nisi 'si forte fiebat, ut haberem'; item *si habuissem* nihil aliud nisi 'si forte factum, id est perfectum erat, ut haberem' = *wenn ich habend gewesen wäre.*

Attamen iam Plautina aetate tempora verborum ita mutata sunt, ut coniunctivus imperfecti etiam de praesenti

---

[1] Aken, Die Grundzüge der Lehre von Tempus und Modus im Griechischen. Rostochii 1861. p. 143, 2.

tempore usurparetur et coniunctivus plusquamperfecti omnino praeteritas actiones exprimere posset, sive perfectas sive non perfectas. Haec autem plusquamperfecti usus commutatio duabus tamquam viis progressa esse mihi videtur. Primum enim enuntiata talia quale illud est: *si fecerit, dem* modo hoc significare poterant: *si forte ita res sese habet, ut fecerit, tum ego do*, vel *si res ita se haberet* (re vera autem non ita se habet) *ut fecisset, vel faceret, tum ego darem*; modo futuri quoque notio immisceri potest, ita ut verba *si fecerit, dem* significent: *si fors feret, ut fecerit, tum ego dabo.* Iam vero in longiore orationis ambitu saepissime et debebat dubium esse et dubium erat, utra illarum significationum ab eo qui verba faciebat expressa esset. Sicubi igitur neque ex eis quae praecedebant verbis neque ex eis quae sequebantur, de utra coniunctivi perfecti temporis condicione ageretur, cognosci poterat, et tamen ei qui loquebatur id exprimendum videbatur, de futuro tempore nullo modo cogitandum esse, aut tale necessario adverbium addere debebat quale est *nunc* (cf. Amph. 155 *quid faciam, nunc si tres viri me in carcerem conpegerint*), aut plusquamperfecti coniunctivo uti, quippe qua forma omnis ad futurum tempus relatio excluderetur. Plusquamperfecti autem coniunctivo in eiusmodi enuntiatis saepissime locus esse poterat, quoniam plurimae ex eis actionibus quae in praesentia perfectae sunt etiam eo modo significari possunt, ut dicantur in praeterito tempore fieri. Quomodo hae formae inter se mixtae sint, cum ex aliis versibus cognosci potest, tum ex Stichi Plautinae v. 510 sq.:

Vocem ego te ad me ad cenam, frater tuos ni dixisset mihi,
Te apud se cenaturum esse hodie, quom me ad se ad cenam vocat.

Ubi Plauto scribere licuit *vocem . . . ni dixerit,* si in eis quae praecesserunt vel *frater dixit* vel *frater dixerat* vel similis aliqua locutio exstabat. Re vera nihil eiusmodi eis quae praecedunt expressum est. Sed etiamsi nihil eiusmodi praecederet, tamen Plauto licuit scribere: *vocem . . . ni dixerit*, dummodo ad *dixerit* aut *antea* aut similem aliquam

temporis notionem adderet. Itaque cum neque in praecedentibus verbis quicquam quod ad temporis notionem definiendam idoneum sit legatur, neque ullum temporis adverbium ad dicendi verbum adiectum sit, forma *dixerit* nimis anceps videri debuit; nam si *dixerit* scripsisset Plautus, hanc ex illo enuntiato elicere sententiam poteras: *vocem ego te ad cenam, ni forte fiet, ut frater meus dixerit.* Propter has quas exposui causas Plautus plusquamperfecto *dixisset* uti maluit, quae forma formis *dixit* vel *dixerat* respondet, ut 'ne quid ambigui in oratione inesset. *Vocem* autem coniunctivum praesentis, non *vocarem* tribuit Plautus ei quae verba facit personae, quia haec de tempore quodam cogitat, quod tamquam ante ipsam situm est, non post ipsam.

Altera autem via, qua plusquamperfecti coniunctivi usus commutaretur, ea mihi fuisse videtur, ut coniunctivus plusquamperfecti sensim vices coniunctivi imperfecti ageret, postquam hic coepit ad condicionem in praesentia valentem significandam usurpari. Nam etiam in eis qui huc pertinent casibus saepe ambiguitas necessario nascebatur, quam ut evitarent, coniunctivo plusquamperfecti maluerunt Romani uti quam coniunctivo imperfecti.

Denique potentissima illa linguarum dominatrix, quam ἀναλογίαν vocabant Graeci, et ipsa aliquam partem eius temporum commutationis suscepit perfecitque.

Nec dissimiliter coniunctivi imperfecti usus ita sensim mutationem passus est, ut haec forma ad praesentis significationem delaberetur. Etenim verba *si habeam, dem* et hoc significare poterant: 'si forte fit, ut nunc habeam (sive re vera fit sive non fit)' et hoc: 'si forte fit, ut futuro tempore habeam'. Sicubi haec quam posteriore loco posui significatio futuri temporis excludenda videbatur, aut ita dici poterat, ut exempli gratia fit in Asinariae Plautinae v. 188 sq.:

Si ecastor nunc habeas, quod des, alia verba praehibeas.
Nunc quia nil habes, maledictis te eam ductare postulas;

aut ita, ut in eiusdem poëtae Curculionis v. 164 factum esse videtur, ubi haec leguntur verba:

Adsum: nam si absim, haud recusem, quin mihi male sit, mel meum.

Haec quae exscripsimus enuntiata condicionalia eas ipsas continent condiciones, quae in illis quibus vulgo utimur de grammatica latina libris 'irreales' appellari solent.

Si neque ea, quae in Asinariae versibus conspicitur, oratione neque ea, quae in Curculionis loco, uti volebant, ad aliud remedium recurrebant Romani, ut exprimerent nimia imminere obstacula, quominus fieret ea actio, quae enuntiati condicionalis verbo exprimitur. Utebantur igitur tempore imperfecti praeteriti i. e. coniunctivo impf. *si haberem*, pro quo dicere licuit etiam *si habeam.* Forma *haberem* ea cogitatio omnino excludebatur, quasi futuro tempore dandi actio umquam effici posset. Itaque postquam per longum temporis spatium Romani coniunctivo imperfecti in eiusmodi enuntiatis uti soliti sunt, sensim pedetemptimque desierunt artum illum conexum sentire, quo coniunctivus impf. cum praeterito olim cohaerebat.

Nec tamen eo progressus esse Plautus videtur, ut coniunctivo impf. etiam ad eas condiciones significandas uteretur, sub quibus pronuntiantur actiones, quae ut futuro tempore efficiantur fieri potest. Apud Plautum igitur *darem* idem quidem atque *dem* significare potest, nec tamen usquam significat *daturus sim.* Atque haec ipsa maxima intercedit differentia inter Plautinum loquendi usum et Ciceronianum.

Inde illud explicandum est, quod apud Plautum unum illud *si sapias*, *abeas* legitur, non *si saperes, abires;* item *vocem te ad cenam, ni etc.*, quoniam is qui loquitur id ubique tempus spectat quod ipsi instat, id est id tempus quod nostra lingua locutione *ich würde* reddere solemus. Inde illud quoque expeditur, quod Truc. 363 in codicum Palatinorum BCD lectione *velim, si fieri possit* acquiescendum est, quoniam ea quae in illis quae praecedunt Diniarchus interrogaverat *nempe tu eris hodie mecum, mea Phronesium?* de futuro tempore agi luce clarius apparet; repudianda igitur est codicis rescripti Ambrosiani A lectio *vellem, si fieri posset,* quae lectio ut Ciceroniano loquendi usui optime accommodata est, ita Plautinae linguae indoli vehementer repugnat. Idem

loquendi genus, quod Truculento Plautinae Palatinorum codicum memoria innixi modo restituimus, redit

Cist. I 1, 118 *Quando ita tibi lubet, vale atque salve! :: Si possim, velim.*

et Stich. 486 *Vin ad te ad cenam veniam? :: Si possit, velim.*

Conferantur praeterea vv. Truc. 376 et Bacch. 179.

§ 12.

Quoniam multis locis modo *si habeam, dem* scribere demonstravi Plauto licuisse modo *si haberem, darem*, ne id quidem nimis mirum est, quod aliquotiens talia admisit, quale est *si habeam, darem,* neglecta scilicet temporum analogia. Hoc pacto facile explicantur verba Plauti in Truc. v. 830:

Nam vinum, si fabulari possit, se defenderet;

et Aul. v. 523:

Conpellarem ego illum, ni metuam, ne desinat;

(id est: 'dudum ego illum allocutus essem, nisi metuerem' secundum usum loquendi Ciceronianum.) Quibus locis simillimus est versus Poen. 1251 sq., ubi in A quidem traditum est:

primum si id fieri possit (sic an *posset* incertum),
Ne indigna indignis dei darent, id ego evenisset vellem;

in codicibus Palatinis vero hoc:

primum si id fieri possit,
Ne indigna indignis di darent, id ego *e v e n i r e v e l l e m.*

Verba *evenire vellem* significant *voluissem ut fieret; possit* autem generaliter atque in universum dictum est nec ratione habita temporis praeteriti. Ceterum cum tempore Plautino in forma *vellem* praeteriti significatio sine dubio late patuerit, Palatinorum lectio *evenire* mihi genuina esse videtur nec comprobanda Ambrosiani forma *evenisset*, quam Rothheimer (l. c. p. 49) vix recte Palatinorum memoriae praetulit. Ambrosiani lectio *evenisset vellem* ita orta videtur, ut is qui Ambrosianam quam vocamus recensionem conficiebat, praeteriti actionem non satis distincte exprimi forma *vellet* arbitraretur

et propterea forma *evenisset* pro *evenire* substituta praeteriti notionem corroborare conaretur.

Unus exstat apud Plautum locus, quem nullo modo cum ea quam pluribus exposui ratione consociari posse confiteor. Legimus enim in Capt. v. 711 sqq. haec:

Nam cogitato, si quis hoc gnato tuo
Tuos servos faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteresne necne eum servom manu?
Essetne apud te is servos acceptissumus?

Ex sententiarum conexu apparet servum qui verba facit de casu loqui velle, qui in praeterito tempore locum habere potuerit; nam idem servus v. 709 haec interrogaverat: *sed malene id factum arbitrare?* id est: 'arbitrarisne actionem illam faciendi malam fuisse'? Itaque in verbis inde a v. 711 haec oportet insit sententia: 'si quis hoc gnato tuo fecisset, nonne gratus ei fuisses'? Itaque aut fallor aut pro *faxit* flagitatur *faceret* vel, si quid cum Fleckeiseno audendum est, *faxet*, quam tamen formam alibi nusquam occurrere concedendum est.

Ab hoc uno Captivorum loco si recesseris, cetera omnia ad eam quam supra exposui sententiam apte quadrant, nisi quod prima specie quidem contradicere videntur Asin. v. 589 sq.:

Nimis vellem habere perticam. :: Quoi rei? :: Qui verberarem
Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumina.

Nec tamen corruptelam in his versibus delitescere puto, sed videtur mihi Plautus ex una loquendi ratione repente ad alteram transiluisse; nam formae *verberarem* nihil respondere potest nisi *occepissem* forma, formae *occeperint* nihil nisi *verberem*.

Atque duas loquendi rationes inter se commixtas esse etiam Rud. 744 opinor, ubi haec leguntur: *Iam tanta esset, si vivit, scio.* In animo enim eius qui verba facit hae duae sententiae formae simul versantur atque commiscentur: *si viveret, tanta esset* et *si vivit, tanta est.* Nec vero probo, quod Fleckeisen et Langen corruptelam in hoc versu latere

putaverunt; immo suo iure Dombart[1] hominis audaculi esse censet, si quis invitis libris manu scriptis ex sermone familiari singulares locutiones expellere velit, quarum proprietas variarum structurarum mixtione quadam constet, qua facile affectibus moti homines in vulgari eloquio utuntur.

Ad hoc genus structurae mixtae etiam Capt. v. 417 sq. pertinent, ubi in libris Palatinis haec fere memoriae prodita sunt:

Nox diem adimat: nam si servos meus esses, nihilo setius
Mihi obsequiosus semper fuisti. :: Di vostram fidem.

Prioris septenarii trochaici numeri a Bentleio simpliciter ita restituti sunt, ut *mi* pro *meus* subderet; alterius metrum verbis hoc pacto transpositis correxit Bothe: *obsequiosus mihi fuisti semper.* Maiora in priore septenario moliti sunt Fleckeisen et Brix, cum *quasi servos meus sis* emendarent. Bentleiana eiusdem versus emendatio simili qui in Bacch. v. 160 legitur loco defenditur: *Tibi ego an tu mihi servos es?* Sententia igitur: 'si tu servus meus fuisses, non magis obsequiosus esse potuisses' ita abrumpitur in altera enuntiati parte, ut substituatur haec: 'item ut servi obsequiosi esse solent, tu obsequiosus fuisti'. Itaque hoc quoque loco verbi *esses* vis ad praeteritum tempus referenda est.

Denique de Cist. IV 2, 15 sqq. verba facienda sunt. Quorum versuum hanc constituit formam A. Spengel (Reformvorschläge p. 366):

Nunc vestigia hic, si qua sunt, noscitabo.
Nam si nemo ⟨hómo⟩ hac praeteriit, postquam intro abii,
Cistella hic i a c e r e t. quid hic? perii, opinor.

Pro *iaceret* Langen l. c. Hermanno obsecutus *iacet* substituit. Eam quae tradita est formam *iaceret* Umpfenbach *sollte liegen* interpretatur, Lorenz ad Pseud. 286 *hätte hier*

[1] Blätter f. Bayr. Gymn. XVII p. 335.

liegen müssen vel *würde noch hier liegen.* Quoniam coniunctivi imperfecti significatio ad praesens referenda a Plautina loquendi consuetudine abhorret, consentaneum est eam comprobandam esse interpretationem, quam Lorenz primo loco protulit. Qui vir doctus apte comparat

Pseud. 286 *si amabas, invenires mutuom:*
et Truc. 748 *Si volebas participari, auferres dimidium domum.*[1]

§ 13.

Quodsi quis quaerat, inde a quo fere anno usus ille Plautinus commutatus esse videatur, secundum quem coni.

---

[1] Simile quoddam condicionalium sententiarum discrimen atque illud est, quod inter varia dicendi genera apud Plautum intercedere demonstravimus, in lingua graeca quoque olim exstitisse constat. Cf. quae Gerth (Grammatisch-Kritisches zur griechischen Moduslehre. Progr. Dresdae 1878) de eis enuntiatis condicionalibus graecis, quae irrealia vulgo dicuntur, p. 7, 5 disseruit: *Ganz ähnlich steht es nun mit denjenigen Bedingungssätzen, die eine in der Gegenwart nicht erfüllte Voraussetzung enthalten. Auch hier handelt es sich um eine abgeschlossene, nicht mehr zu ändernde Thatsache, die in der Vergangenheit anders gestaltet werden musste, wenn der gegenwärtige Zustand der der Forderung entsprechende sein sollte. Ein Satz wie* εἴ σε τὰ δίκαια ποιοῦντα ἑώρων, ἐπῄνουν ἄν, *den wir mit der Veränderung der Protasis:* ὤφελες τὰ δίκαια ποιεῖν *auf die vorige Form zurückführen können, ist wörtlich zu übersetzen: 'gesetzt ich sah dich gerecht handeln, dann lobte ich dich — jetzt ist es mit dem Lobe vorbei'. Wo dieses Zurückgreifen auf die Vergangenheit nicht möglich ist, sind Präterita undenkbar. Der Satz z. B. 'wollte ich dir den Gefallen thun, so würdest du mich später selbst tadeln', wird, mag der Sprechende auch noch so fest von der Irrealität der Voraussetzung überzeugt sein, doch nur durch Optative ausgedrückt:* εἰ τοῦτο χαρισοίμην σοι, αὐτὸς ἂν ὕστερόν μοι μέμψαιο.

Quodsi recte ea disputata sunt, quae supra de locis Plautinis interpretandis explicandisque exposuimus, apparet coniunctivi imperfecti apud Plautum similem esse condicionem et simile munus atque indicativi imperfecti graeci in enuntiato ab εἰ particula incipiente nude positi, in apodosi cum ἄν particula coniuncti. Etenim illa quoque forma apud Plautum tum tantum locum habet, ubi fieri potest, ut aut ad praeteritum tempus respiciat is qui loquitur, aut de praesenti quidem tempore agatur, nec tamen ullo modo de tempore futuro.

impf. in enuntt. condd. cum praeterito tempore aliquatenus cohaerebat, is velim meminerit, quam proxima cognatione Plautinum loquendi genus cum vulgari Romanorum eloquio cognatum sit. Sane Terentius, qui vulgari eloquio fere repudiato nobilissimorum sermonem in comoediis imitari et exprimere maluit, in condicionalium quoque enuntiatorum usu ad Ciceronianam consuetudinem propius accessit. Neque igitur Cicero aut primus aut tamquam unus ex primis eam normam in coniunctivo imperfecti usurpando secutus est, de qua supra pluribus dixi. Unum afferam exemplum ex Terentii fabulis petitum, quo satis mihi videor demonstrare posse, quam recte Terentium ad Ciceronis loquendi consuetudinem propius accedere contenderim. Legimus enim in Adelph v. 104 sqq.:

	tu nunc tibi
tempus praeteritum	*Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia?* *Iniuriumst; nam si esset unde id fieret,*
tempus praesens	*Faceremus. et tu illum tuom, si esses homo,* *Sineres nunc facere, dum per aetatem licet,*
tempus futurum	*Potius quam, . . .* *Alieniore aetate post faceret tamen.*

§ 14.

Inde a Terentii aetate haec temporum verbi in enuntiatis condicionalibus mutatio celeriter ita latius patere coepit, ut ex Ciceronis scriptis sescenta expiscari possis exempla, ubi coni. impf. in enuntt. condd. ad futurum tempus spectat. Quae cum ita sint, vix mirum illud est, quod in epistulis Ciceronianis, quae familiarem sermonem magis redolent quam cetera Ciceronis scripta, pauca leguntur exempla coniunctivi impf. in enuntt. condd. ita positi, ut ad praeteritum respiciatur tempus. Atque adeo pauciora sunt haec exempla, quae

ex Ciceronis epistulis collegi, quam secundum ea exspectes, quae supra de coniunctivi impf. usu in orationibus Ciceronianis disserui.

Itaque primo a. Chr. n. saeculo in sermone familiari statuendum est pauca tantum vestigia priscae illius consuetudinis superfuisse, ex qua in Plautinis fabulis artus coniunctivi impf. cum praeterito tempore conexus observabatur. Iam vero omnia proferam, quae ex Ciceronianis epistulis excerpsi, exempla coniunctivi impf. ad praeteritum tempus respicientis:

ad Att. II 1, 6: *sed ita res erat instituta, ut, si inter nos esset aliqua forte dissensio, maximas in re publica discordias versari esset necesse.* IX 1, 4: *nam Scipio vel in Syriam proficiscitur sorte vel cum genero honeste vel Caesarem fugit iratum, Marcelli quidem, nisi gladium Caesaris timuissent, manerent.* XVI 5, 2: *Quintus fuit mecum dies complures, et, si ego cuperem, ille vel plures fuisset.* ad Fam. XV 4, 6: *cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, ... perfeci, ut e regno ille discederet.*

Cum indicativo praet. ille coniunctivus consociatus est his locis:

ad Fam. V 20, 9: *Quod si mihi expensa ista HS. centum tulisses, tamen, quae tua est suavitas quique in me amor, nolles a me hoc tempore aestimationem accipere; nam numeratum si cuperem, non erat.* VII 3, 3: *certe nihil fuit praeterea, si te victori nolles aut non auderes committere.* ad Att. IX 3, 2: *Sed, si Postumum audire velles, persecuturus erat Gnaeum* (sc. Caesar). XIII 45, 2: *Quod nisi me Torquati causa teneret, satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem.* VI 9, 3: *quid erat dubitatione dignum, si esset quidquam, cur placeret fratrem et talem fratrem relinqui?* VI 3, 2: *Necdum tamen ego Quintum conveneram, ut iam, si id placeret, scirem, possetne ab eo impetrari, nec tamen, si posset, quid vellem, habebam.* ad Fam. VI 4, 1: *Novi, quod ad te scriberem, nihil erat, et tamen, si quid esset, sciebam et a tuis certiorem fieri solere.*

§ 15.

Atque adeo evidentius apparebit id quod supra proposuimus, pauca tantum vestigia illius imperfecti usus primo a. Chr. n. saeculo exstitisse in sermone vulgari, si et Petronianae et Apuleianae elocutionis rationem habuerimus. Nam apud Petronium, ut omittam potentialem quem vocant coniunctivi usum, qualis cum aliis tum *putarem, crederem* formis constat, nullum imperfecti coni. ad praeteritum respicientis vestigium cernitur. Verum latius in dies patuisse coniunctivi impf. ad praesens vel futurum tempus respicientis usum cognoscas comparans Petron. 8 p. 10, 7 ed. Buecheler[3]: *si scires, inquit, quae mihi acciderunt* cum eiusdem generis enuntiatis Plautinis et Ciceronianis, in quibus praesentis coniunctivus *si scias* usurpari solet.

Neque in libris Apuleianis, si a potentiali illo quem supra diximus coniunctivi usu recesseris, ullum imperfecti cum notione praeteriti positi vestigium reperitur praeter Met. 7, 26: *d i c e r e m quod sciebam, si loquendi copia s u p p e d i t a r e t.* Nec tamen mihi videtur hoc exemplum referendum esse ad plurima illa, quae supra ex Plauto et Cicerone congessimus, sed vestigium potius esse illius depravationis et corruptionis, quam inde a medio fere secundo p. Chr. n. saeculo in linguam latinam obrepsisse notum est. Illi igitur eiusdem Metamorphoseon libri loco hunc comparaverim, quo nullo discrimine perfecti et plusquamperfecti coniunctivi inter se commixti leguntur.

CAPUT II.

DE EIS ENUNTIATIS CONDICIONALIBUS, QUORUM IN PROTASI CONIUNCTIVUS, IN APODOSI INDICATIVUS POSITUS EST.

§ 1.

Non acquievit lingua latina in eis coniunctivis, de quibus modo pluribus disseruimus, permutandis; sed indicativum quoque imperfecti inde a Ciceronis aetate cum indicativo praesentis permutare coepit. Quae permutatio profecta est ab eis enuntiatis condicionalibus, quorum in protasi aut imperfecti aut plusquamperfecti coniunctivus, in apodosi indicativus imperfecti eiusmodi verbi, quale est *posse* vel *debere,* positum erat. Deinde tum quoque illam permutationem passae sunt formae, quales sunt *poteram debebam*, cum non expressis verbis adscripta, sed subaudienda tantum erat condicio. Itaque *poteram* usurpari coeptum est pro eo quod est *ich könnte, debebam* pro eo quod est *ich müsste.* Atque satis notum est, postquam pervulgato hoc usu lingua latina pluribus tamquam ramis diffusa est, inde ortum esse linguae francogallicae condicionalem quem dicunt modum loquendi. Consentiunt igitur homines docti verbi formas tales, qualis est *j'aimerais* = *ich würde lieben* in lingua francogallica, referendas esse ad genuinam locutionem *amare habebam.* De hac temporum commutatione disputans Foth[1] his verbis causam eius et originem assequi conatus est:

Das Impf. in solchen Sätzen beruht meiner Meinung nach darauf, dass der die Bedingung enthaltende Nebensatz, mag er nun in Worten ausgedrückt oder hinzugedacht werden, einen Coni. Impf. enthielt, und hiermit würde sich ein Präsens des Indicativs im Hauptsatze nicht gut vertragen haben. Eine gewisse Attraction also und weil man überhaupt gewöhnt war,

[1] Foth, Die Verschiebung lateinischer Tempora in den romanischen Sprachen, in Boehmeri 'Romanische Studien' fascic. VIII Argentorati 1876, p. 265 sq.

im Bedingungssatze das Impf. zu setzen, machte es auch hier nötig, wo es dann aus den oben angeführten Gründen im Indicativ stehen musste.

Maxime autem ab hoc distat Tobler[1] eandem rem sic interpretans:

Der Römer geht in seinem feinen Sinn (für die Sache, nicht für die Person) so weit, die Möglichkeit und Notwendigkeit gleichsam als ewige, alles menschliche Thun prädestinierende Ordnung aufzufassen, welche zwar für den Menschen bestimmt ist, aber so, dass ihm nichts übrig bleibt, als in dieselbe am rechten Orte sich einzufügen. Wo dies nicht geschieht, da entsteht auch von der Gegenwart aus die Ansicht, als sei eine vielleicht schon lange vor dem Moment des Handelns bestandene Gelegenheit oder Pflicht versäumt worden; daher das Impf.

At nonnulla obstant, ne Tobleri sententiam amplectamur. Nam idem iudicavisse videtur et sentiri semper in eiusmodi enuntiatis imperfecti praeteriti notionem et omnibus saeculis eundem fuisse eorum quae diximus verborum usum. Sed quamvis ut praeteriti significationem in eis quae huc pertinent enuntiatis indagarent maxime operam dederint, tamen nihil eos profecisse cum Fothio concedendum est, tum ex ipsis exemplis a Fothio l. c. p. 264 et a Draegero l. c. I p. 297 congestis apparet.

In Plautinis vero fabulis nullum eiusmodi exemplum occurrit. Neque id mirum; nam qui fieri potuit, ut iam illis temporibus altera indicativi permutatio exsisteret, si verum est quod supra demonstrasse mihi videor, vel ipsum coniunctivum imperfecti Plautina aetate initium tantum permutationis passum esse et obtinuisse in universum eam quae ab origine ei insita fuerit vim praeteriti? Verum aut fallor aut tum demum altera illa commutatio nasci poterat, cum coniunctivi impf. in enuntt. condd. perfecta erat mutatio in vulgari eloquio, quod Ciceronis fere aetate factum esse supra coniecimus.

Itaque Foth attractionis quadam vi factam esse illam mutationem recte statuisse mihi videtur. Etenim si actionis ad praesens tempus respicientis mentio fiebat, nulla alia olim

---

[1] Zeitschrift für Völkerpsychologie II p. 47 sq.

in eiusmodi enuntiatis utebantur consuetudine loquendi Romani nisi ea quae est: *si velim, possum.* Inde gliscente illa coniunctivi impf. mutatione postquam in coni. praesentis locum sensim irrepsit coni. impf., si *vellem* dixisset in protasi is qui loquebatur, non iam conveniebat ad protasin ea quae in apodosi usurpanda erat forma *possum.* Itaque aut evitanda fuit Romanis illa loquendi ratio aut alia verbi forma usurpanda. Iam vero, cum eiusdem generis verbi formas in utraque enuntiati parte collocare studerent, adiuvabantur Romani ipsa eorum enuntiatorum, in quibus sive *posse* sive *debere* verbum inerat, indole ea, ut plerumque eadem res et fieri posse (debere) et fieri potuisse (debuisse) dici posset. Imperfecti igitur indicativo cum uti consuescerent, paulatim in indicativo quoque genuina illa praeteriti significatio in eiusmodi enuntiatis amissa est.

Re vera autem abhorruisse Romanos ab eiusmodi enuntiatis, quale esset *si vellem, possum*, inde efficitur, quod nullum eius generis exemplum exstare videtur praeter locum Petronii 45 p. 30, 6 ed. Buecheler[3]: *non mehercules patria melior dici potest, si homines haberet.*

Iam vero si ad futurum tempus spectaret protasis *si vellem*, initio fieri non poterat, ut *poteram* forma uterentur Romani; sed coniuntivo *possem* uti maluerunt (cf. Tobler l. c. p. 47). Procedentibus autem temporibus in eam quoque notionem abierunt formae indicativi imperfecti, ut aliquid futuro tempore fieri significarent, unde condicionalis illius linguae francogallicae modi usus profectus est.

§ 2.

Nunc quaerendum est, qua ratione acciderit, ut indicativo talium verborum, qualia sunt *posse debere*, in apodosi eorum enuntiatorum, quorum in protasi coniunctivus positus erat, saepe uterentur. Atque errare eos, qui indicativum usurpari statuerint, si re vera aliquid fieri posse verbo *posse* exprimeretur, cum ex eis, quae supra fusius de irrealibus quae dicuntur enuntt. condd. disputavimus, cognoscitur, tum ex hac exemplorum enumeratione ex Ciceronis scriptis petita. In ora-

itionibus enim ab Halmio editis cum imperfecti vel plusq. con unctivo in protasi quater consociatur in apodosi praeteritum-verbi *possum* atque id cum negatione ubique coniunctum, sive ipsa negationis particula adscripta est, sive interrogationis, qua negatio continetur, formam induit apodosis. Decies autem exstat in eiusmodi enuntiatorum apodosi *possem (liceret)*, novies *potuisset (licuisset)*; atque eae ipsae formae plerumque cum negatione coniunctae sunt.

At si praesentis vel perfecti coniunctivus in protasi legitur, in apodosi indicativo praes. verbi *possum* locus esse solet. Septies enim ea forma legitur in orationibus quas supra commemoravimus, semel coniunctivus positus est ita ut relativo subiectus sit in Caec. § 29: *Nec ea dico, quae si dicam, tamen infirmare non possis.*

Inde apparet, quam longe a vero absint ei quibus vulgo utimur auctores grammatici, quippe qui de praeterito verbi *posse* in eiusmodi enuntiatorum apodosi necessario ponendo praecipiant, praesentis indicativi in apodosi collocandi nullam faciant mentionem.

Iam si verbum, quale est *debere*, in apodosi legitur, novies occurrit indic. praeteriti cum coniunctivo aut impf. aut plusq. protaseos consociatus, quinquies coniunctivus impf. in apodosi exstat.

Praesentis vero aut coniunctivi aut indicativi in apodosi positi pauciora sunt exempla, quam quae inter se comparare operae pretium sit.

Longe ab hac consuetudine discedit Plauti loquendi ratio. Legimus enim apud eum indicativum perf. verbi *posse* ter consociatum cum coni. impf. protaseos, semel cum coni. praes. Nusquam *posset* in apodosi occurrit, uno tantum loco *potuisset:*

Pers. 173 *Ovis si in ludum iret, potuisset iam fieri ut probe litteras sciret.*

Contra magnus est numerus eorum enuntiatorum condicionalium, quorum in protasi coni. aut praes. aut perf., in apodosi verbi *posse* indicativus aut praesentis aut futuri primi legitur. Haec sunt exempla:

Fragm. Cist. ap. Prisc. I p. 114 H. *Adhinnire equolam possum ego hanc, si detur sola soli.*

Hoc fragmentum in codicis rescripti Ambrosiani reliquiis (p. 309 vers. 4) dispexit Guilelmus Studemund; A[st] prorsus consentit cum Prisciani lectione.

Most. 351 *Nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest.*

Mil. 764 *Haud centensumam*
Partem dixi atque, otium ⟨mihi⟩ si sit, possum expromere.

Poen. 351 *Sei sapias, curam hanc facere conpendi potes.*

Curc. 246 *Potin coniecturam facere, si narrem tibi?*

Trin. 414 *Non tibi illud adparere, si sumas, potest.*

Bacch. 479 *Nullon pacto res mandata potest agi, nisi identidem*
Manus ferat ad papillas?

manus ferat ad papillas codd. et Ritschl; *ad papillas manus ferat* Brix et Fleckeisen.

As. 164 *Solus si ductem, referre gratiam numquam potes.*

Curc. 268 *Siquidem incubare qui periurarint velint,*
Locus non praeberi potis est in Capitolio.

Poen. 864 *illum ut perdant facere possum, si velim.*
possum AB, *possim* CD male.

Persa 40 *Inpudens? quin si egomet totus veneam, vix recipi potis est*
Quod tu me rogas.

Cas. II 5, 6 *Quin si tu nolis . . .,*
Una libella liber possum fieri.

Aul. 558 *Quae mi interbibere sola si vino scatat,*
Corinthiensem fontem Pirenam potest.

scatat Gulielmius et Lambinus, *scatet* BDJ. Tertiae coniugationis forma, quae versu requiritur, apud Plautum non videtur exstare nisi hoc loco. In Persae enim v. 177 secundae coniugationis forma legitur: *Amas pol misera: id tuus scatet animus.* Verum Lucretio illam usitatam fuisse adnotavit Ussing.

As. 153 *Unum quodque istorum verbum nummis Philippis aureis*

Non potest auferre hinc a me, si quis emptor venerit.

Trin. 85 *si id non feceris,*
Atque id tamen mihi lubeat suspicarier:
Qui tu id prohibere me potes ne suspicer?

Amph. 450 *Quadrigus si nunc inscendas Iovis,*
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

Epid. 610 *Si undecim deos praeter sese secum adducat Iuppiter,*
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.

Huc accedit v. Rud. 566, quo loco teste Studemundo ABCD indicativum praebent:

Vel ego amare utramvis possum, si probe adpotus siem.

Ac nescio an in Bacch. quoque v. 179 indicativus restituendus sit, cum praesertim Pseud. 94 sq., Amph. 592, Aul. 733 contuleris; in libris haec leguntur:

Mirumst me, ut redeam, te opere tanto quaesere,
Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim.

Quotiescunque enim *possim* legitur in apodosi, non simplex eius notio est ea, quam nos coniunctivo *ich könnte* exprimimus, sed addendum est praeterea alterum verbum auxiliare quale est *sollen*, ut coniunctivi vim assequamur.

Possim igitur idem est atque *ich sollte können.* Quae forma apud Plautum ter in apodosi enuntt. condd. legitur:

Merc. 518 *Possin tu, sei usus venerit, subtemen tenue nere?*

As. 878 *Possis, si forte adcubantem tuom virum conspexeris,*
Cum corona amplexum amicam, si videas, cognoscere?

Men. 163 *Ecquid tu de odore possis, si quid forte olfeceris,*
Facere coniecturam?

Quibus cum locis conferantur hi versus, in quibus *possim* sine condicione positum est:

Pseud. 236 *Non possum. :: Fac possis. :: Quonam pacto animum vincere possim?*

Recte Holtze, Synt. priscc. scrr. latt. II p. 140, adnotavit *possim* interpretandum esse *sollte ich können?*
Pseud. 290 *Egon patri surrupere possim quicquam tam cauto seni?* [1]

Conf. etiam Most. 14 sq. — Most. 984 vero codicum ABCD lectio *potest* servanda est (conf. e. g. Capt. 132, Truc. 678), quamquam versum persanare nequeo. Ac nescio an Capt. 120 pro librorum BEJ lectione *possis* scribendum sit *potis es* (conf. e. g. Asin. 164. 886; Cas. II 8, 68 etc.).

Iam quaerenti mihi, qua ratione Cicero *possim* coniunctivo usus sit, quoniam in orationum sylloge Halmiana nullum eius in enuntt. condd. positi exemplum inveni, strictim tangendi sunt loci a. Draegero l. c. I^2 § 298 collecti. Quibus perlustratis statui videtur posse, non longe discessisse Ciceronem a Plautina loquendi ratione. Nam et in enuntiato interrogativo legitur *qui possim* et adverbio aliquo, qualia sunt *forsitan aliquomodo,* apposito et in apodosi eorum enuntiatorum, quorum in protasi concessio expressa est. Etiam Brut. 83, 287: *imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim,* quo loco ita coniunctivus positus videtur esse, ut, quid intersit inter ipsum et indicativum haud facile cognoscas, adverbium *fortasse* aliquantum valuisse ad coniunctivum scribendum consentaneum est. Itaque apud Ciceronem quoque ea saepe in forma *possim* notio videtur inesse, quam nos reddere solemus verbo auxiliari *sollen* addito.

Quae cum ita sint, suo iure Brix ad Mil. 764 ipsis verbis id quod Lorenz ad eundem locum contendit reiciens adnotavit, in sermone cotidiano verba vel locutiones, qualia sunt *possum decet longumst parumst,* indicativo modo poni solere in apodosi enuntiatorum condicionalium. Verum, si praesens tempus respicias, addendum est non modo vulgaris eloquii id proprium fuisse, sed etiam Ciceronianae consuetudinis.

Atque ea potissimum de causa indicativo eius generis verborum usos esse Latinos contendit Foth l. c. p. 263, quod

---

[1] Versus Mil. 684 hanc fere formam e codice Ambrosiano elicuit Studemund: *Nám bona uxor suáve duc(tu)st. Sí sit usquam géntium,*
Ubi ea possit inveniri?

ea verba per se aliquo modo fieri aliquid exprimunt, quod et ipsum coniunctivo exprimitur, ita ut eadem re bis exprimenda facile supersedere possent.

Iam id monere velim eos, qui haec legent, et in his, quae modo ex Plauto congessimus exemplis et in eis, quae infra afferemus, esse nonnulla, quae ad aliud quoque genus interpretationis quadrare videantur. Velut Cas. II 5, 6 nihil obstat, quominus *si* particulam pro *etiamsi* positam esse sumamus.

§ 3.

Iam vero colligenda sunt ea enuntt. condd. Plautina, quibus indicativus aut talis verbi quale est *debere* aut verborum et huius et verbi *posse* similium consociatur cum coni. perf. vel praes. in protasi posito. Sunt autem haec:

Truc. 461 *oportet;*

Curc. 265 *Nihil est mirandum;*

Amph. 891 *Faciundumst mihi illud, fieri quod illaec postulat,*
Si me illam amantem ad sese studeam recipere.

Versum 892 spurium esse Langen l. c. p. 48 contendit. Nam nec verbum *studere* cum acc. c. infinitivo componi posse et coniunctivo ipso negari eum, in quo totius fabulae summa posita esse videatur, Iovis scilicet erga Alcmenam amorem. Verum neque illud mihi persuasit vir doctus et falsa coniunctivi *studeam* interpretatione constrictus videtur, qui verba *si studeam* hoc fere pacto vertenda esse putaverit: *wenn ich mich bestrebte* vel *wenn ich mich bestreben würde.* At alia est hoc loco coniunctivi vis ad futurum potius spectans, ut his verbis patrio sermone interpretandus sit versus: *wenn ich mich bemühen will, dass jene mich bei sich aufnimmt, so muss ich thun, was sie fordert.*

Bacch. 128 *Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.*
Idem verbum redit Stich. 27 et 47. Ad exemplum verbi *possum* constituta est apodosis v. Truc. 877: *non est locus* = non potis est.

Eadem loquendi ratio agnoscenda est in his quae sequuntur exemplis, sive ad verbum *posse* sive ad *debere* vel *decere* accedit apodoseos vis:

Capt. 906 *Nam si alia memorem, . . . morast.*
Aul. 254 *Neque . . . facio neque, si cupiam, copiast.*
Poen. 921 *nunc si eadem hic iterum iterem, inscitiast.*
Men. 760 *quas si autumem omnis, nimis longus sermost.*
Bacch. 1045 *Si plus perdundum sit, perisse satius est.*
Merc. 497 *Meliust, sanus ⟨si⟩ sis.*

§ 4.

Altera est causa indicativi in apodosi enuntt. condd. positi, quae continetur proxima illa cognatione, quae olim coniunctivis praes. et perf. cum temporibus futuri intercessit. Quas formas partim ab eadem origine profectas quoniam ita sensim in diversas partes discessisse constat, ut indicativo futuri aliquid futurum esse certius quam coniunctivo significaretur, cum illud nihil miri habet, si indicativus futuri cuiusvis verbi positus est in apodosi eius enuntiati, cuius in protasi coni. praes. vel. perf. legitur, tum hoc suam habet explicationem, quod indicativus praesentis verborum modalium in apodosi cum indicativo futuri in protasi posito consociatur.

Itaque illius generis enuntiatorum minime mutanda est forma, dummodo certa librorum lectione nitantur. Velut
As. 699 *Vehes pol me hodie, si quidem hoc argentum ferre speres.*

speras scribendum esse censuerunt Mueller 'Nachträge' p. 121 et Goetz-Loewe. At non repudiari *siquidem* coniunctione coniunctivum in fabulis Plautinis, ex eis exemplis facile cognoveris, quae Brix ad Mil. Gl. v. 28 congessit. Similiter
Curc. 186 *Irascere, si te edentem hic a cibo abigat.*

irascare Lambino auctore edidit Goetz. Nec magis mutanda erat codicum scriptura in his exemplis:
Trin. 939 *si animum advortes, eloquar.*

advortas Camerarius.

Most. 912 sqq. *⟨si⟩ hercle nunc ferat*
Sex talenta magna argenti pro istis praesentaria,
Numquam accipiam. :: Si hercle accipere cupies, ego numquam sinam.

cupias Camerarius. *accipiem* formae, quae legitur in libris Palatinis, patrocinatur Bergk 'Beitraege zur lat. Gramm.' I p. 97.

Verum quanta cum varietate in protasi eius generis enuntiatorum apud Plautum et ind. praes. et coni. praes. et ind. fut. legantur, ex locis subscriptis cognoscitur:

Persa 827 *Malum ego vobis dabo, ni abitis.*

Bacch. 1172 *Ni abeas, . . . malum tibi magnum dabo iam.*

Mil. 450 *Nisi voluntate ibis, rapiam te domum.*

§ 5.

Sequitur tertia causa indicativi in apodosi eius modi enuntiatorum positi: quod cum interiectionis quadam vi non raro positus est. Huc pertinent

Truc. 234 *Nugae sunt, nisi modo quom dederit, dare iam lubeat denuo*

et Rud. 1020 *Numqui minus,*
Si veniat nunc dominus quoiust, ego, qui in spectavi procul
Te hunc habere, fur sum quam tu? :: Nihilo. :: Mane, mastigia:
Quo argumento socius non sum et fur sum? facdum ex te sciam.

Quo loco indicativi *sum* (in versu 1023) repetitione firmatur codicum scriptura, refutantur ei, qui *sim* pro *sum* in v. 1022 substituendum esse opinati sunt.

Ad hoc genus pertinent etiam *parumst* et *quid refert* locutiones, nisi forte mavis eas ad eam significationem accedere, quae inest in verbis *posse* vel *debere*. Altera autem locutio exstat

Trin. 1186 *Nam si pro peccatis centum ducat uxoris, parumst;*

et prope indic. futuri positum

Pers. 559 sq.: *Haec unde aberunt, ea urbs moenita muro sat erit simplici;*
Vbi [ea] aderunt, centumplex murus rebus seruandis parumst.

conf. de his versibus Studemund in 'Festgruss der philologischen Gesellschaft zu Würzburg' 1868 pag. 75.

De Merc. v. 692 aliam speciem prae se ferente infra agetur.

Altera locutio *quid refert* legitur

Cas. III 1, 15 *Quid me amare refert, nisi sim doctus . . .?*

et in his locis, in quibus, utrum indicativus futuri II. an coniunctivus perfecti exstet, discerni non potest:

Curc. 555 *quid refert me fecisse regibus,*
Ut mi oboedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit?

Amph. 741 *Vae capiti tuo. :: Tua istuc refert, si curaveris.*

Pseud. 100 *Nisi tu illi lacrumis fleveris argenteis,*
Quod tu istis lacrumis te probare postulas,
Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum legas.

Iam de Pseud. v. 937 sq. breviter dicendum est. Quos cum trochaicos esse voluisset Ritschl, Studemund (de cant. Plautin. p. 69) anapaestico metro cognovit discribendos esse. Itaque Spengel (Reformvorschlaege p. 403) sic recte videtur locum conformasse:

Tantúm tibi boni di inmórtales duint quántum tu⟨te⟩ tibi óptes.
Nam si éxoptem quantúm dignu's tantúm dent, minus nihiló sit.

sit A[a], *est* Palatini invito metro.

Rudentis vero v. 1311 a Flekeiseno sic editus:

Quid refert, qui periit tamen, si nunc hoc fabulemur,

iudicio eiusdem Spengelii (T. M. Plautus p. 16) codicum vestigia secuti sic potius scribendus est:

Quid refert, qui periit tamen? sine hoc, aliud fabulemur.[1]

---

[1] Operae pretium est ea quoque enuntt. condd. obiter tangere, quorum in protasi indicativus futuri sive primi sive secundi, in apodosi indicativus praesentis exstat. Nam illud enuntiatorum condd. genus, quorum protasi indicativus praesentis, apodosi indicativus futuri continetur, neque interpretatione egere arbitror et sescenties a Plauto usurpatum esse ex locis a Rothheimero p. 21 sqq. congestis cognoscitur. Ad illud autem genus qui pertinent locos a Rothheimero p. 29 et 31 collectos si accuratius inspexeris, aut pluribus verbis explicari futurum in apodosi aut cum interiectionis quadam vi poni indicativum praesentis intelleges, ita ut artus temporum conexus esse desinat. Atque ad alterum genus spectant hae apodoseos formae:

§ 6.

Prope distat ab eo, quem supra commemoravimus, coniunctivi praes. in protasi, ind. futuri in apodosi usu ea significatio 2. pers. sing. coni. praes. vel perfecti, quam nos indefinito pronomine *'man'* reddere solemus. Neque exempla eius consuetudinis afferre opus est et eandem prae se ferunt speciem haec exempla, in quibus *si* coniunctionem pronomen indefinitum sequitur:

Amph. 336 *Non edepol nunc ubi terrarum sim scio, si quis roget.*

Stich. 171 *Nunc si ridiculum quaerat hominem quispiam, Venalis ego sum.*

§ 7.

Suum quoque locum habet indicativus in apodosi tum, cum in protasi *si* pro *etiamsi* positum est. Haec enim est in eiusmodi enuntiatis orationis vis: 'Quamvis eveniat id quod in protasi dico, tamen condicioni non subiectum est id quod in apodosi pronuntio'. Unum afferam ex magno exemplorum numero (cf. Rothheimer p. 6) Cist. I 1, 29:

---

a) *possum, opinor, facere*; *me ductare non potes* etc.
b) *potandus est;*
c) *hau causast quin*; *quid causaest quin* etc.;
d) *haud dehortor* (sc. ne faciatis), *hau periclumst, ne effringantur* = non effringentur, *impero ut, sum auctor ut.*

Ad alterum genus hae locutiones spectant: *Quid agimus, quid refert, flagitiumst, rex sum, salvae sunt, macto illum infortunio, non hercle ego is sum, numquam edepol ieiunium ieiunumst aeque.* Ac nescio an eodem pertineat Rud. 1353:

Si . . . reddiderit vidulum, non . . . debeo triobulum.

Mixtae denique videntur esse variae structurae Merc. 526:

Eam sei curabeis, perbonast: tondetur[1] *nimium scite.*

Responderet protasi apodosis *tondebitur*; quae interrumpitur eo iudicio, quod *perbonast* voce continetur; propterea in *tondendi* quoque verbo ind. praes. legitur.

---

[1] Non audeo sumere, collata rustica illa forma *tundunt* pro *tondent, tondetur* esse tertiae coniugationis futurum. Apud Plautum quidem bis excepto hoc loco tales eius verbi formae leguntur: *detondebo* Bacch. 242 et *attondeat* Epid. 312.

Si idem istud nos faciamus, si idem imitamur,
Ita tamen vix vivimus cum invidia summa.

Et fieri poterat, ut duae ex eis quas diximus causae indicativi in apodosi positi ad unum idemque enuntiatum pertinerent; velut et cum maiore vi pronuntiata est apodosis et *si* pro *etiamsi* dictum in protasi

As. 933 *Nilne te pudet? :: Pol si aliud nil sit, tui me, uxor, pudet.*

Pseud. 289 *Egon patri surrupere possim quicquam, tam cauto seni?*
Atque adeo, si facere possim, pietas prohibet.

§ 8.

Similiter tum ponitur indicativus in apodosi, cum ad vocularum *si modo* notionem accedit particula *si* (cf. Rothheimer p. 6 sq.). Huc pertinent

Stich. 112 *Scio ut oportet esse: si sint ita ut ego aequom censeo.*

Poen. 550 *Omnia istaec scimus iam nos, si hi spectatores sciant.*

Capt. 850 *Scis bene esse, si sit unde.*

Huc arcessendus est etiam v. Curc. 299: *Recte hic monstrat, si inperare possit;* quem locum commode his verbis interpretatus est Ribbeck:[1] *Seine Weisung ist ganz zutreffend, wenn er nur zu kommandieren hätte.* Quamquam Langen l. c. p. 49 negavit *si modo* particulae notionem omnino inesse posse in *si* particula, tamen agnoscenda est ea notio in exemplis supra allatis et in enuntiatis apodosi carentibus velut *si scias*, et ad eandem notionem accedit particula *si* in eiusmodi enuntiatis, quale est notissimum illud: *O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos.* Neque plus effecit Langen eo, quod in additamentis contra Ribbeckium disputavit, exspectari *liceat* pro *possit*, cum ex ipsis parasiti verbis eum *posse* imperare appareat. At imperium non est

---

[1] Verhandlg. der kgl. Sächs. Ges. d. W. phil. hist. Kl. 31. Bd. p. 87 sq.

imperium, si nemo est, qui imperatum exsequatur. Itaque re vera non potest imperare parasitus ille Plautinus.

§ 9.

Transeo nunc ad id genus enuntiatorum, quod coniunctivum in protasi ita positum exhibet, ut verbo auxiliari velut '*sollen, brauchen*' nobis interpretandus sit. Huc pertinet Merc. v. 692 sq:

Parumnest malae rei quod amat Demipho,
Ni sumptuosus insuper etiam siet?

Quorum versuum prioris metrum ut restituerent, multa temptaverunt homines docti. Sed neque *sit* pro *est* scribendo, neque pronomine aliquo velut *hoc* vel *id* inter *parumne* et *est* inserendo verum eos assecutos esse intellexit Ussing. Nam et indicativo pronuntiata ubique legitur ea locutio et artissime cum verbo auxiliari coniuncta. Itaque, ut versus sanetur, mihi prisca illa genetivi forma videtur revocanda esse:

Parumnést maläï réï quód amat Démiphó.

Quae forma egregie 'convenit ad ἦθος verborum Lysimachi. Vertendum autem est: *Ist's nicht genug, dass . . ., muss er auch noch ein Verschwender sein?*

Eiusdem generis sunt:

Bacch. 479 *Nullon pacto res mandata potest agi, nisi identidem*
Manus ferat ad papillas . . .

Bacch. 447 *hocine hic pacto potest*
Inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet?

i. e. *wenn er selbst Schläge aushalten muss.*

Parum(n)est, si a Plauto recedas, in eiusdem generis enuntiato legitur apud Pacuvium 277 (p. 112 R. T.)

Parumst, quod te aetas male habet, ni etiam hunc ad malam
Aetatem adiungas cruciatum reticentia?

et apud Terentium Phorm. 546:

Sed parumnest, quod omnibus nunc nobis suscenset senex,

Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?

Coniunctivus imperfecti hoc sensu positus occurrit Bacch. 563:

Qui? tibi non meretricum aliarum erat Athenis copia,
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi,
Occiperes tute ipse amare et mi ires consultum male?

Praeterea comparari possunt Pseud. 285 *fuit occasio, si vellet* et Trin. 565 *licitumst, si velles* i. d. *du brauchtest nur zu wollen,* nisi ex apodoseos verbo ad verbi *posse* notionem prope accedente structura interpretanda est. Similis est condicio v. Merc. 430:

At ego si velim, iam dantur septem et viginti minae.

Nam aut interpretandum est *ich brauche nur zu wollen,* aut nullo fere discrimine a *volo* distare coniunctivum statuendum est. Hoc modo *velim* legitur As. 766 *comburas, si velis*; Rud. 834 *adeat, si velit,* quamvis ipse Labrax iam dixerit se velle adire; Trin. 210 *culpent, quem velint*; Cist. I 1, 60 *et quid tibist et quid velis.*

§ 10.

Restat, ut de eo genere dicam, quod variarum structurarum mixtione constat. Huc spectant

Poen. 322 *nam vigilante Venere si veniant eae,*
Ita sunt turpes, credo ecastor, Venere ipsam e fano fugent

(inter protasin et veram apodosin *e fano fugent* interiecta sunt verba *ita sunt turpes*)

et Epid. 730 *Invitus do hanc veniam tibi,*
Nisi necessitate cogar

(miscentur duae sententiae, quarum altera est: 'invitus do, sed cogor', altera: 'nisi cogar, non dem').

Iam vero, ut absolvam hanc quaestionem, ex eis de quibus supra egimus versibus huc spectant Mil. 1207, As. 589 sq., Rud. 744, Capt. 417, quibus addendus est locus Curc. 226 sqq:

Adferre argentum credo. nam si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet se huc esum ad praesepem suam.

Protasi responderet apodosis qualis est: 'se recipere non potest'; sed abrumpitur ea cogitatio altera illa, quae apodosi continetur: 'retineri non potuit.'

§ 11.

His expositis breviter deinceps dicendum est de praeteriti indicativis qui leguntur in apodosi eorum enuntt. condd., quorum in protasi coniunctivus exstat. Sunt autem hi:

non potuere Curc. 449; *non potuit* Mil. 803; *quomodo potui* Most. 458; *licitumst* Trin. 566; *fuit ubi negotiosus essem* Truc. 140 (i. e. 'negotiosus esse potui'); *fuit occasio* Pseud. 285; *volui mittere* (= 'misissem') Cas. II 8, 4; *voluit indipisci* Stich. 563; (cf. Cic. Phil. II 76 *volui, si possem* et 88 *qui te, si sanus esses, salvum voluerunt*); his adnumerandus est v. Mil. 1356, quem supra commemoravimus, cuius in apodosi *malui* legitur; praeterea *oportuit* Bacch. 118; *ego eram dicturus* Cist. I 3, 4; *par fuerat* Stich. 512; *paene decidi* Persa 595; *quid propius fuit, quam ut perirem* Mil. 475.

Si pro *etiamsi* positum est

Merc. 694 *Decem si ad se vocasset summatis viros,*
Nimium obsonavit

et Pseud. 433 *Sed si sint ea vera, ut nunc mos est maxume,*
Quid mirum fecit?

Reliquum est ut pauca dicamus de v. Mil. 53, cuius ex Ambrosiano haec forma eruta est a Studemundo:

Ni hebes machaera foret, uno ictu occideras.

At Palatini *occideres* (sic B², *occideris* B¹CD) formam praebent neque, utra lectio praeferenda sit, satis perspicuum

est. Neque enim ulla similitudo est huic loco cum altero exemplo Plautino, cuius in protasi coni. impf., in apodosi ind. plusquamperfecti *par fuerat* legitur: Stich. 512. Verum illorum potius enuntiatorum condicio similis est, quorum apodosis cum interiectionis quadam vi pronuntiatur. Itaque talia comparari possunt exempla, qualia inde a Ciceronis aetate saepius apud scriptores occurrunt hoc modo conformata: *Praeclare viceramus, nisi spoliatum, . . . Lepidus recepisset Antonium* Cic. ad fam. XII, 10, 3; et: *Perierat alter filius, si carnifici conviva non placuisset* Sen. de ira II 33, 6. Cuius generis exempla congesta sunt a Draegero l. c. II p. 696 sq. et a Fothio l. c. p. 274 sq.

CORRIGENDA.

p. 6 lin. 12 lege: *abeo* BC,
p. 7 lin. ultima lege: p. 344.
p. 14 lin. paenultima dele *(Tubero)*
p. 16 lin. ultima lege: quentium.
p. 22 non recte dixi coniunctionem *si* = '*ob*' nusquam legi nisi ita, ut ipsa enuntiatum principale sequatur: conf. Cas. III 2, 10. 12.
p. 27 lin. 1 lege: Symp. 217 B: *εἰ*
p. 36 lin. 14 lege: *iratum. Marcelli*
p. 36 lin. ultima lege: *te a tuis*
p. 42 lin. 28 lege: *sola, si*
p. 43 lin. 22/23 lege: exprimi-mus,
p. 44 lin. 7 lege: Capt. 118
p. 44 lin. 13 lege: I² p. 298
p. 45 lin. 6 ab ultima lege: Stich. 28 et 46.
p. 47 lin. 14/15 lege: *in-spectavi*
p. 49 lin. ultima lege: *attondeant* Epid. 311.
p. 51 non recte Ussingio credidi *parum hoc est* dici non potuisse; sane posteriore tempore hanc locutionem in usu fuisse docet Landgraf ad Cic. Rosc. Am. p. 230 sq.
p. 52 lin. 5 lege: *non erat meretricum aliarum Athenis*
p. 52 lin. 23 lege I 1, 59 *et quid tibist et quid velis.*

DE TEMPORUM ET MODORUM USU AMMIANEO.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICUS EHRISMANN

ALSATA.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXVI.

Darmstadtii typis G. Otto.

PARENTIBVS SACRVM

Inter scriptores christianae fidei non addictos, qui post saeculum II sermone pedestri utebantur, facile princeps est Ammianus Antiochensis, quem sub finem saeculi IV Romae cum omnium plausu rerum gestarum libros ab ipso conscriptos recitasse constat. Quoniam magnopere recedit Ammiani usus loquendi cum universus tum temporum et modorum, verbi syntaxin accuratius perscrutatus sum, praesertim cum nemo, quae ad eam rem pertinent, plane exposuerit. Ipse autem nimis multa ex schedis meis depromere nolui, quoniam quas leges in temporum et modorum usu secuti sint ceteri saeculorum IV et V scriptores Romani, nondum satis exploratum est. Ad syntaxeos Ammianeae usum perquirendum imprimis accesserunt — ut omittam Hauptium, Langenum, Hertzium, Gardthausenum, qui potissimum in Ammiano via critica emendando eminuerunt —

1) Kallenbergus (Quaestiones grammaticae A. diss. inaug. Halensis 1868), qui de usu infinitivi optime disputavit.

2) Hassensteinus (De syntaxi A. M. diss. Regimontana 1877).

3) Dederichsus (Quaestiones Ammianeae grammaticae et criticae; diss. Monasteriensis 1878), qui nonnullas partes syntaxeos verbi attigit.

De Hassensteini commentatione iam Dederichsus recte udicavit, cum diceret (pag. 2): *„qui cum in totam materiam syntacticam inquisiverit, ut nonnulla et ea quidem, quae in altera parte prolata sunt, non tam absolute accurateque explicaret quam in priore dissertationis parte factum est.“* Qua re adductus est Dederichsus, ut nonnulla ab Hassensteino brevius disputata retractaret, atque imprimis condicionales

sententias accurate perquireret; nec dubium est, quin, si simili modo in totum temporum ac modorum usum inquisivisset, omnibus numeris absolutum de his rebus commentarium in lucem editurus fuerit. Quae cum ita sint, equidem syntaxin verbi ab Hassensteino nimis breviter tractatam retractandam suscepi.

Luce clarius apparebit Ammianum non modo, ut hominem natione Graecum et militem Romanum et structuras Graecas adhibuisse et usum linguae vulgaris secutum esse atque inter se permiscuisse, sed etiam modo optimorum scriptorum genus dicendi esse imitatum modo peculiares sibi normas ac saepe absurdas ineptasque licentias constituisse aut a grammatico quodam, cuius opera litteris latinis imbutus esset, constitutas accepisse.

Iam primo libro de temporum usu disseram, atque in priore huius libri parte de temporum, quibus res semel gestae exprimuntur, usu disputabo, in altera parte ceterorum temporum rationem exponam. Altero libro de modorum usu dicam.

LIBER PRIOR.

DE TEMPORUM USU.

CAPUT I.

DE TEMPORUM, QUIBUS RES SEMEL GESTAE EXPRIMUNTUR, USU.

§ 1. INDICATIVUS.

Res gestas ita enarrat Ammianus, ut non omnibus locis eodem utatur tempore. Memorantur enim actiones semel praeteritae ope quattuor formarum:

1) perfecti indicativi,
2) praesentis indicativi,
3) plusquamperfecti indicativi,
4) imperfecti indicativi.

Ex his quattuor temporibus nihil novi inest in indicativo perfecti eodem, quo Graeci aoristo utebantur, modo usurpati

neque in indicativo praesentis quod dicitur historici. Contra ab usu aureae latinitatis Ammianus in usurpandis indicativis imperfecti et plusquamperfecti recedit. Maxime autem illud est memoria dignum, quod haud levis apud Ammianum intercedit differentia inter quattuor illa tempora secundum verbi quod vocatur genus. Etenim ubi passiva aliqua forma usurpatur, saepius praesente vel imperfecto usus est quam perfecto.

a) PERFECTUM AORISTON.

Perfectum a rerum scriptoribus praecipue ponitur, cum res gestas narrant; quamobrem perfectum historicum appellatur. Differt autem ab imperfecto eo, quod hoc actiones praeteritas tamquam tales, quae fiant, durent, repetantur, ad aliam actionem referantur, perfectum tamquam tales, quae factae sint, animo proponit. Perfectum igitur imprimis inservit ad eas res exponendas, quae aut cito perfectae aut ita comparatae sunt, ut duraverint necne, nihil intersit. Saepissime autem perfectum et praesens historicum promiscue ab Ammiano poni infra sub b) exponam. Nunc nonnulla afferam exempla, ubi perfectum et imperfectum inter se ita coniuncta sunt, ut diversa horum temporum vis scite observetur:

18. 2, 1 *haerebat anxius qua vi . . . terras eorum invaderet repentinus, seditque tandem . . . id temptare quod utile probavit eventus;* 20. 9, 3 *Perculsus tamen ardenter cunctatione stringebatur ambigua . . . haesitansque diu . . . flexus est quorundam sententia . . . et iter orientem versus edixit.* 31. 1, 1; 31. 10, 12; 23. 5, 8 *quo omine velut certiore iam spe status prosperioris elatus exultantius incedebat, sed incerto fatu fortunae aliorsum prorupit eventus.*

Iam de singulari quodam huius temporis usu mihi dicendum est. Saepe enim perfectum historicum collocatum legimus, ubi rectius plusquamperfectum ponendum erat. Quod Ammianus de industria fecisse videtur, ut res praeteritas, quae ante alias easque perfectas actae sunt, tamquam per repraesentationem mutato tempore animo nostro proponeret omissa recta temporum ratione. Quapropter eadem fere intercedit differentia inter perfectum historicum et plusquam-

perfectum atque inter praesens historicum et perfectum historicum. Quod iam exemplis probabimus:

16. 12, 15, sqq. *addiderat autem fiduciam nostris consideratio gemina recordantibus quod anno nuper emenso Romanis . . . nec visus est quisquam laris sui defensor nec obvius stetit sed . . . aegre vixere barbari longius amendati, quodque . . . nec resistere ausi nec apparere pacem impetraverunt suppliciter obsecrantes . . .* (16) *postea vero pace data discesserat imperator et . . . gentes iam concordabant et turpissimus ducis . . . digressus ferociam . . . auxit in maius.*

Ubique plusquamperfectum exspectatur, cum res, quae perfecto exprimuntur, ante eas factae sint, quae pracedentibus paragraphis narrantur — ut verbis „*anno nuper emenso*“ indicatur — eaedemque ei, qui narrat, quasi plusquamperfectae sint. Videtur autem Ammianus animum in tempora illa praeterita tamquam remittens cum militibus sentire et agere. Itaque facile intellegitur scriptorem perfectum per repraesentationem quandam pro plusquampefecto, cum tempora mutaret, usurpasse. Quod eo clarius aparet, cum § 16 *discesserat* scriptum legamus, quamquam actiones, quae verbis *visus est, stetit, vixere, impetraverunt* enuntiantur, illud *discesserat* praecedunt.

Cf. praeterea 17. 12, 18, 19 *armavit, vicerunt, confugerunt;* 21. 4, 2 *miserat, tradidit, mandavitque;* 22. 13, 3 *statuit, cessit, adhaesere, potuit;* 16. 12, 5, 6 *superavit, vastavit, persultavit, accessit, abiere;* 23. 1, 6; 23, 5, 11 *oblati sunt, discessit.*

b) PRAESENS Q. D. HISTORICUM.

Praesens quod dicitur historicum pro vero perfecto usurpatur, si actiones praeteritae animo eius qui loquitur et animo eius qui audit tamquam praesentes repraesentantur. Ammianus praesens historicum in deliciis habet ac praesertim ita, ut aut series quaedam praesentium exstet, aut — quod saepius fit — perfectum excipiat praesens historicum aut inverso ordine illud ab hoc excipiatur. Atque plerumque quidem praesentis historici forma passiva usus est, cum formam compositam perfecti passivi consulto evitaret. Quod quam verum

sit, intelleges, si numerum praesentium activorum et passivorum per singulos libros sparsorum consideraveris. Veluti in libro XV tredecim praesentia passivi, contra tria pr. activi; in libro XVIII 18/3; in libro XXV 16/3; in libro XXVII 9 praes act. nullum leguntur. Videtur autem scriptori perfectum passivum tamquam vulgaris forma odio fuisse; atque ob eandem causam imperfecto saepe pro perfecto passivi et nonnunquam pro plusquamperfecto utitur:

17. 5, 2 *ideoque . . . pacis amplectitur nomen et condiciones proposuit graves, . . . litteras ad Constantium dedit;* 19. 2, 2 *quinquiens ordine multiplicato scutorum cingitur civitas, ac . . . globi turmarum impleverunt cuncta . . . et . . . loca . . . incedentes ordines occuparunt;* 19. 9, 7 *matrimonium alterius splendidae virginis adfectavit. et . . . ad Persarum vastatorium globum . . . confugit susceptusque aventer, . . . Tamsapori . . . traditur;* 20. 4, 14 *nocte vero coeptante in apertum erupere discidium . . . ad tela convertuntur et manus fremituque ingenti omnes petiverant palatium;* 20. 6, 3 *quieti diem integrum dedit et . . . lucis exordio, signo per flammeum erecto vexillum circumvaditur civitas;* 18. 5, 6 *suscipitur, ferebatur, praedicabat;* 14. 11, 32 *eadem* (scil. *fortuna*) *Mancinum post imperium dedit Numantinis, . . . substravitque feritati Carthaginis Regulum, istius iniquitate Pompeius . . . in Aegypto trucidatur.* 20, 11, 4 *Edessam venit, ibique dum . . . abundantes copias operitur, diu moratus . . egreditur;* 23. 5, 8 *stetit, offertur;* 27. 2, 1 *mittitur . . . accingitur . . . venit . . . exstinxit;* 16. 8, 5, 6 *iubetur . . . respiravit . . . confitetur . . . damnavere;* 27. 8, 3 *disponitur . . . et . . . ire tendebat;* 27. 12, 16 *remittitur . . . oravit;* 17. 4, 14 *intepuit . . . defertur;* 17. 4, 15 *restabat erectio . . . innectuntur . . . locatur . . . superponitur . . . infigitur;* 18. 8, 8 *diffundimur . . . miscemur.*

Haud raro fit, ut, ubi plura verba generis passivi inter se coniuncta sunt, unum perfecti, cetera praesentis historici forma exprimantur; quo usu illud, quod supra dixi, Ammianum formas compositas passivi non adamasse confirmari videtur: 25. 10, 9, 10 *committitur . . . iungitur . . . mittitur . . . mandatum est . . . iubentur;* 20. 4, 3 *Et super auxiliariis*

quidem . . . ocius proficisci Lupicinus conventus est solus, . . . de Scutariis autem . . . excerpere quemque promptissimum et ipse perducere Sintula iubetur; 16. 12, 7 *Iamque solis radiis rutilantibus . . . pedestres copiae . . . educuntur earumque lateri equestres iunctae sunt turmae;* 21. 3, 3 *adgreditur inconsulte Germanos . . . ipse concidit omnium primus, cuius interitu . . . certamen committitur obstinatum et . . . disiecti sunt nostri;* 21. 6, 5 *Habita est . . . Florentii ratio . . . et Anatolio . . . mittitur . . ., cumque Tauro . . . suscepit insignia magistratus;* 21. 12, 4 *conveniens visum est ad deditionem allicere defensores . . ., et . . . ex conloquio re infecta disceditur;* 18. 10, 2 *petit . . . prodidere . . . obtulere . . . eruitur et productae sunt.*

Praesens historicum raro in enuntiationibus secundariis occurrit, excepta temporali coniunctione *dum*, de cuius usu vide infra pag. 47 sqq.

Primum in sententiis relativis verbum aliquod praesente historico efficitur: 19. 1, 8 *numerosas gentes ad arma . . . concitarunt, quarum concursu . . . atrox committitur pugna;* 31. 11, 2 *didicit . . . barbaros . . . revertisse, qui . . . festinant;* 31. 5, 9 *periere . . . praeter ducem . . . qui . . . petit;* 18. 6, 16 *invenimus militem, qui . . . pandit rerum integram fidem docetque;* 15. 8, 18; 31. 8, 9.

Deinde, si libros manuscriptos sequimur, coniunctionem temporalem *cum* quattuor locis praesens historicum indicativi excipit. Sed plus quam verisimile esse hos locos in codicibus corruptos circumferri, quam brevissime potero, ostendam. Iam singulos locos inspiciamus: 20. 2, 1 *quae cum ita geruntur . . ., magistrum reversum . . . obtrectatores excipiunt.*

Codex V scripturam depravatam g e n r e n t u r praebet, quae certe ex archetypo male descripta est pro g e r e r e n t u r. Manus autem secunda eiusdem libri pro nihilo est putanda, quae cum g e n r e n t u r verbum latinum non esse intellexisset, supra litteram *e* paenultimae syllabae *u* scripsit, scilicet emendandi causa. Quamobrem ceteri qui ex Vaticano fluxerunt codices g e r u n t u r praebent. Quae lectio non solum Ammiani usui repugnat, sed etiam minus quadrat in sententiam. Ammianus enim coniunctionem *c u m* ex praesente historico

pendentem ubique cum imperfecto vel plusquamperfecto coniunctivi ad actionem praeteritam exprimendam construit (cf. pag. 40). Atque si indicativum praetulisset, sine dubio aptius imperfectum, non praesens posuisset (cf. infra).

30. 5, 17 *cumque locus adgestis ruderibus neglectus purgatur, lapsam forem . . . multitudo removere non potuit.* In codice V est purgatus; Gelenius, cum in libro Hersfeldensi eandem verbi formam repperisset, emendavit locum purgaretur scribendo. Sed purgatus tenendum est ac contextui copula esset inserenda; quae nescio an neglegentia librarii codicis Hersfeldensis interciderit. Paulo probabilior emendatio illa esse videtur, quam C. W. F. Muellerus (in annal. philol. 1873 pag. 364) proposuit: vult enim *cum* in *dum* mutari; quod necesse est fiat, cum purgatus perperam pro purgatur exaratum esse censeat. Quidquid tamen emendaveris, sane cum . . . purgatur tollendum est, quandoquidem neque traditum est neque cum sententia reliquae orationis congruit.

Similem in modum hi duo loci, quibus cum construitur cum praesente historico indicativi, emendandi sunt: 25. 4, 23 *sciant . . . Constantinum ardores Parthicos succendisse, cum Metrodori mendaciis avidius adquiescit* (germanice: so lange er); 29. 1, 26 *eodem die . . . evenerat triste, quod Salia, . . . cum de vinculis educitur audiendus et calceo inserit pedem . . . animam . . . efflavit.* Quos locos si accuratius inspexeris, ita redintegrandos esse putabis, ut pro cum scribatur dum. Ac primum quidem sententiarum conexus dum efflagitat. Deinde Ammiani usus loquendi dissuadet, ut priore loco cum, quippe quod in oratione positum sit obliqua, coniungatur cum indicativo. Hunc enim usum apud Ammianum semel legimus (23. 6, 7, 8 cf. infra), contra dum in oratione obliqua modo cum indicativo, modo cum coniunctivo coniunctum est (cf. 31. 13, 14; 15. 5, 16). Itaque *dum . . . adquiescit* et *dum . . . educitur* scribemus, si syntaxi quandam constantiam perpoliendo vindicare volemus.

c) DE IMPERFECTI ET PERFECTI ET PLUSQUAMPERFECTI CONFUSIONE.

Etiamsi non negaveris scriptores illos antiquiores, quibus imitandis Ammianus operam navat, vim et usum temporum actionis praeteritae non semel neglexisse, tamen artissimis finibus haec licentia circumscripta est (cf. C. Fothium 'Die Verschiebung der lateinischen Tempora in den romanischen Sprachen' in Boehmeri 'Romanische Studien' VIII pag. 307). Ammianus autem quamvis dictioni politae atque eleganti in universum diligenter studeat, cum illis, quibus ipse vigebat, temporibus sermo latinus atrociter corruptus esset atque pristinae temporum et modorum usus normae confusae iacerent, hanc temporum et modorum confusionem non prorsus evitare poterat. Itaque imperfectum et perfectum et plusquamperfectum non raro promiscue neque ulla intercedente sententiae differentia ab eo ponuntur, sive indicativum modum sive coniunctivum requirat periodus.

α. DE PLUSQUAMPERFECTO PRO PERFECTO USURPATO.

De hoc usu iam Hassensteinus (pag. 51) pauca verba ita fecit, ut nonnullis exemplis additis contentus esset. Equidem paene omnes, qui mihi occurrerunt, locos congeram. Sed id prius monendum est, hanc plusquamperfecti commutationem nusquam in genere passivo fieri. Est enim omnino plusquamperfecti passivi et indicativi et coniunctivi perrarus usus.

14. 7, 11, 12 *subiratus abscessit nec in conspectum eius postea venit . . . hinc ille commotus . . . praefecti custodiam protectoribus mandaverat fidis;* 20. 4, 14 *nocte vero coeptante in apertum erupere discidium . . . ad tela convertuntur et manus fremituque ingenti omnes petiverant palatium;* 16. 8, 8; 19. 9, 5 *evasit exoptatum mulieri nuntium ferens, quae hoc cognito per Tamsaporem ducem supplicaverat regi . . .;* 19. 1, 6; 20. 11, 11, 12 *Decimo itaque postquam pugnari coeptum est die . . . transferri placuerat molem arietis magnam . . . quae subito visa . . . clausorum hebetaverat mentes . . . ni . . . opponenda . . . praeparassent. nec temeritas post haec cessaverat nec consilium;* 16. 5, 12; 22. 8 19 *Residuae* (Amazones) . . . *ad pacatiorem sedem transiere*

Thermodontis, quarum progenies longe deinde propagata per numerosam subolem manu firmissima ad loca reverterat genitalia; 27. 8, 10 *quo monitu ut rediere plerique, incentivo percitus . . . Civilem . . . ad se poposcerat mitti;* 19. 2, 1 *placuerat;* 29. 4, 7 *in Macriani locum . . . Fraomarium ordinavit, quem paulo postea . . . Alamannorum praefecerat numero;* 19. 6, 12 *iusserat;* 20. 2, 2 *dederat;* 22. 16, 11 *iusserat*; 14. 5. 6; 24. 1, 11; 24. 4, 17; 24. 4, 29; 24. 7, 4; 17. 1, 2; 19. 2, 14 *tandemque nox finem caedibus fecit et satias aerumnarum indutias partibus dederat longiores;* 20. 4, 4 *Conticuit hisque adquieverat Iulianus;* 21. 12, 16 *turbatis consuluit rebus, moxque Agilonem . . . miserat, ut . . . solveretur obsidium;* 27. 12, 5 *commisit Armeniam . . . isdemque mandarat;* 14. 11, 1 *Caesarem convellere . . . cogitabat, eique deliberanti . . . qua vi . . . id fieret . . . acciri . . . eundem placuerat Gallum* (Caesarem); 15. 5, 30 *occulta scrutabamur . . . sederatque . . . ut . . .*; 19. 1, 6 *eruendae urbis apparatu nisibus magnis instabat, et . . . leni summatum petitione placatus postridie quoque super deditione moneri decreverat defensores;* 23. 1, 2 *templum . . . instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi.*

Nonnunquam perfectum et plusquamperfectum ita sese excipiunt, ut sensu utriusque temporis mutato plusquamperfectum tempus pro perfecto, perfectum pro plusquamperfecto intellegendum sit. Itaque fit tamquam quoddam hysteron proteron temporum:

20. 9, 5 *in locum Florentii praefectum praetorio Nebridium tum quaestorem eiusdem Caesaris promoverat . . . Gumoarium enim successorem Lupicini, antequam sciretur huius modi quicquam, magistrum provexit armorum.* Pro *promoverat* Ammianus *promovit* et pro *provexit* scribere debebat *provexerat*; quod multo clarius apparebit, si totum Ammiani locum accurate perlegeris. 27. 7, 1 *vix dies intercessere pauci, cum Mamertinum . . . Avitianus . . . peculatus detulerat reum.* Inverso temporum ordine scribendum erat: *vix intercesserant, cum detulit.* 28. 6, 29 *Romanus ad comitatum profectus secum Caecilium duxit, cognitores accusa-*

turum ut inclinatos in provinciae partem: isque Merobaudis favore susceptus, necessarios sibi plures petierat exhiberi; 16. 5, 12 *aditus a parentibus virginis raptae, eum qui violarat convictum relegari decrevit. hisque indigna pati querentibus, quod non sit morte multatus, responderat hactenus . . .*

β. DE IMPERFECTO PRO PERFECTO USURPATO.

Permultis locis imperfectum legitur, ubi perfectum exspectes. Atque equidem, cum saepissime imperfectum passivi pro formis compositis perfecti positum sit, suspicor Ammianum consulto perfectum passivi evitasse, quod iam supra observavi, ubi de praesente historico verba feci. Quod qua de causa factum esse videatur, breviter exponam. In linguis Romanicis, quas dicimus, praesens et imperfectum passivi e temporum commutatione perfecti et plusquamperfecti orta esse constat:

amatus sum, je suis aimé, io sono amato;
amatus eram, j'étais aimé, io era amato;

quam temporum commutationem Ammiani aetate iam floruisse et litteris et monumentis probatum est. Formae igitur compositae perfecti et plusquamperfecti tamquam vulgares habebantur, imperfectum vero, cum tamquam forma docta et elegantior videretur, Ammianus ceteris temporibus ad praeteritum significandum idoneis, ni fallor, praetulit.

Altera huius singularis usus causa in ratione quadam rhetorica posita esse videtur. Quod neque incredibile est neque mirum, si reputamus Ammianum, ut ex epistulis Libanii amici apparet, historias suas vel totas vel partem coram auditorum corona recitasse. Persaepe in uno eodemque enuntiato perfectum ab imperfecto vel inverso ordine hoc ab illo mirum in modum excipitur ita, ut facile in opinionem adducamur Ammianum hanc variationem dedita opera appetivisse. Rerum gestarum narratio saepius interrumpitur atque ad descriptionem rerum transitur, cum rectius oratio perfectum historicum poscat. Nonnusquam, ubi perfectum exspectes, imperfecto actionem ita incohatam esse significatur, ut sententia quaedam conativa in imperfecto inesse videatur.

1. Atque passivi quidem imperfectum his locis legitur, ubi perfectum exspectes:

14. 2, 13, 14, 15 *circumstetere ... hoc munimentum ... et cum . . . nec procederet ullum obsidionale commentum, maesti excedunt . . . maiora viribus adgressuri.* (14) *Proinde concepta rabie saeviore . . . amplificatis viribus ardore incohibili in excidium urbium matris Seleuciae efferebantur ...* (15) *horum adventum praedocti . . . rectores . . . armatos omnes . . . eduxere. Efferebantur in excidium* perverse de impetu semel facto dicitur. Verbi formas '*latus sum, elatus sum*' apud Ammianum mihi occurrisse non memini. 14. 5, 6 *infudit et ferebatur;* 14. 10, 4 *unde Rufinus ea tempestate praefectus praetorio ad discrimen trusus est ultimum. ire enim ipse compellebatur ad militem, quem exagitabat inopia.* Non saepe compellebatur Rufinus, sed semel iussus est ab imperatore ad exercitum ire. 16. 12, 36 *ad pugnandum utrimque magnis concursum est viribus; propilabantur missilia et . . . Germani . . . involavere;* 16. 12, 37 *erigebantur crassi pulveris nubes variique fuere discursus nunc resistentibus nunc cedentibus nostris;* 16. 12, 43 *Sed postquam comminus ventum est, pugnabatur paribus diu momentis. Cornuti enim . . . barritum ciere.* Dubitari non potest, quin Ammianus consulto evitaverit *ventum est, pugnatum est.* Similis est hic locus: 25. 8, 1 *caedebantur ut pecora vel longius amendati sunt venumdandi;* 16. 12, 45; 17. 10, 9 *ad colloquium tandem accitus a Caesare ... condicione difficili premebatur;* 17. 1, 5 *quo ita disposito solis primo exortu visis per montium vertices barbaris ad celsiora ducebatur alacrior miles;* 17. 13, 12 *ducebantur, venere, cernebantur;* 17. 13, 8 *Iamque vergente in vesperum die cum moras rumpere lux moneret excedens, erectis vexillis in eos igneo miles impetu ferebatur;* 18. 6, 12 *sectabantur;* 18. 7, 11 *sequebantur;* 19. 8, 4 *oppletae sunt, pandebantur, truncabantur;* 19. 8, 9 *ferebamur;* 19. 9, 2 *ducebantur;* 19. 11, 10 *ferebatur;* 20. 7, 6 *pugnabatur . . . nec visae sunt;* 20. 9, 6 *exclamabatur;* 20. 11, 6 *docebatur;* 20. 11, 7 *parabantur;* 21. 7, 6 *docebatur*; 21. 9, 2 *ferebatur;* 21. 12, 5 *ferebantur;* 22. 2, 4 *effundebatur;* 23. 1, 5 *terrebatur;* 27. 2, 8 *sequebatur;* 24. 1, 10 *ducebatur;* 27. 3, 1 *audiebatur;* 31. 10, 13 *nitebantur;* 31. 15, 3 *certa-*

batur; 20. 7, 12 *vetabantur;* 31. 5, 8 *urebatur;* 19. 12, 13 *extinguebantur;* 24. 1, 6 *obsidebatur;* 24. 1, 8 ***hortabatur.***

2. Multo autem rarius activi imperfectum vices agit perfecti:

23. 3, 5 *cuius atrocitate mali perculsus ilico . . . triginta milia lectorum militum eidem commisit Procopio iuncto . . . Sebastiano . . ., isdemque praecepit, ut intra Tigridem interim agerent vigilanter omnia servaturi . . .* ***mandabatque*** *eis ut . . . regi sociarentur Arsaci;* 17. 13, 13 *hos, cum ad loca venisset avidus barbarici sanguinis miles, disiectis culmis levibus* ***obtruncabat*** *nec quemquam casa vel trabibus compacta firmissimis periculo mortis extraxit;* 20. 7, 7 *cum magnus terror circumsisteret muros Persaeque paria formidarent, Christianae legis antistes exire se velle gestibus* ***ostendebat*** *et nutu . . . usque ad tentoria regis accessit;* 23. 2, 3.

§ 2. CONIUNCTIVUS.

PRAESENS CONIUNCTIVI ET PERFECTUM PER REPRAESENTATIONEM POSITA.

Ut repraesentationem perfecti indicativi per praesens historicum ab Ammiano coli vidimus, ita praeteritorum coniunctivi temporum repraesentatio quaedam eidem in deliciis est. Fit autem haec repraesentatio, si pro imperfecto vel plusquamperfecto coniunctivi praesens vel perfectum tum recipiuntur, cum proprie ac vere imperfectum vel plusquamperfectum coniunctivi significationem praesentis vel perfecti habent: id est temporum iusta consecutio neglegitur, quo alacrior atque vivacior fiat oratio. Quam repraesentationem a Caesare potissimum in litteras Romanas introductam esse constat. Livius et Tacitus Caesarem non modo magnopere imitati sunt sed etiam latius hunc usum patere voluerunt; poetae prisci comici et Cicero nunquam atque nusquam usurpaverunt, raro Sallustius.[1]

---

[1] De hoc usu imprimis disputaverunt: 1) **Guil. Studemundus**, praeceptor meus, in Analectis Livianis pag. 28, 29; 2) **A. Draegerus** in 'Untersuchungen über den Sprachgebrauch der römischen Historiker' I

Mirum sane est quam late hic usus apud Ammianum pateat. Sed iam rem ita exponamus, ut singula enuntiationum genera perlustremus.

I. Enuntiationes finales: *ut*, *ne*. 14. 11, 26 *pinnas autem ideo illi* (i. e. Nemesi) *fabulosa vetustas aptavit, ut adesse velocitate volucri cunctis existimetur;* 14. 6, 23 *excogitatum est adminiculum . . ., nequi . . . amicum . . . videat;* 20. 4, 15 *resistebat . . . obsecrans, ne . . . agatur . . . neve . . . excitaret;* (eandem coniunctivi temporum historicorum varietatem habes in 25. 1, 12; 22. 4, 2; 14. 6, 13; 28. 4. 13: ampliora leguntur pag. 40); 25. 3, 16 *munus autem id mihi delatum optime scio, ne difficultatibus subcumberem . . ., neve me proiciam . . . aut prosternam;* 21. 9, 8 *ut desinas pavere porrexi;* 25. 8, 12 *iussum est . . . remeare . . . ut . . . consilia quaerantur;* 27. 11, 5 *fuit . . . blandiens . . . ut noceat;* 27. 12, 7 *ordinarunt . . . vallumque . . . adgredi . . ., ut lateant id temptantes polliciti se provisuros;* 29. 5, 48 *visus est Firmus . . . hortari, ut dedant*; 29. 5, 1 *disseri placuit, ne . . . confundatur.*

II. Enuntiationes consecutivae: *ut*, *ut non*. 14. 6, 23 *additumque est . . . remedium aliud satis validum, ut famulos . . . non ante recipiant domum quam lavacro purgaverint corpus.* 22. 8, 15 *stetere . . . ut . . . credant;* 22. 16, 23 *et nulla tormentorum vis inveniri adhuc potuit, quae . . . latroni invito elicere potuit, ut nomen proprium dicat;* 23. 5, 5 *quoniam nulla vis humana vel virtus meruisse umquam potuit, ut quod praescripsit fatalis ordo non fiat;* 23. 5, 20 *ita oppressit . . ., ut suadere nobis laboret . . ., ut . . . credamus;* 22. 4, 2 *namque fatendum est, pleramque eorum* (palatinorum) *partem vitiorum omnium seminarium . . . aluisse ita, ut rem publicam infecerint cupiditatibus pravis, plusque exemplis quam peccandi licentia laederent multos.* In ultimo quod protuli exemplo perfectum coniunctivi ponitur. Falsus igitur est Draegerus (Syntax. I [1878] pag. 270), cum hunc

---

pag. 2—18, imprimis 11, 12; 3) Prockschius in programate gymnasii, Bautzen. 1870 pag. 31 sq.; 4) A. Draegerus in 'Hist. Syntax der lat. Spr.' § 133; 5) Kuehnastus in 'Die Hauptpunkte der Liv. Syntax' pag. 216 sqq. et adnot. 102.

usum ab Ammiano abiudicaret, neque probabiles causas afferre videtur, cur Ammianus Liviana repraesentatione vitata a perfecto coniunctivi in enuntiatis consecutivis abstinuerit.[1] De temporum varietate *infecerint, laederent* cf. pag. 16 sq., deinde pag. 40.

Accedit mirum quoddam apud Ammianum repraesentationis genus in enuntiationibus consecutivis et finalibus. In usurpando enim verbo *posse* certam et tamquam absurdam rationem sequitur:

1. In enuntiatis consecutivis affirmativis *possit* per repraesentationem pro *posset* legitur; in negativis autem sententiis recte imperfectum ponitur, uno excepto loco (cf. 17. 13, 23):

possit: 19. 2, 13 *exurgebant enim ruentium . . . clamores, ut . . . consistere . . . vix quisquam possit*; 21. 12, 8 *ut possint forari cuniculi inveniebatur . . . habilis locus;* 25. 1, 12 *erant . . . ita . . . tectae, ut . . . convenirent, humanorumque vultuum simulacra ita capitibus . . . apta, ut . . . corporibus . . . tela possint haerere;* 19. 1, 5 *portis obequitabat . . ., qui dum se prope confidentius inserit, ut etiam vultus eius possit . . . cognosci, . . . corruisset, ni . . . evasisset.*

posset: 19. 5, 4 *turris fuit . . ., sub qua hiabant rupes abscisae, ut despici . . . non posset;* 21. 15, 2 *urente calore . . . ut ne tangi quidem corpus eius posset, . . . deflebat exitium;* 21. 16, 6 *castus, ut nec amaro ministro saltem . . . posset redargui;* 27. 2, 6 *eo usque negotium venerat, ut nec acta nuntiaturus quisquam posset superesse nostrorum;* 18. 8, 12 *stetimus ita conferti, ut . . . cadavera . . . reperire ruendi spatium nusquam possent;* 17. 12, 7 *nostros adgredi cogitarunt, ut nec expedire tela nec . . . declinare, . . . nec . . . verti possent in fugam;* 27. 11, 6 *ita implacabilis . . . ut . . . nec exorari posset, nec ad ignoscendum . . . inclinari.*

Leni emendatione, ut aequabilitatem recuperemus, *possent* pro *possint* legendum esse 17. 13, 23 puto: *sedes alias*

---

[1] Cf. etiam Studemundum in 'Analectis Livianis' pag. 29.

suscipere sunt adsensi tranquillas . . ., ut nec bellis vexari nec mutari seditionibus possent.

2. Eandem fere rationem Ammianus in enuntiationibus finalibus observat, sed minus constanter. Enuntiationes positivae omnes (una excepta 28. 1, 50) *possint* pro *possent* praebent, contra enuntiationes negativae maiorem partem recte construuntur: quinquies enim *posset,* ter *possit* exstat.

a) *possit* in enuntiatis affirmativis: 16. 11, 13 *non levaturus . . . electus est, sed ut possit per bella deleri;* 18. 2, 2 *miserat . ., ut . . . scitari possit*; 18. 6, 3 *ireturque . . .*, *ut occupari possint provinciae*; 18. 9, 1 *Hanc civitatem . . . ut accolae suffugium possint habere . . . turribus circumdedit*; 19. 7, 5 *noctis spatium maius consumptum est, ut excogitari possit*; 20. 4, 2 *misit . . . hac specie iussos adcelerare, ut adesse possint*; 20. 5. 2 *quasi lituis, verbis, ut intellegi possit, simplicibus incendebat*; 20. 11, 12 *ut possint facile qui essent agnosci . . . fundebantur*; 21. 7, 7 *ut . . . possit antevenire . . . egressus, petit;* 21. 16, 16 *addictus* (erat) . . . *quid ille aiat aut neget, ut adsentiri possint, observantibus*; 22. 6, 1 *Aegyptii venere . . ., genus hominum controversum . . . ut levari debito possit*; 24. 7, 5 *ut possint custodiri discretae sunt*; 29. 2. 8 *quid . . . conlocaret, ut proficere possit facilius . . . praemonebat*; 30. 6, 1 *pacem . . . obsecrantes, quam ut adipisci sine obstaculo possint, et tirocinium . . . pollicebantur.* Codex V *possit* praebet. Gardthausenus falso *possent* scribit; ex iis, quae supra exposui, apparet *possint* legendum esse.

Ut in sententiis consecutivis unicum illud *'ut non — possit'* (17. 13, 23) mutavimus ac *posset* scripsimus, ita aequum est ad constantiam servandam pro unico *'ut — posset'* (28. 1, 50) in enuntiato finali corrigi *possit.* Itaque hoc modo oratio redintegranda est: 28. 1, 50 *mulier vero ut continendae vitae spem firmam . . . possit habere . . ., vim in domo Aginati perpessam adseveravit.*

b) *possit* in propositionibus negativis: 19. 8, 7 *ne labi possit . . . habenam . . . sinistra manu . . . inligavit*; 24. 2, 5 *ne possint emittere coegerunt*; 30. 7, 6 *Rhenum . . . castris munivit, . . . ne latere . . . hostis . . . possit.* Contra *posset:*

14. 11, 14 *venere tamen aliqui . . . eundem ne commovere se posset . . . custodituri*; 17. 13, 30 *Limigantes . . . migrare conpulimus . . ., ne in perniciem nostrorum se commovere possent*; 20. 11, 15 *retinuere* (arietem) . . . *ne . . . ferire muros . . . posset*; 30. 1, 20 *inmittitur barbarus . . . confossurus iuvenem, ⟨ne⟩ exilire posset etiam tum praepeditum.*

Cum *possit* mira quadam constantia usurpari videatur, manifestum est Ammianum huic peculiari usui operam dedisse neque neglegentia licentiave librariorum has formas in contextum irrepsisse. Cetera, quae huc pertinent, vide pag. 40.

3. In reliquis sententiis ubique recte *posset* invenitur.[1]

III. Repraesentatio in enuntiatis e verbis timendi pendentibus nonnusquam occurrit: 19. 6, 4 *gladiis portas caedebant, . . . admodum anxii, ne . . . sine ullo specioso facinore deleantur, aut . . . nihil egisse . . . memorentur*; 31. 3, 6 *veriti ne . . . index procul agentes absterreat, Athanaricum . . . petivere*; 25. 2, 4 *horroreque perfusus est, ne ita aperte minax Martis apparuerit sidus.*

IV. Enuntiationes temporales. In his raro exstat repraesentatio: 30. 7, 10 *Efficacia pari Valentinum . . . antequam negotium effervescat, oppressit*; 14. 6, 23.

V. Enuntiationes interrogativae obliquae. In his sententiis repraesentatio et per praesens et per perfectum effecta saepissime in usu erat.

Praesens: 14. 7, 18 *qui sint hi magna quaerebatur industria*; 15. 8, 16 *qui futurus sit colligebant*; 18. 5, 1

---

[1] 14. 2, 13 codices possit praebent: *cum . . . nec cuniculis quicquam geri possit, nec procedebat* (Gardthausenus *procederet*) *ullum obsidionale commentum, . . . excedunt.* Gardthausenus contra codices *posset nec procederet* scripsit, ut orationis aequabilitatem restitueret. Sed iniuria locum correxit vir doctus. Nam ut omittam possit, quippe quod ex historico praesente pendens recte scriptum sit, Ammianus — si *procederet* teneremus — variationem temporum e praesente historico pendentium non fugit, id quod multa probant exempla: 18. 7, 10; 24. 4, 22; 28. 1, 24; 31. 10, 3. Sed Ammianus *procedebat* habet, quod omnino servandum est. *Cum* causale et cum indicativo et cum coniunctivo construitur. Ammianum autem audacter saepe modos verbi variasse iam Hauptius (op. II pag. 496) breviter monuit. Ceterum hac de re infra pluribus disseram.

circa ratiocinia versabatur, qui vel quarum virium milites ubi agant vel procinctus tempore quo sint venturi describens, itidem . . . copiae . . . an abunde suppetant . . . percontans; 18. 7, 10 *dicere quid sentiat iussus orditur*; 18. 8, 5 *cum quid agi oporteat cunctaremur, occiduntur quidam*; 20. 8, 3 *litteras dedit, quid actum sit quidve fieri oporteat deinceps monens*; 21. 16, 16 *addictus . . . plaudentibus et quid ille aiat aut neget . . . observantibus*; 22. 4, 10 *omnes . . ., data quo velint eundi potestate, proiecit*; 27. 12, 8 *biduumque ad deliberandum, quid capessere debeant, sibi concedi clausos petisse adseverantes, in desidiam obsessores traduxerunt*; 29. 1, 25 *inter ambigentes iudices, quid prius quaeri debeat quidve posterius, dicere audacter exorsus, multa hominum milia . . . fundebat*; 29. 2, 19 *cum consilium . . . anceps, quid inter ultionem et scelus statui debeat, haesitaret, . . . missa est.*

Perfectum: 14. 7, 19 *scrutabatur, an quaedam altiora meditantis iam Galli secreta susceperint scripta*; 14. 10, 4 *ire . . . compellebatur ad militem . . . ut . . . monstraret, quam ob causam annonae convectio sit impedita*; 15. 5, 14 *scisse quid actum sit . . . contendens abiit*; 16. 5, 13 *quid egerint . . . quaerens, . . . mitigabat*; 16. 10, 6 *stupebat, qua celeritate omne hominum genus confluxerit Romam*; 16. 12, 59 *nec enim potuit celare qui fuerit*; 18. 6, 12 *cum . . . interrogassent, quisnam provectus sit index, . . . sectabantur*; 20. 8, 3 *litteras dedit, quid actum sit, quidve fieri oporteat . . . monens*; 25. 8, 13 *cuius iram metuebant . . ., recolentes quae adsidue pertulerit funera*; 29. 1, 33 *interrogati an . . . ea praescierint, quae sustinerent: versus illos notissimos ediderunt.*

VI. Enuntiationes secundariae orationis obliquae.

1) Accusativus cum infinitivo. In his enuntiatis rarus praesentis usus est: 17. 3, 5 *rescripsit gratandum esse si provincialis . . . saltem sollemnia praebeat*; 17. 10, 4 *et eam* (sc. pacem) . . . *sub hac meruit lege, ut . . . quotiens sit* (= futurum esset) *necesse, militibus alimenta praeberet.* Contra perfectum saepe pro plusquamperfecto usurpatur, praesertim cum futurum II tamquam coniunctivus intellegendum sit. Quod cum paene nusquam fiat nisi in condicionalibus senten-

tiis, suspicio nascitur Ammianum consulto perfecti coniunctivum posuisse. Qui si plusquamperfecto usus esset, haud multum aberat, quin sententia irrealem indueret sensum: quod ut evitaret, inepte perfecti coniunctivum omni temporum consecutione neglecta praetulit: 17. 3, 4 *ob quae praefecto praetorio ferri non posse clamante se repente factum infidum, cui Augustus summam commiserit rerum, Iulianus eum . . . docuit*; 28. 2, 9 *id conmeruisse saevo iudicatus arbitrio, quod evaserit solus*; 16. 12, 60 *flagitium arbitrati . . . pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos*; 17. 1, 8 *stetit ... doctus ... plurimos, ubi habile visum fuerit, erupturos*; 17. 1, 13 *reges venerunt ... iurantes ... fruges portaturos umeris, si defuisse sibi docuerint defensores*; 21. 5, 10 *iuravere ... omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos*; 23. 3, 2 *dicitur ... Procopio mandasse arripere ... principatum, si se interisse didicerit*; 24. 4, 21 *nuntiatur imperatori ... milites ... ima penetrasse fundamentorum, iam, si ipse disposuerit, evasuros*; 17. 1, 4 *inposuit milites ea re, ut . . . quicquid invenire potuerint ferro violarent*; 19. 9, 4 *exorans, ut auditis quae contigerint, veniret secum beate victurus*; 19. 9, 5; 14. 3, 1 *quotiens copia dederit*; 23. 2, 1 *si ... adegerit necessitas*; 19. 11, 6; 25. 9. 5; 29. 1, 6; 14. 7, 9 *cum venerit*; 24. 2, 1 *cum occupaverint*.

2) In enuntiationibus, quae a coniunctione *quod* locum accusativi cum infinitivo q. d. tenente incipiunt, coniunctivus perfecti ubique pro plusquamperfecto in usu est. Locos congessi infra, ubi de usu particulae *quod* copiosius egi.

CAPUT II.

DE RELIQUORUM TEMPORUM USU.

§ 1. PRAESENS.

DE PRAESENTIS INDICATIVO.

Praesentis temporis usus apud Ammianum in universum non differt ab illo, quem antiquiores scriptores observabant. Consentaneum igitur est nusquam plura praesentia occurrere quam in orationibus, quas multas contextui historiarum suarum Ammianus inseruit rerum scriptores qui ante eum fuerunt imitatus. Per praesentis autem formas — ut res notas breviter tangam — pronuntiantur actiones, quae tum fiunt agunturve, cum orator loquitur, id est res eo quo oratio habita est tempore nondum perfectae. Itaque non solum de uno temporis puncto dicitur praesens, sed etiam, ut Ciceronis verbis utar: 'in tempore et quae praeterierunt considerantur et item quae instent in praesentia et cum maxime fiant, quae consequantur'. Loci igitur communes, quorum Ammianus non parcus est, cum quovis tempore valeant, per praesens tempus exprimuntur. Ex sescentis unum proferam exemplum, quod oratione ab imperatore Constantio in contione apud milites habita continetur: 14. 10, 14 *postremo id reputantes quod non ille hostis vincitur solus, qui cadit in acie..., sed multo tutius etiam tuba tacente sub iugum mittitur voluntarius qui sentit expertus nec fortitudinem in rebellis nec lenitatem in supplices animos abesse.*

Porro in describendis locis ac populorum moribus saepe praesenti tempore utitur Ammianus, ubi rerum gestarum ordinem narrationisque progressus spectantibus imperfectum aptius poni videatur (Praesens consuetudinis). Quod ubi facit Ammianus, morum et locorum descriptionem ad illa, quibus res gestae sunt, tempora accommodare neglexisse videtur atque illud significare voluisse, suis quoque temporibus et mores et locos, quos describit, non mutatos neque diversos esse ab iis temporibus, quibus res, quas narrat, gererentur. Cuius rei

nonnulla exempla afferam: 19. 11, 4 *Imperator . . . margines barbaros observabat . . . Pannonias furtim vastandas invadere hiemis durissimo cogitantes, cum nec dum solutae vernis caloribus nives amnem undique pervium faciunt nostrique pruinis subdivales moras difficile tolerabant.* Apparet scriptorem, cum diceret *faciunt*, significare voluisse et tum cum res narratae fierent, et tum cum eos describeret, Rhenum hiemis tempore glacie densa obtectum undique transiri potuisse. In altera autem enuntiatione imperfectum recte positum est, cum non de actione in praesenti repetita agatur, sed res praeterito tempore acta exponatur. Similia sunt exempla haec: 18. 8, 5 *humum vultu paene contingens salutavit patronum appellans et dominum, manus post terga conectens, quod apud Assyrios supplicis indicat formam*; 18. 8, 9 *unde quidam praecipites pulsi . . . haeserunt, ubi vadosus est amnis*; 19. 7, 8 *Rex enim Persarum, qui nunquam adesse certaminibus cogitur, . . . proeliatoris militis ritu prosiluit*; 20. 4, 20; 20. 11, 15; 21. 13, 4; 22. 2, 3; 31. 10, 4; 14. 2, 5; 18. 5, 4; 14. 2, 7; 14. 3, 1; 16. 10, 5; 16. 12, 48; 18. 5, 3; 22. 6, 5; alia.

Denique nonnunquam fit, ut tempus praesens occurrat, cum futurum exspectaveris; quo artificio rhetorico non secus atque apud scriptores aureae aetatis augetur quodammodo orationis vigor. Vix enim assentior Hassensteino (pag. 49) opinanti Ammianum plebeium sermonem in hac re secutum esse; quamquam iam apud priscos poetas latinos eandem neglegentiam deprehendimus. Immo locis, quos statim proferam, demonstrari videtur temporis commutatione sermonem a scriptore concitatiorem consulto factum esse. 16. 12, 11 *quae si dederit quisquam commode transiri posse . . . quid nos agimus?* (= agemus); 19. 12, 17 *Et inquisitum in haec negotia fortius nemo, qui quidem recte sapiat, reprehendit* (certe reprehendet); 21. 5, 5 *si fortuna coeptis adfuerit, altius adfecto maiora* (= statim adfectabo). — De infinitivo praesentis loco futurius urpato cf. huius commentationis finem.

§ 2. IMPERFECTUM.

DE IMPERFECTI INDICATIVO.

In imperfecto usurpando Ammianus saepissime cum optimae latinitatis scriptoribus consentit. Constat in imperfecto inesse notionem diuturnitatis et perpetuitatis; qua de causa ad illas res enarrandas atque describendas hoc tempore utimur, quas durasse aut saepe repetitas esse dicimus. Ex hac diuturnitatis notione sequitur, ut imperfectum imprimis accommodatum sit ad mores, instituta, loca describenda, quippe quorum status et condicio durare soleant. 17. 4, 10 *singulae litterae singulis nominibus serviebant et verbis; non numquam significabant integros sensus.*

Deinde imperfectum relativam significationem ita habet, ut potissimum causas rerum gestarum et temporum condiciones exprimat, quippe quae iam tum valuerint et duraverint, cum illae res geri coeptae sunt. 21. 1, 1—4 *Intercluso hac bellorum difficili sorte Constantio,... Iulianus... formidandis in futura consiliis dies inpendebat et noctes.* Narrat deinde Ammianus Iulianum diu ambigentem fuisse, utrum cum Constantio pacem faceret, an eum copiis aggrederetur, tum causas enumerat, cur tam diu dubitaverit: '*quae sollicite reputans utrumque formidabat, et amicum cruentum et in aerumnis civilibus saepe victorem.*'

Saepe imperfectum collocatum videmus, ubi scriptor et ipse in rebus narrandis quasi moratur et lectoris animum in iis ita versari et subsistere vult, ut eas illi quasi picturam ante oculos ponat. Quo fit, ut Ammianus eas actiones, quarum imaginem sibi ipse effingit, in quibus ipse mente et cogitatione versatur, per imperfectum enuntiet. 17. 10, 6 *et ira quisque percitus armatorum urebat agros, pecora diripiebat et homines, resistentesque sine ulla parsimonia contruncabat*; 21. 12, 13 *Et quidam elatis super capita scutis ut pugnaturi levius, alii vehentes umeris ut antea scalas ferventique impetu procurrentes, pectora multiformium telorum ictibus exponebant. alii ferratas portarum obices effringendas adorti, ultro ignibus petebantur, vel saxis muralibus oppetebant. quidam*

Rarius occurrit indicativus: 22. 16, 23 *et nulla tormentorum vis inveniri adhuc potuit, quae obdurato . . . latroni invito elicere potuit, ut nomen proprium dicat*; 27. 5, 3 *cum . . . nullum inveniret, quem superare poterat.*

Alternant coniunctivus et indicativus: 25. 3, 19 *timidus est et ignavus, qui cum non oportet, mori desiderat, et qui refugiat cum sit oportunum.*

c) Sententiae causales. Coniunctivus exstat in oratione indirecta: 17. 3, 5 (*quae . . . possent*).

Contra indicativus: 29. 2, 18 *O praeclara informatio doctrinarum . . ., quae vel vitiosas naturas saepe excoluisti!* Cicero, ex quo Ammianus hunc locum hausit, coniunctivo usus est: Cic. ad Quintum fratrem 1. 2, 7 *ea . . . adhibita doctrina est, quae vel vitiosissimam naturam excolere possit.*

d) Sententiae restrictivae. Coniunctivus exstat: 19. 12, 17 *nemo, qui quidem recte sapiat, reprehendit*; 17. 7, 11 *eas partes soli convibrant, quas subrepserint umidi.*

e) Sententiae condicionales. 31. 2, 22 *iudicatur ibi beatus qui in proelio profuderit animam* (fere = 23, 6, 44); 22, 15, 15 *crocodilus . . . quicquid contigerit pertinaciter petens.*

§ 3.

DE MODO IMPERATIVO.

Imperativo utitur Ammianus in allocutionibus ita, ut saepe vis adhortativa praevaleat. Neque ulla intercedit differentia inter formas imperativi praesentis et futuri q. d. Immo variantur ac mutantur simplices imperativi formae longioribus in *-to* cadentibus atque hae illis. Quibus imperativis cum non raro intermisceantur coniunctivi praesentis adhortativi, efficitur hanc formarum varietatem ab Ammiano dedita opera appetitam esse. Tenendum tamen est nullam aliam personam imperativi q. d. futuri usurpari nisi alteram singularis numeri. Exempla sunt haec: 20. 8, 11, 12 *Gestorum hic textus est, quem mente quaeso accipito placida. nec . . . existimes, vel admittas . . ., sed . . . adverte . . . et suscipito . . .; ignosce*; 15. 8, 13 *adesto . . . et . . . suscipe . . . et . . . consiste*; 16.

10, 16 *iubeto*; 22. 9, 11 *iube*; 17. 5, 11 *accipe*; 14. 10, 13 = 21. 13, 10 = 26. 2, 7 = 27. 6, 7 *accipite.*

Passivi formae nullae occurrunt nisi in deponentibus q. d. verbis: 21. 5, 6 *sequimini*; 22. 10, 5 *prosequere.*

§ 4.

I. DE INFINITIVO.

De infinitivo Ammianeo cum Hassensteinus nonnulla adnotavit, tum Kallenbergus egregiam commentationem in lucem edidit. Hoc unum addam, infinitivum futuri passivi in *-tum iri* nusquam exstare, sed pro eo gerundivum poni. Gerundivum enim vel participium futuri passivi (cf. Langenus Philol. 29 pag. 469 sqq.; Hassensteinus pag. 47) nonnullis locis necessitatis sensu abiecto non secus atque simplex futurum intellegendum est: 18. 5, 2 *cum omnibus se prospiceret undique periculis opprimendum* (= oppressum iri). Locos Ammianeos singulos enumerare supersedeo, praesertim cum a Langeno diligenter collecti sint. Ex his, quae exposuimus, apparet non recte Madvigium (in Adversariorum Criticorum volumine III Hauniae 1884 pag. 255 sq.) apud Ammianum 17. 5, 6 restituisse infinitivum futuri *iri acceptum.*

Infinitivus praesentis passivi nonnunquam locum futuri occupat: 14. 11, 19 *praestitutum erat eum vita et imperio spoliari*; 20. 7, 8.

II. DE SUPINO.

Supinum duodecies in toto Ammiano exstat. Usurpantur autem tres formae: septies dativus in *-u*, quater accusativus in *-um*, semel ablativus in *-o*. Ac certa quaedam verba sunt, in quibus Ammianus singulis supini formis utitur:

1. Accusativus: 22. 2, 3 = 29. 1, 18 = 19. 3, 3 = 23. 6, 40 *ereptum ire.*

2. Dativus: 31. 10, 18 *incredibile dictu*; 28. 1, 15 *narratu . . . digna*; 27. 7, 8 *dictu dirum et factu*; 31. 8, 7 *facta dictu visuque praedira*; 14. 11, 4 *optimum factu.*

3. Ablativus (more Plautino): 31. 12, 5 *quid facto opus esset.*

Dimittere hunc libellum non possum, quin pie recolam memoriam Guilelmi Studemundi praeceptoris mei carissimi, olim Argentoratensis nunc Vratislaviensis, qui in scholis Argentorati habitis cum alias permultas tum hanc, quam ego in hac commentatione tractavi, quaestionem ut institueremus, nos adhortabatur et ad strenue laborandum exemplo suo inflammabat. Nec dubito, quin, si diutius eius consiliis uti mihi licuisset, hic tironis libellus et correctior et perfectior multo evasurus fuerit.

PSEUDO-HEPHAESTION DE METRIS.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE GUILELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

EDIDIT

COMMENTARIIS INSTRUXIT

HENRICUS ZUR JACOBSMUEHLEN

BREMENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXVI.

Darmstadtii typis G. Otto.

Praeter scriptores de re metrica latinos, quos in Henrici Keilii Grammaticorum Latinorum editione consului, et varios de re metrica tractatus, qui in Christiani Walzii Rhetoribus Graecis insunt, hae potissimum mihi inspiciendae et examinandae erant scriptorum de re metrica graecorum editiones:

Anecdota Chisiana de re metrica, ed. Guilelmus Mangelsdorf in programmate gymnasii Carolsruhensis a. 1876. Eorundem Anecdotorum Chisianorum paragraphum 1 primus integram edidit Guilelmus Studemund in Anecdotorum Variorum vol. I, Berolini 1886, pag. 205—209).

Anonymi Ambrosiani de re metrica, ed. Guilelmus Studemund in Anecdotorum Variorum vol. I pag. 211 sqq. (ex parte = Analecta Grammatica ed. Henricus Keil Halis 1848 pag. 3 sqq. = ed. Augustus Nauck in Lexici Vindobonensis editione, Petropoli 1867, pag. 258 sqq.).

Anonymi liber de metris Pindari carminum Olympiorum et Pythii primi, ed. Franciscus de Furia in Appendice ad Draconem Stratonicensem, Lipsiae 1814, pag. 52, 20—70, 12.

Anonymi varii de re metrica, ed. Guilelmus Studemund in annali philologo a. 1885 pag. 751—757 et in Anecdotorum Variorum vol. I.

Anonymi varii de re metrica, ed. Gustavus Vhlig in Dionysii Thracis art. gramm. (Lipsiae 1883) in prolegomenis et pag. 117, 3—124 ('supplementum tertium').

Anonymi varii de re metrica, in Scholiis ad Dionysium Thracem occurrentes, ed. Immanuel Bekker in Anecdot. Graec. (Berolini 1816) vol. II.

Anonymi tractatus de versibus anacreonteis, ed. Du Cangius in Glossario ad scriptores mediae et infimae aetatis, a. 1638 pag. 727 sq.

Anonymi tractatus de metro iambico, ex codice Hilferdingii ed. Nauck in Mélanges Gréco-Romains tom. II pag. 510.

Anonymi tractatus de hiatu in versu iambico, ed. F. G. Schneidewin in Philologi Gottingensis vol. X pag. 350 sq. (= ed. Augustus Nauck in Lexici Vindobonensis editione, Petropoli 1867, pag. 268 sqq.).

Aristidis Quintiliani de musica (libri I capita 20—29), ed. Albertus Iahn vol. I (Berolini 1882) pag. 28—37.

Dionysii qui fertur de pedibus tractatus, ed. Guilelmus Studemund in Anecdotorum Variorum vol. I pag. 160—163 (conf. ibidem in Addendis et Corrigendis).

(Pseudo-)Draconis liber de metris poeticis, ed. Godofredus Hermann, Lipsiae 1812.

Georgii Choerobosci Exegesis in Hephaestionis Enchiridion, ed. Guilelmus Hoerschelmann in Studemundi Anecdotorum Variorum vol. I pag. 31—96.

Heliae Monachi liber de metris cum appendicibus, ed. Guilelmus Studemund in Anecdotorum Variorum vol. I pag. 167—184.

Hephaestionis enchiridion de metris, ed. Rudolphus Westphal in Scriptorum Metricorum Graecorum vol. I, Lipsiae 1866 (= Hephaestionis Alexandrini Enchiridion, iterum ed. Thomas Gaisford, Oxonii 1855).

Pseudo-Herodiani tractatus de hexametri εἴδεσιν, ed. Guilelmus Studemund in Anecdotorum Variorum vol. I pag. 185—188.

Ioannis Botaniatae carmen de metro iambico, ed. Guilelmus Studemund in Anecdotorum Variorum vol. I pag. 199 sqq.

Isaaci Monachi liber de metris poeticis, ed. Ludovicus Bachmann in Anecdot. Graec. vol. II (Lipsiae 1828) pag. 167—196.

Michaelis Pselli carmen de metro iambico, ed. Guilelmus Studemund in Anecdotorum Variorum vol. I pag. 198 sq.

(Pseudo-)Moschopuli tractatus de metris, ed. Franciscus Nicolaus Titze in „Manuelis Moschopuli Cretensis opusc. gramm." (Lipsiae et Pragae 1822) pag. 43—50.

(Pseudo-)Plutarchi de metris capita duo, ed. Daniel Wyttenbach in Plutarchi Moralium editionis Oxoniensis tomo V (a. 1800) pag. 1283—1288.

Scholia Hephaestionea Ambrosiana (i. e. Scholiorum Hephaestioneorum A pars prior), ed. Guilelmus Studemund in Anecdotorum Variorum vol. I pag. 118—152.

[Reliqua 'scholia Hephaestionea A' exstant in Hephaestionis Alexandrini Enchiridii editionibus Gaisfordiana altera et in Westphaliana, de quibus conf. supra].

Scholia Hephaestionea B, ed. Guilelmus Hoerschelmann in programmate universitatis Dorpatensis a. 1882.

Tractatus Harleianus de metris, ed. Thomas Gaisford in Hephaestionis Alexandrini Enchiridii editionis alterius tomo I pag. 317—334.

Trichae de novem metris libelli, ed. Franciscus de Furia in Appendice ad Draconem Stratonicensem, Lipsiae 1814 (= ed. Rudolphus Westphal in Scriptorum Metricorum Graecorum vol. I pag. 251—302).

Ioannis Tzetzae διδασκαλία σαφεστάτη περὶ τῶν ἐν τοῖς στίχοις μέτρων ἁπάντων, ed. I. A. Cramer in Anecd. Graec. Oxoniens. vol. III (a. 1836) pag. 302—333.

Isaaci Tzetzae carmen de metris Pindaricis, ed. I. A. Cramer in Anecd. Graec. Paris. vol. I (Oxonii 1839) pag. 59—162.

Scriptorum de re metrica Graecorum studium cum post renatas in Italia litteras ab hominibus doctis adeo neglectum iaceret, ut perpauci illorum librorum notitiam tenerent, primus Rudolphus Westphal in libro de re metrica ingeniose conscripto (vol. I^2 pag. 196 sqq.) diligenter inquisivit, singuli scriptores metrici quo vinculo inter se cohaererent[1]. Qui quamquam partem tantum veri dispexit, ut par est in disciplina nova tractanda, id tamen effecit, ut duo viri de doctrina metrica optime meriti scriptores de re metrica Graecos in bibliothecis latentes sedulo investigarent et describerent. Nam Guilelmus Studemund, praeceptor meus, perquisitis bibliothecis Italicis in annali philologo a. 1867 pag. 609 sqq. et a. 1885 pag. 748 sqq. necnon in Anecdotis Chisianis (a Guilelmo Mangelsdorf Carolsruhae a. 1876 editis) et in Anecdotorum Variorum volumine I (a. 1886) largos atque inexspectatos effudit thesauros ad illam materiam locupletandam scriptorumque de re metrica historiam contexendam; et Guilelmus Hoerschelmann in Museo Rhenano XXXVI (a. 1881) pag. 260 sqq. et in programmate Dorpatensi a. 1882 commentarios in Hephaestionis Enchiridion conscriptos nova luce illustravit.

Inter ea, quae Studemund in lucem protraxit, scripta metrica inedita, dum historiam scriptorum de re metrica perlustro, prae ceteris me allicuit congeries illa metrici argumenti sub Hephaestionis nomine non paucis codicibus tradita, quorum nullus saeculo XV antiquior esse videtur; conf. quae de hac re Studemund breviter rettulit in annali philologo a. 1867 pag. 611—614. Precibus igitur a Studemundo petivi, ut mihi libri Pseudo-Hephaestionei aestimandi facultatem daret;

---

[1] Conf. etiam Augustum Rossbach in programmatis universitatis Vratislaviensis a. 1857 et 1858.

neque id negavit vir doctissimus, sed etiam comiter permisit roganti mihi, ut hunc librum, si tanti videretur, publici iuris facerem, omnibus eis copiis, quas ad hunc scriptorem edendum congesserat, pro lubitu meo usus. Atque initio quidem ipse vix minus dubitavi quam Studemund, num Pseudo-Hephaestion dignus esset qui totus typis exprimeretur. Sed cum scriptorum Byzantinorum opuscula metrica perlustrassem, quamquam multa Pseudo-Hephaestionis praecepta cum illorum inficeta doctrina artissime cohaerere intellexi, non pauca tamen hoc libro contineri mihi visa sunt, quae apud reliquos de re metrica scriptores frustra quaerantur. Quare totum Pseudo-Haephaestionem apparatu critico Studemundiano instructum edere constitui. Omnes, de quibus infra agam, codices ab ipso Studemundo excussi sunt, nisi ubi contrarium adnotavero.

Codices Pseudo-Hephaestionis, cum non omnes congeriem sub Hephaestionis nomine traditam totam contineant, discedunt in varias classes; sunt autem octo hae:

I. Codices, in quibus totus exstat Pseudo-Hephaestion:

1. M = Monacensis 536 (63) chartaceus 8^0 saec. XV—XVI miscellanens; conf. de hoc codice Studemund in annal. philol. a. 1867 pag. 613 nota 3. Continet fol. 110^r—132^v med. (i. e. usque ad codicis finem) *ἡφαιστίονος περὶ μέτρου,* quem titulum sequitur tota ea, quam nunc editurus sum, congeries.

2. P = Parisinus 2008 saec. XV—XVI. Continet fol. 141^r—168^r: *ʽἡφαιστίωνος περὶ μέτρων',* sequente tota ea congerie, quam continet codex M. Ceterum conf. Meloti Catalogum codicum mss. bibliothecae Regiae tom. II, Parisiis 1740, pag. 431. Codicem P anno 1880 contulit a Studemundo rogatus vir mea laude superior Guilelmus Hoerschelmann.

II. Codex, in quo discerptus exstare videtur totus Pseudo-Hephaestion, est

1. Baroccianus 72 saec. XV exeuntis, de quo conf. Studemund Anecd. Var. I pag. 104. Continet enim is

codex fol. 44r—46v et 70—71 et 187r—204v Pseudo-Hephaestionis paragraphos 1—33, 37, 44—45; §§ 34—36 et 38—43 utrum omissae sint an inter diversi argumenti libellos dispersae item atque reliquae Pseudo-Hephaestionis paragraphi, e Coxii descriptione, quam secutus est Studemund l. c., non satis apparet; cum § 35 conferendus fortasse est is, qui in fol. 72r legitur, tractatus de carminum generibus variis.

2. Fortasse huc pertinet etiam codex

Q = Matritensis 40 sic descriptus in Ioannis Iriarte catalogo, cui inscribitur 'Regiae bibliothecae Matritensis codd. gr. mss.', anno Matriti 1769 vol. I pag. 145: 'Membraneus partim, partim chartaceus, folii minoris forma, foliis 128 duplici manu, altera quidem antiquiore, saeculi nimirum XIV in membranis densioribus prae vetustate fuscis, hic detritis illic laceris, erasae prioris scripturae vestigia passim exhibentibus; altera vero in crassioribus chartis recentiore, saeculi XV. Fragmentorum opusculorumque grammaticorum farraginem complectens'. Conf. praeterea Guilelmum Studemund in annal. philol. a. 1867 pag. 612. Continet hic codex fol. 56—67: *Ἡφαιστίονος γραμματικοῦ ἐγχειρίδιον περὶ μέτρων*, inc.: *Εἰ μέλλοιμεν ἐμμελῶς*, des.: *καὶ τῶν κατὰ τὰς συλλαβὰς παθῶν εἴρηται.* (Perperam de huius operis fine se rettulisse confitetur Iriarte in catalogo pag. 381; conf. quae inde descripta ad codicem Matritensem 95 infra adnotavi pag. 13). Quod addit Iriarte (l. c. pag. 147) 'Opusculum typis non semel editum', id per errorem sine dubio dixit, deceptus scilicet Hephaestionis, qui in inscriptione commemoratur, nomine.

Ea, quae foliis 61v—63r extr. continentur, a viro doctissimo Carolo Galland Matriti anno 1883 descripta perlegere mihi licuit, nec tamen inveni, quae ad Pseudo-Hephaestionem pertinerent, praeter ea quae exstant in fol. 61v et 62r capita *περὶ σχημάτων* et *περὶ παθῶν* cum Ps.-Heph. §§ 16 et 17 congruentia; sed desiderantur ea verba, quae apud Pseudo-Hephaestionem et Pseudo-Plutarchum leguntur in fine huius capitis: *Περὶ μὲν οὖν τομῶν* e. q. s. Sequitur caput *Περὶ τομῶν ἑτέρως* ad verbum congruens cum iis, quae in Anec-

dotis Chisianis pag. 18 § 9 leguntur, et alia quae huc non pertinent.

Quae foliis 56—61r et 63v—67v continentur utrum ad Pseudo-Hephaestionem pertineant necne, dubito, cum eorum argumenta Iriarte non exscripserit. Id quidem valde probabile duco, Pseudo-Hephaestionis paragraphum 1 totam in fol. 56 sqq. exstare, cum tota exstet in omnibus fere codicibus, qui huius paragraphi initium contineant.

Id quod sequitur in fol. 68r—69v opusculum anonymi *Περὶ μέτρων πάλιν* descripsit idem Carolus Galland comiterque ut inspicerem mihi permisit. Continet fol. 68r—68v init. schemata pedum disyllaborum, trisyllaborum, tetrasyllaborum, exemplis non additis; inc.: *Πόδες εἰσὶ δισύλλαβοι δ̄· πυῤῥίχιος ἐκ δύο βραχείων* (sic): *ἴαμβος ἐκ* etc., des.: *δισπόνδειος ἐκ δύο σπονδείων*; — fol. 68v—69r commentationes de nominibus pedum disyllaborum et plerorumque ex trisyllabis; inc. ***Πυῤ-ῥίχιος*** *ἐκλήθη ὁ καὶ δίβραχυς ἀπὸ τοῦ πύῤῥυν*, des.: *μολοσσὸς ἀπὸ μολοσσοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ πύρρου καὶ ἀνδρομάχης*; — fol. 69r ***Αἱ*** *διαφοραὶ τοῦ ἡρωϊκοῦ*; inc.: *διαφοραὶ τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου εἰσὶν ἑπτά*, des.: *ἵππους δὲ ξανθὰς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα*; — fol. 69r —69v ***Εἴδη*** *τῶν στίχων*, inc.: *Εἴδη τῶν στίχων ἤτοι πάθη εἰσὶν δέκατέσσαρα*; inc.: *Ἰσόχρονος ὁ τὰ μεγέθη*; des.: *ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.* Quae omnia, quamquam praeter ea, quae de pedum nominibus proferuntur, non valde discrepant cum Pseudo-Hephaestionis paragraphis 2, 20, 1b, 29, 28, tamen nimis diverso ordine leguntur in hoc codice, quam ut pro parte aliqua libri Pseudo-Hephaestionei habenda sint.

Sequitur (teste Iriarte l. c.) fol. 70r: ***Περὶ*** *συντάξεως τῶν ῥημάτων*, ordine alphabetico, incerti auctoris.

Alter libellus de metris ad verbum congruens cum Ps.-Heph. §§ 4b—11b neglegentissime scriptus exstat in eiusdem codicis foliis 41r—43r; huius libelli a Gallando transcripti scripturae discrepantias littera Q insignitas verbis Pseudo-Hephaestionis subscripsi. Iota subscripta modo addita modo omissa non adnotavi. — Quae sequitur in fol. 43v commentatio de catalexi et de metris iambico, trochaico, dactylico, anapaestico excerpta est ex Hephaestionis Enchiridii capitibus IV—VIII, paucis frustulis e scholiis Hephaestioneis A additis. — Quae

sequuntur inde a fol. 44r usque ad fol. 45v, qualia sint, cognoscere non potui, cum haec Gallandus non descripserit; ea enim verba, in quae hic tractatus teste Iriarte (l. c. pag. 145) exit: *ἕρμης δὲ ψυχὰς κοίλης νηὸς ἐξεκαλεῖτο* (ω 1; Hom.: *κυλλήνιος*), apud reliquos de re metrica scriptores non leguntur. — Sequitur fol. 46r Constantini Lascaris ad discipulos suos brevis quaedam epistula, cui continuo subiectus est libellus *Περὶ τρόπων καὶ σχημάτων ποιητικῶν.*

III. Codices, qui paragraphos 1—44 continent:

1. T = Mutinensis III B 11 chartaceus miscellaneus saec. XV cum alia[1] continet (conf. Studemund in annal. philol. a. 1867 pag. 613) tum Pseudo-Hephaestionis paragraphos 1—44 hoc titulo insignitos: *ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων.* Cum codex T, cuius textus proxime accedit ad codicis P lectiones, innumeris mendis inquinatus sit, Studemund scripturae discrepantiam ex T non enotavit nisi ad plurimarum ex 44 illis Pseudo-Hephaestionis paragraphis initia et exitus. Hanc scripturae discrepantiam ego T littera usus in apparatu critico adscripsi. Pseudo-Hephaestionis paragraphos 1—44 in T sequuntur breves regulae metrici argumenti et Pythagorae *χρυσᾶ ἔπη.*

Praeterea Studemund hunc mihi indicavit Pseudo-Hephaestionis codicem, quem ipse non vidit:

2. Cod. XVIII 67 F in bibliotheca Lugduno-Batava (olim Meermannianus), descriptus sub num. 104 ab Iacobo Geel in 'Catalogo librorum mss., qui inde ab anno 1741 bibliothecae Lugduno-Batavae accesserunt' (Lugduni Batavorum 1852), chartaceus miscellaneus anno 1573 scriptus; continet fol. 57r—85r post inscriptionem *ἡφαιστίονος περὶ μέτρου* Pseudo-Hephaestionis paragraphos 1—44.

IV. Codex, quo §§ 28—45 tantum continentur, est

E = Parisinus suppl. graec. 543 chartaceus saeculi XVIII, de quo conf. Henricum Omont 'Inventaire

---

[1] In his est Dionysii orbis descriptio cum paraphrasi illa, quae in Caroli Muelleri Geographis Graecis Minoribus vol. II pag. 409 sqq. legitur (inc. *Τὰ περὶ τὴν γῆν καὶ τὸν μέγαν πόντον*). Aeliani Varia Historia in T incipit a verbis *φάλαγγες τὰ θηρία*, quae nescio an aliquo modo spectent ad Aelian. I c. 2.

sommaire des manuscrits du Supplément Grec de la bibliothèque nationale' pag. 60: '543. Anonymi de metris, e cod. Reg. 3336 ⟨id est Parisino 2008 (nobis P); non recte codex E ex ipso P transcriptus esse dicitur⟩: „Εἴδη τοίνυν τῶν ἡρωϊκῶν..." (1); — Anonymi de conscribendis epistolis, e cod. Reg. 3327 ⟨id est Parisino 2830⟩: „Ὁ τῆς τῶν λόγων ἡδονῆς..." (11); — Anonymi de verbis, e cod. Reg. 3244 ⟨id est Parisino 2600⟩: „Τῶν ῥημάτων τὰ εἰς σωματικήν..." (14); — Isaaci Argyri de metris poeticis, e cod. Reg. 3239 ⟨id est Parisino 2758⟩ [Bachmann, Anecdota II] (28)'.

Continet is codex (pag. 1—20) Pseudo-Hephaestionis paragraphos 28—45. Iota subscripta modo neglecta sunt, modo addita. Neque has minutias neque accentus gravis cum acuto confusionem ex E enotavi. Codicem E contulit Guilelmus Hoerschelmann.

Hunc ipsum codicem descripsit et nonnulla ex eo edidit Ludovicus Bachmann in Anecdotorum Graecorum vol. II pag. III sq. et 316 et 448; errori enim Bachmanni tribuendum esse, quod hunc codicem 'suppl. graec. 122' pro 'suppl. graec. 543' nuncupavit, testes Studemundo fuerunt, dum Parisiis a. 1884 et 1885 degunt, et Guilelmus Abraham et Gottholdus Gundermann.

V. Codices paragraphum 1 continentes adiectis congeriebus variis metricis Byzantinis:

1. R = Vaticanus 1405 (ex libris Fulvii Ursini) chartaceus formae quartae minoris, posteriore saeculi XV parte scriptus, miscellaneus foliorum 420, continet permulta grammatici potissimum et rhetorici argumenti. Post tractatum anonymi de soloecismo leguntur inde a folii 229[r] versu 8 hi trimetri tamquam libri inscriptio rubro picti:

Διοργάνωσις ἀκριβὴς ποδῶν Πόθου: —
Διοργάνωσις τῶν μετρουμένων ποδῶν: —

Hos duos trimetros statim sequitur Pseudo-Hephaestionis § 1 (usque ad fol. 232[r] med.). Figura geometrica, qualis in Pseudo-Hephaestione legitur, a codicis R scriba omissa est. Sequitur in R congeries tractatuum metrici argumenti, quae ad antiquiorem quendam fontem, quam Pseudo-Hephaestionis paragraphorum 2—45 fons est, referenda videtur esse: περὶ

μέτρον ποδῶν (= Pseudo-Hephaest. § 20), *περὶ τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου, περὶ τοῦ ἐλεγειακοῦ μέτρου, περὶ τοῦ ἀνακρεοντείου, περὶ τοῦ ἰαμβικοῦ μέτρου, ἔτι περὶ τοῦ ἰαμβικοῦ μέτρου*, quae capita omnia e Studemundi schedis, cum comiter id mihi permisisset, infra in Appendice edidi; inscripsi 'Anonymus Romanus'. Accuratissime, ut solet vir egregius, contulit eas partes Pseudo-Hephaestionis, quae in R exstant, a Studemundo rogatus Augustus Mau.

2. Z = Mutinensis II F 4 chartaceus saeculi XV vel potius XVI cum alia continet, de quibus rettulit Studemund in annal. philol. a. 1867 pag. 612 sq.[1], tum post Choerobosci librum rhetoricum in fine mutilum Pseudo-Hephaestionis paragraphum primam solam, cui alia manus saeculi XVI hunc titulum praefixit: *περὶ πόδων* (sic) *καὶ μέτρων*. Perpaucas ex Z lectiones ad hanc § 1 pertinentes excerpsit Studemund, quas suo loco ego in apparatu critico commemoravi.

Hanc § 1 in Z excipiunt eadem manu scripta varia capita ad eas disciplinae metricae partes, quae Byzantinis in deliciis erant, pertinentia, de quibus haec pauca in schedas suas, dum Mutinae degit, anno 1865 congessit Studemund: *περὶ μέτρου ἡρωϊκοῦ* (inc.: *ὁ* [sic] *μέτρον ἡρωϊκόν ἐστιν ἑξάμετρον, ἔχει δὲ καὶ ἑπτὰ τινὰς διαφοράς*, des.: *ὡς τὸ τρῶες δ'ἐρίγησαν, ἐπεὶ ἴδον αἰόλον ὄφιν* ⟨Hom. M 208⟩. — *περὶ δακτύλου καὶ ἠτέρων* [sic] *μέτρων* (inc.: *δάκτυλος ἐκ μακρᾶς καὶ δύο βραχειῶν, ἀνάπαιστος ἐκ δύο βραχειῶν*). — *περὶ μέτρου ποδὸς* (inc.: *Τί ἐστι μέτρον, ποδῶν συνθήκη. καὶ τί ἐστι πούς, μετρικὸν σύστημα συλλαβῶν*, des.: *ἵνα μὴ περιττοσυλλαβοῦντες ἡμεῖς νομιζώμεθα*). — *ἔτι περὶ μέτρου ἡρωϊκοῦ* (inc.: *Ποῖον ἐστὶ τὸ ἡρωϊκὸν μέτρον ᾧ καὶ ὅμηρος ἐχρήσατο*, des.: *τὰς ἐπὶ τροίας πράξεις διεξιών*). — *περὶ ἐλεγείου* (inc.: *Τὸ ἐλεγεῖον μέτρον πεντάμετρόν ἐστιν. πέντε γὰρ ἔχει χώρας*, des.: *ἀμπλακίην*, quo vocabulo Studemund in patriam reversus intellexit effici clausulam pentametri illius: *πνεύματος ἐνθάπτει νάμασιν ἀμ-*

---

[1] Pag. 612 lin. 45 typographi errore *παποιημένον* scriptum est pro *πεποιημένον* in eis, quae pertinent ad Georgii Choerobosci libri a Walzio in Rhet. Graec. VIII pag. 802--812, 9 editi fragmentum.

πλακίην Ioannis Damasceni [ed. Lequien-Migne tom. III pag. 825]). — *περὶ ἀνακρεοντίου* (inc.: *Τὰ ἀνακρεόντια ἐπιδέχονται μὲν αὐτῶν οἱ οἶκοι, ἀνάπαιστον,* des.: *ὅτι ἀνακρέων τὶς πρῶτος τούτῳ ἐχρήσατο* [conf. Ps.-Heph. § 8]). — *περὶ ἰαμβικοῦ* (inc.: *τὸ ἰαμβικὸν μέτρον ἑξάμετρον καὶ τρίμετρον καλεῖται. τρίμετρον μὲν,* des.: *ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει* ⟨Hom. Δ 442⟩ [conf. e. g. 'Scholia Hephaestionea B' pag. 18 ed. Hoerschelmann]. — *ἔτι περὶ δακτυλικοῦ μέτρου* (inc.: *Τὸ δακτυλικὸν μέτρον ἐπιδέχεται πόδας β̄, τὸν δάκτυλον,* des.: *ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα βουκολικὴ, ἢ τὰ βουκολικὰ συνεγράφησαν* [conf. Ps.-Heph. § 10]. Sequuntur in Z varia quae ad rem metricam non pertinent; ac primum quidem definitiones vocabulorum, quae sunt *φράσις ἔκφρασις ἀντίφρασις μετάφρασις παράφρασις καὶ περίφρασις διαφέρει κτλ.* (des.: *καὶ βίη ἠρακλείη, ἀντὶ τοῦ ἠρακλῆς*).[1]

3. Metricam congeriem cum Pseudo-Hephaestionis paragraphis 2—45 partim congruentem paragrapho primae subiectam exhibet

codex Vaticanus 15 chartaceus saeculi XV miscellaneus (de quo conf. Studemund in annal. philol. anno 1867 pag. 614); continet enim fol. 232r — fol. 239 Pseudo-Hephaestionis (titulus hic est: *ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων*) paragraphos 1—11. (Quod Studemund l. c. dixit inesse nonnulla capita ex scholiis Hephaestioneis B desumpta, id ita intellegendum est, ut argumentum aliquot earum, quae codice Vaticano continentur, paragraphorum Pseudo-Hephaestionis cum 'scholiis Hephaestioneis B' arta cognatione cohaereat).

4. Eodem pertinere videtur codex Laurentianus LV 7 chartaceus formae quartae minoris saec. XV miscellaneus, conf. Studemund l. c. pag. 613 sq. Continet is codex fol. 319r *Ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων* (inc. *Εἰ μέλλοιμεν*), sequentibus aliquot tractatibus metricis, qui qua cognatione cum Pseudo-Hephaestionis libro cohaereant ex iis, quae Studemund de hoc codice adnotavit, cognosci non potest.

---

[1] Initium puerilis illius, quae in codicis Z fine legitur, tractatus de poetis (conf. Studemund in annal. philol. a. 1867 pag. 612 lin. 51 sqq.) congruit cum Tzetzae prolegomenis ad Lycophron. pag. 247 ed. M. C. G. Mueller.

(Desinunt hi tractatus fol. 321[r] sic: *γίνεται δὲ ἡ συνίζησις ὡς εἴρηται, φωνήεντος ἐπιφερομένου, οὐκέτι δὲ συμφώνου*).

5. Nescio denique an eodem referendus sit codex Matritensis 95 chartaceus 4⁰ Constantini Lascaris manu exaratus. Continet teste Iriarte (l. c. pag. 380): fol. 192—202: *Ἡφαιστίωνος γραμματικοῦ ἐγχειρίδιον περὶ μέτρων*, inc.: *Εἰ μέλλοιμεν ἐμμελῶς καὶ εὐρύθμως τὸν τοῦ νοὸς ἄγγελον ὅς ἐστιν ὁ προφορικὸς λόγος*, des.: *ποιὸν δέ ἐστι το μικτὸν· τὸ ἐκ διαφόρων εἰδῶν συγκείμενον*. Addit Iriarte l. c.: 'Is liber codice XL etiam continetur' ⟨conf. supra pag. 7 sq.⟩, 'sed multis locis diversus... Alium ibi huiusce operis finem indicavimus, rati opusculum proxime sequens, *Ἔτι περὶ μέτρων* inscriptum ⟨inc. fol. 63[r] inf.⟩, ad Hephaestionem pertinere; illud vero, satis quidem prolixum, incipit: *Δεῖ γινώσκειν ὅτι τὸ ἡρωϊκὸν μέτρον ὃ καὶ δακτυλικὸν καλεῖται*, desinit: *περὶ μὲν οὖν τοῦ μέτρου καὶ τῶν κατὰ τὰς συλλαβὰς παθῶν εἴρηται*. Caeterum finem utrobique certum statuere nobis haud licuit, quippe quibus nullum huius grammatici exemplar excusum videre contigerit. Iam vero id Enchiridion plurimis Constantini Lascaris sive interscriptis sive adscriptis notis et animadversionibus, tum alias adiunctis, alias subiectis scholiis auctariisque illustratur.' Interiectis foliis prope duobus vacuis sequitur (fol. 205) Harpocrationis *συναγωγὴ τῶν ἀνθηρῶν λέξεων τῶν δέκα ῥητόρων*. Et hoc codice et codice XL contineri Pseudo-Hephaestionis paragraphum 1 conicio. Quod autem dicit Iriarte, codicis XCV tractatum multis locis a codice XL diversum esse, id suspicari licet ad eas tantum referendum esse congeries metricas, quae in utroque codice paragrapho 1 subiunctae videntur esse; has enim varias esse in variis codicibus docent codices Vaticanus 15 et 1126 et Mutinensis II F 4 et Marcianus XI 14, quibus omnibus Pseudo-Hephaestionis § 1 tota continetur, sed additis tractatibus metricis in omnibus diversis.

VI. Codex paragraphi 1 partem tantum continens, sed sequentibus paragraphis 2—11, est

Ambrosianus J 224 ord. inf., quem Studemund obiter inspexit anno 1864. Constat is codex ex compluribus minoribus codicibus bibliopegi opera in unum corpus coniunctis. Ea,

quae in eo exstat, Pseudo-Hephaestionis particula insignis est verborum contextu paulo liberius formato. Primus quaternio chartaceus formae octavae a ceteris huius voluminis codicibus segregandus est. Continet hic quaternio in folio 1 diagramma paragraphi Pseudo-Hephaestioneae 1ᵃ; in folio 1ᵛ haec: *σκόπει οὖν ὁ φιλομαθής, οἵαν τὴν ἑρμηνείαν κέκτηται τὸ διάγραμμα. τὰ μὲν τετράγωνα □ τὰς λεγομένας χώρας σημαίνουσι. τὰ δὲ ἐντὸς τούτων, ἡμικύκλια, ∪, τῶν ποδῶν τὰς βραχείας συλλαβάς. αἱ δὲ κατ' εὐθεῖαν γραμμαὶ —, τὰς μακράς. οἶσθα δὲ δήπου ἐν ταῖς προσῳδίαις τὰ σχήματα τῶν τοιούτων σημαντικά. τὰ μὲν οὖν μέσα τέσσαρα τετράγωνα □ □ □ □ τοὺς δισυλλάβους πόδας ἀπολαμβάνουσι. τόν τε πυρρίχιον οἷον λόγος ∪∪, τὸν σπονδεῖον* etc. (= Ps.-Heph. § 1ᵃ). Pseudo-Hephaestionis paragrapho 2 praecedunt haec verba: *ὅρα ἔτι σαφέστερον περὶ ποδῶν καὶ μέτρων.* Ipsa § 2 sic incipit: *Πούς ἐστι μετρικῶν σύστημα συλλαβῶν· ὁ μὲν ἁπλοῦς ἐκ δύο ἢ τριῶν, ὁ δε* (sic) *σύνθετος ἐκ τεσσάρων ἢ πέντε ἢ ἕξ. καὶ ἄλλως. πούς ἐστι σύνθεσις συλλαβῶν ποιόν τε καὶ ποσόν* etc. Pseudo-Hephaestionis § 6 sic incipit: *περὶ ἰαμβικοῦ μέτρου πάλιν σαφέστερον ὅρα. τὸ ἰαμβικὸν μέτρον ἑξάμετρόν ἐστι. διαιρεῖται δὲ εἰς μέρη δύο. καὶ τὸ μὲν αὐτοῦ καλεῖται κωμικόν τε καὶ τραγικόν. ᾧ καὶ τῶν παλαιῶν οἱ πολλοὶ κατεχρήσαντο* etc. Eiusdem § 11 sic incipit: *ὅρα περὶ δακτυλικοῦ μέτρου σαφέστερον. τὸ δακτυλικὸν μέτρον πόδας ἐπιδέχεται δύο αὐτόν τε τὸν δάκτυλον οἷον σήμερον καὶ τοῦ δακτύλου τὴν συναίρεσιν. λέγω δὴ τὸν σπονδεῖον οἷον αἴας* etc. Earum, quae praeterea in hoc codice insunt, paragraphorum de metro elegiaco, de novem illis quae dicuntur *εἴδη στίχων* (*ἰσόχρονος*, *λαγαρός* etc.), de poematum et poetarum divisione etc., initia Studemund propter temporis angustias non exscripsit, nec magis adnotavit, quo ea metrica pertineant, quae praeter Pseudo-Hephaestionis particulas in illo quaternione codicis Ambrosiani exstant (fol. 5 denuo enumerantur pedes metrici; sequuntur metra, quibus insignia sunt *ἐγκωμιολογικὰ* etc. etc.).

VII. Codices unam paragraphum 1 continentes:

1. V = Venetus Marcianus class. XI cod. 14 membranaceus formae octavae saec. XV miscellaneus cum alia[1]

[1] In his Eustathii de Hysmines et Hysminiae amoribus libros XI, initio mutilos (inde a pag. 163, 15 ed. Hercher = pag. 5, 5 sqq. ed.

continet Caesaris Strategi Lacedaemonii[1] manu Florentiae nitide scripta, quae enumeravit Studemund in annal. philol. a. 1867 pag. 613, tum fol. 231r—236r (quod folium codicis ultimum est) Pseudo-Hephaestionis paragraphum 1 (inc.: *Εἰ μέλλοιμεν*, des.: *ὅ ἐστιν ἡ μονάς*) hoc titulo insignitam: *ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων.* Hunc codicem totum contulit Studemund.

2. Vaticanus 1126 saeculo XV ineunte scriptus miscellaneus, de quo conf. Studemund l. c. pag. 614. Continet fol. 1—7r Pseudo-Hephaestionis paragraphum 1 totam hoc titulo insignitam: *Περὶ τῶν μέτρων τῶν στίχων.* Diagramma in hoc codice bis (fol. 2v, et ita, ut exempla pedum metricorum singulis binisve vocabulis effecta omittantur, fol. 7r) pictum est. Ceterae Pseudo-Hephaestionis paragraphi in hoc codice non exstant.

3. S = Parisinus suppl. graec. 139 membranaceus 8° min. saeculi XV; conf. Henricum Omont 'Inventaire sommaire' etc. pag. 17 sq. Inest (fol. 150r): 'Anonymi de metris et versibus', i. e. Pseudo-Hephaestionis § 1 tota, praemisso hoc titulo: *περὶ τῶν μέτρων τῶν στίχων.* Inc.: *Εἰ μέλλοιμεν ἐμμελῶς*, des. ⟨fol. 157v⟩: *ὅ ἐστιν ἡ μονάς.* Sed post ultima verba *ἡ μονάς* iterum diagramma depictum est. Desunt in S (itemque in codice D) omnia iota subscripta. Codex S male habitus et ex parte lectu difficilis est. Contulit hunc codicem a Studemundo rogatus Guilelmus Hoerschelmann.

4. D = Darmstadiensis, quo cum alia metrica tum genuinum Hephaestionis enchiridium contineri constat. Continet fol. 247r—248v: *Ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων*, sequente Pseudo-Hephaestionis tota paragrapho 1. Codicem D contulit a Studemundo rogatus Guilelmus Hoerschelmann.

Hilberg). Eam, quae fol. 205r—213r in V legitur, Dionysii Halicarnassensis de compositione verborum libri epitomen eandem esse atque illam, quam e Germanicis exemplis edidit Fridericus Hanow (Lipsiae 1868), docent ultima verba *διὰ ταύτας γινόμενα τὰς αἰτίας* (= pag. XXVIII, 19 ed. Hanow). — Eadem epitome Dionysii legitur e. g. in codice Oxoniensi miscell. 160 fol. 256 sqq. et in Veneto Marciano 444.

[1] Conf. de hoc scriba Victorem Gardthausen 'Griechische Palaeographie' (Lipsiae 1879) pag. 316 inf.

VIII. Codices, quibus una § 1 eaque mutila continetur:

1. A = Ambrosianus H 22 ord. sup. chartaceus formae octavae, miscellaneus, saeculo XV scriptus. Continet fol. 145^v—146^v *ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων* et post hunc titulum Pseudo-Hephaestionis paragraphum 1^a mutilam; desiderantur enim quae post diagramma exstant apud Pseudo-Hephaestionem; conf. quae de hoc codice adnotavit Studemund in annal. philol. a. 1867 pag. 614 et Anecd. Var. I pag. 103.

2. B = Ambrosianus A 115 ord. sup. chartaceus saec. XV—XVI miscellaneus, ex bibliotheca Octaviani Ferrarii (conf. Studemund in annal. philol. a. 1867 pag. 614 nota 8). Continet praeter alia, quae propriis numeris numerata sunt, in tribus foliis, quae nobis fol. 1^r—3^r sunt, *Ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων* sequente priore parte paragraphi 1^a usque ad verba *ἀλλὰ ταῦταμὲν οὕτως*.


Scripturae discrepantiae a me additae sunt e codicibus MPQTERZVSDAB; sed e codicibus T et Z, cum singularum paragraphorum initia tantum et exitus Studemund descripserit, ad haec sola lectiones addere potui; e codice Q autem ad initium tantum paragraphi 1 et ad paragraphos 4^b—11^c (has enim paragraphos solas ex Q transcripsit Carolus Galland, cuius apographo uti mihi licuit).

Minime corruptelis foedatus est — in ea quidem quam continet Pseudo-Hephaestionis parte, paragrapho scilicet prima — codex R, artissima cognatione coniunctus cum codicibus DS; quos qui exaraverunt, archetypum minus accurate secuti sunt; S liberrime saepius archetypo usus est.

Ab his tribus codicibus reliqui, quos totos collatos habui ad § 1, codices PMBVA longius recedunt, ita tamen, ut codices PMBV artius inter se cohaereant; posteriore enim loco, quam in codice A, et fere eodem in PMBV diagramma illud exstat, quod in codice S priore, quam in codice A, loco servatum, in codice R plane omissum est; adde quod in explicando diagrammate (conf. infra § 1^a sub [179]) pro eo,

quod ceteri codices exhibent, προέρχονται in PMBV legitur περιέρχονται et similia permulta.

Ad eundem atque codices PM archetypum referendus denique est codex E, paragraphos 28—45 tantum continens, qui artissime quidem cum codice P, paullo minus arte cum codice M cognatus est. Ex eodem archetypo deperdito (X) per duos alios codices nobis non servatos (Y et Z) ita derivati esse videntur codices PME, ut e codice Y descripti sint et P et E, e codice Z unus codex M, sicut demonstratur hoc stemmate:



Iota subscripta in plurimis codicibus plane omissa, in nonnullis modo addita modo omissa in apparatu critico non enotavi. In encliticorum accentibus scribendis vel omittendis, ne apparatum criticum nimis onerarem, codicum scripturam plerumque secutus sum; neque adnotavi accentus — quod saepius fit — graves positos pro acutis vel hos pro illis, neque magis minutias in numerorum scriptura discrepantes.

Interrogationis signum ? in apparatu critico significat 'ut videtur'. His uncinis ⟨ ⟩ insignivi, quae codicum contextui inserenda, his [ ], quae delenda mihi videbantur esse.

Pseudo-Hephaestionis verba, dum codicem M transcribit, quo facilius cum aliis codicibus conferre posset, in paragraphos divisit Studemund; quarum numeros, ut simul legentium commodo inservirem, servavi.

Constat maximam partem paragraphorum Pseudo-Hephaestionis 2—45 aut ad verbum transcriptam esse aut originem ducere ex eis, qui olim editi sunt, scriptoribus de re metrica Byzantinis. Neque verisimile est paucarum illarum paragraphorum, quarum fons ex eis, qui typis vulgati sunt,

de re metrica scriptoribus derivari nequit, auctorem esse ipsum congeriei Pseudo-Hephaestioneae scriptorem, cum praeter ea capita, quae eodem ordine sese excipientia ex aliorum libris transcripta sunt, nulla ratione huius congeriei materia distributa sit, sed potius casu quodam e variis de re metrica libris vel librorum particulis consuta esse videatur. Gravissimum igitur est, ut quaeramus, quibus haec congeries efficiatur elementis, et quo vinculo singula inter se conexa esse videantur.

Atque primum quidem variis de causis a ceteris segreganda est paragraphus prima. Nam cum reliquis paragraphis omnibus propria praecepta metrici argumenti contineantur, hac una de metri et pedis origine naturaque more philosophorum agitur, singuli pedes quomodo inter se cohaereant figura geometrica explicatur, numerorum qui τέλειοι a Graecis vocantur mentio fit, denique de origine nominum singulorum pedum agitur. Tota paragraphi 1 materia diligentius composita et pertractata est quam in paragraphis inde a secunda. Adde quod nusquam ad hanc primam paragraphum in ceteris paragraphis revocantur lectores. In una enim paragrapho, ubi fieri id videtur verbis ὡς ἐν τῷ περὶ ὀνομάτων εἴπομεν (§ 24; eadem leguntur in schol. Heph. B pag. 25, 28; conf. etiam Bekkeri Anecdota Graeca II pag. 859, 14 sqq.) de prorsus aliis rebus agitur atque in § 1ᵇ, quae sic quidem incipit: ὥρα δὲ καὶ περὶ τῶν ὀνομάτων τούτων εἰπεῖν, nec tamen quicquam nisi pedum nomina in § 1ᵇ explicantur, in § 24 autem quomodo syllabis pedes disyllabi, trisyllabi etc. efficiantur edocemur. Ac ne uno quidem verbo in fine paragraphi 1ᵇ aut in initio paragraphi 2 transitus efficitur a commentatione de pedum nominibus (§ 1ᵇ) ad illud quod primo aspectu arte cum antecedente coniunctum videtur esse caput singulorum pedum schemata et exempla continens (§ 2). Accedit, quod et alium pedum ordinem § 2 exhibet atque § 1ᵇ et plane diversum est orationis genus primae paragraphi a sermone reliquarum omnium; veluti in §§ 2—45 ne semel quidem ad novum quoddam caput verbis ὥρα δὲ καὶ vel ὅρα δὲ καὶ vel similibus oratio traducitur, quae verba saepe leguntur in paragrapho prima, conf. § 1ᵃ: ὅρα δὲ καὶ ὅτι φυσικῇ τινι τάξει;

§ 1[b] initium: ὥρα δὲ καὶ περὶ τῶν ὀνομάτων τούτων εἰπεῖν; § 1[a] σκόπει δὲ καὶ ἑτέραν τινὰ γλαφυρότητα, similia; neque magis invenies in posteriore congeriei parte talem verborum constructionem qualis est haec: εἰ μὴ ἐκαλεῖτο πούς καὶ διὰ τοῦτο ᾐσχύνετο καινοτομῆσαι τὴν φύσιν, τάχ' ἂν μίαν μόνην συλλαβὴν ἐπεφέρετο (§ 1[a]) vel haec: περαιτέρω δὲ προελθεῖν ἀδύνατον, ὥστε καὶ διὰ τοῦτο εἴη ἂν τὸ μὴ προελθεῖν εἰς πλείους τὸν πόδα συλλαβάς (ibid.); multo enim ieiunius oratio composita est in §§ 2 - 45.

Gravissima denique causa ea est, quod multi quibus § 1 tradita est codices reliquas paragraphos aut omittunt aut pro iis addunt plane alias congeries metricas.

Quae cum ita sint, segregare sine dubio paragraphum primam a §§ 2—45 oportet; paragraphos autem 2—45, quamquam non pro unius hominis docti opere consilio et ratione perfecto habendae sunt, sed e diversissimis elementis constant, tamen, quoniam in aliquot codicibus consociatae sunt et similem continent materiam, tamquam alteram libri Pseudo-Hephaestionei partem priori opponere liceat.

DE PARTE PRIORE.

Qui cum totius paragraphi 1 argumento et verborum forma accurate consentiret librum editum inveni nullum. Vnus Isaacus Monachus et diagramma Pseudo-Hephaestionis repetit et sententias eius non nimis dissimiliter expressas servat. Pseudo-Draconi enim, praeter paragraphum 1[b], qua de pedum nominibus agitur, cum hac priore libri parte una illa sententia communis est, pedem ideo minorem duabus syllabis esse non posse, quod humanum corpus duobus pedibus innitatur (conf. Ps.-Heph. § 1[a] init.). Tamen — levis ut sit congruentia illa — Draconis de metris libellus omnium praeter Isaacum maxime consentit cum paragrapho Pseudo-Hephaestionea 1; neque cuiquam id mirum videbitur memoria tenenti, quam arta inter se cognatione cohaereant Isaaci et Pseudo-Draconis

libri (conf. Rudolphum Westphal 'Metrik der Griechen' vol. I² pag. 198); id potius mirari licebit, tam paullum illos hoc loco congruere.

Minus etiam quam Draco cum priore libri Pseudo-Hephaestionei parte consentit, qui tertius his adnumerandus est, Triclinius sive 'tractatus Harleianus'; exstat enim praeter pedum disyllaborum et trisyllaborum nomina, quae adeo diverso ordine ab eo traduntur, nihil apud eum, quod cum paragrapho 1 congruat praeter unam illam sententiam: *προῆλθε δὲ τὸ μέτρον ἐκ θεοῦ, μέτρῳ τά τε οὐράνια καὶ ἐπίγεια κεκοσμηκότος* (pag. 321, 26—27); quam sententiam iam Alexandrinos de re metrica scriptores ab antiquioribus de rhythmo scriptoribus, hos autem Platonis scriptis traditam accepisse docet Rudolphus Westphal l. c. pag. 107. Quo fit, ut horum neuter ad eundem fontem referendus esse videatur atque Pseudo-Hephaestion.

Isaacus Monachus cum multo minus integram huius tractatus formam exhibeat quam Pseudo-Hephaestion, hoc ipsum Isaacum usum esse suspiceris, praesertim cum et apud hunc et apud illum sequatur caput de pedibus (Ps.-Heph. § 2, Isaac. p. 174). Nec tamen certa huius suspicionis documenta investigare potui; cum enim modo ad verbum fere cum Pseudo-Hephaestione Isaacus consentiat, modo in brevius contracta verba praebeat, interdum liberius rem tractat vel additamentis auget. Maxime autem his ipsis additamentis probatur integriorem huius paragraphi formam a Pseudo-Hephaestione servatam esse. Cum enim caput *περὶ τῶν ὀνομάτων* apud Pseudo-Hephaestionem (§ 1ᵇ) sic incipiat: *ὥρα δὲ καὶ περὶ τῶν ὀνομάτων τούτων εἰπεῖν καὶ ὅθεν οὕτως ἐκλήθησαν*, novum titulum Isaacus inseruit hunc: *Περὶ τῆς τῶν ποδῶν ποιότητός τε καὶ κλήσεως*, post titulum autem, loco quam minime idoneo verba ex fonte suo, ut opinor, descripta: *Καὶ ταῦτα μὲν οὕτως* (pag. 174, 25)! Deinceps Isaacus pergit: *ὡς* ⟨scribendum *ὥρα?*⟩ *δὲ καὶ περὶ τῶν ὀνομάτων εἰπεῖν*, „*ἀλλὰ δὴ καὶ περὶ τῆς ποιότητος ἑκάστου*“, quae verba particulis *ἀλλὰ δὴ* inepte cum antecedentibus coniuncta mihi videntur esse; ab ipso autem Isaaco additas esse *ποιότητας* illas i. e. schemata quantitatum inde apparet, quod in iambi descriptione (pag.

175, 5) syllabarum schema suo loco inserere oblitus, post 'ἴαμβος' item atque Pseudo-Hephaestion et sine dubio item atque auctor, quem exscripsit, haec addit: ἀπὸ Ἰάμβης τινὸς γυναικός, στίχον ἐξ ἰάμβων e. q. s. ad verbum cum § 1[b] congruentia; tum demum meminit schematis omissi et post 'σκάφην' addit: σύγκειται δὲ ἐκ βραχείας καὶ μακρᾶς.

Neque magis credibile est in libris antiquiorum scriptorum hunc tractatum exstitisse, cum neque in Hephaestionis Enchiridio neque in scholiis ad illud conscriptis neque apud scriptores de re metrica Latinos ulla eius vestigia reperiamus. Videtur igitur posteriore quidem tempore sed ante Isaaci aetatem ab homine quodam docto et philosophiae et mathematices haud imperito conscriptus esse. Sed quisnam fuerit ille homo ut perspicerem, frustra enixus sum. Cogitavi de Pediasimo illo librorum musicorum et geometricorum auctore, Iustinianae primae et Bulgariae tabulario, qui sub Andronico III. Palaeologo (1328—1341) eo munere functus esse dicitur (conf. Friedlein 'die Geometrie des Pediasimus [Programm der Studienanstalt Ansbach 1866]' pag. 4), quoniam in codice R haec Pseudo-Hephaestioni praecedunt:

Διοργάνωσις ἀκριβὴς ποδῶν Πόθου: —
Διοργάνωσις τῶν μετρουμένων ποδῶν: —

Quorum trimetrorum iambicorum priore significari celeberrimum Ioannis Pediasimi carmen, quod vulgo inscribitur 'περὶ γυναικὸς κακῆς καὶ ἀγαθῆς sive Πόθος' intellexit iam vir doctus nescio quis, qui saeculo fere XVII in codicis R folio primo ad indicem eorum, quae codice R continentur, haec adscripsit: 'πόθου Ioannis Pediasimi?' Et profecto paragraphi Pseudo-Hephaestioneae 1 materia mathematica optime convenit homini mathematicis studiis dedito, qui libros et musicos et geometricos scripserit. Attamen si recesseris a quibusdam artis vocabulis sollemnibus, perpauca sunt in genuinis Pediasimi scriptis, quae Pseudo-Hephaestionis dicendi generi respondeant; conf. Pediasim. de geometria (pag. 13, 11 ed. Hanow): καὶ ἐχρῆν μὲν πρότερον ἀπὸ τοῦ τριγώνου ποιήσασθαι τὴν ἀρχὴν cum Pseud.-Heph. § 1[a]: ἔδει δὲ πᾶν τὸ τῶν ποδῶν ἄθροισμα...... ἐγκολπώσασθαι. Reliqua autem plurima, veluti ea, quibus ad

nova commentationis suae capita orationem traducere solet, verba cum iis, quae apud Pseudo-Hephaestionem leguntur, minus congruunt quam ut de uno utriusque libri auctore cogitandum esse videatur. Conf. e. g. ea quae initio capitis 27 geometriae Pediasimi leguntur: *Μετὰ τὸ τοῦ ἰσοπλεύρου θεώρημα τὰ ὀρθογώνια τῶν χωρίων ζητοῦμεν*; et capitis 28: *Μετὰ τὴν τῶν ἰσοπλεύρων καὶ ὀρθογωνίων τριγώνων ζήτησιν . . . . . διαλάβωμεν* etc.; quae plane diversa sunt ab eis, quibus Pseudo-Hephaestion uti solet: *Ὅρα δὲ καί, σκόπει δέ,* similibus.

Pseudo-Hephaestionis verba haec sunt:

⟨§ 1ᵃ.⟩

Ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων.[1]

Εἰ μέλλοιμεν[2] *ἐμμελῶς*[3] *καὶ εὐρύθμως*[4] *τὸν τοῦ νοὸς*[5] *ἄγγελον, ὅς ἐστιν*[6] *ὁ προφορικὸς*[7] *λόγος, παραδιδόναι γραφῇ, ἀλλὰ μὴ πλήττειν τὸν ἀέρα διὰ κενῆς*[8], *τὸ ὅσον εἰς*[9] *ἄμουσον, μέτροις*[10] *ἄξιον χρῆσθαι*[11] *ἡμᾶς*[12]. *μέτρῳ*[13] *γὰρ καὶ*[14] *τὸν θεὸν ὁρῶμεν*[15] *στοιχειῶσαι τὸ*[16] *πᾶν καὶ μεθύστερον*[17] *τοὺς σοφοὺς ποιητὰς μέτρῳ στοιχήσαντας*[18] *καὶ*[19] *διὰ*[20] *τὴν τῶν λόγων ἐμμέλειαν.* [21]*ὧν ἁπάντων καὶ πηγὴ καὶ ἀρχὴ ὁ σοφώτατος Ὅμηρος. ἐμμέλεια μὲν οὖν, ὥσπερ*[22] *ἔφην, μέτρῳ κατορθωθήσεται, μέτρον δὲ*[23] *ποσί, πους δὲ συλλαβῇ*[24] *ἢ συλλαβαῖς, γράμμασι*[25] *δὲ*[26] *συλλαβή*[27], *καὶ μέχρι τοῦ γράμματος ἡ ἀνάλυσις. γράμματα δέ*

[1] *Ἡφαιστίωνος περὶ μέτρων* PVADT, *Ηφαιστίωνος περὶ μέτρων* B, om. RSZ, *ἡφαιστίονος περὶ μέτρου* M || [2] *μέλοιμεν* T || [3] *ἐμμελλῶς* M || [4] *εὐρίθμως* T, *εὐρυθμως* R || [5] *νός* M || [6] *ἔστιν* BV || [7] *προφορικ̇* S || [8] *διακενῆς* PBVADS || [9] *εἰς* om. A || [10] *τροις* praecedente lacuna sex litterarum A || [11] *χρᾶσθαι* PMVS || [12] *χρῆσθαι ἡμᾶς*] *ἡμᾶς χρῆσθαι* D || [13] *μέτρα* A. Verba *μέτρῳ γὰρ καὶ τὸν θεὸν ὁρῶμεν στοιχειῶσαι τὸ πᾶν* ex eodem fonte videntur fluxisse atque ea quae leguntur in tractatu Harleiano pag. 321, 26 et 27 et in tractatu, quem edidit Studemund Anecd. Var. I pag. 161, 3 sqq. || [14] *καὶ* om. PMBV || [15] *καὶ τὸν θεὸν ὁρῶμεν*] *ὁρῶμεν καὶ τὸν θεὸν* S || [16] *το* V || [17] *μεθ' ὕστερον* VA || [18] *στοιχίσαντας* an *στοιχήσαντας* incertum S; *στοιχίσαντας* PMBVA || [19] *καὶ* om. RDS || [20] *δια* V || [21] incipit fol. 150ᵛ S || [22] *ὅπερ* DS || [23] *δὲ* om. A || [24] *συλλαβὴ* B || [25] *γράμματι* VARS || [26] *δέ* om. R, *δὲ ἡ* BVA || [27] *συλλαβῇ* P, *συλλαβὴ* ex *συλλαβῇ* factum D, *συλλαβῆς* M.

